ETHICA SEU PHILOSOPHIA MORALIS JUXTA PRINCIPIA ARISTOTELIS...

Jacques Channevelle, Aristoteles

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
12 1
29/1
-13-A-27

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

481.5.30.

48
C
39.

46
39

Digitized by Google

Digitized by Google

ETHICA
SEV
PHILOSOPHIA
MORALIS

juxta principia Ariſtotelis.

Authore P. IAC. CHANNEVELLE,
Societatis IESV *Sacerdote*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



PARISIIS,
Apud EDMVNDVM MARTINVM, viâ
Iacobæâ, ſub Sole aureo.

M. DC. LXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D.
CHRISTIANO FRANC.
DE LAMOIGNON,
SENATVS PRINCIPIS
FILIO,
EIDEMQVE SENATORI.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

FECISTI, ILLVSTRISSIME LAMONI, *vt quæ hactenus tenuitatis ſuæ conſcia anguſtis lycei ſpatiis continuerat ſeſe Philoſophia noſtra, ſuæ jam veluti oblita modeſtiæ, meliùs de ſe, ſi non æquiùs, ſentiat, nec fugiat lucem. Latere quippe ſibi licitum non putauit, ex quo tua facta eſt: nec potuit illa ſibi non placere, quam ex aliquo delectu viſus es amare præ cæteris. Venire in publicum jam minùs timet, de publico ſecura judicio, poſtquam illi primam ſapientiæ laudem*

Digitized by Google

integerrimus Galliarum Senatus, te referente, attribuit: nec iniquos multitudinis imperitæ rumores ſubuereri debet, cui omnium ordinum approbationem, eruditorum plauſus, & præconia ſæpius collegiſti.

Prodit igitur, poſtquam illi animos feciſti ad audendum: atque vt ſine te nunquam eſſe poſſit, cui tecum ſemper omnia feliciter euenere, tuum nomen præferre geſtit ad commendationem, quæ tuo olim nomine tantopere commendata eſt. Singulas tu quidem Philoſophiæ noſtræ partes & ingenio, & amore honeſtaſti; vna tamen præmiſſa cæteris eſt Ethica, ne priùs in lucem veniſſe Philoſophia diceretur, quàm probatos tibi vidiſſet mores ſuos. Aditum ad te facilem ſibi pollicetur hæc potiſſimùm pars, quæ non diſceptatricis ſcholæ occupatio eſt, ſed cujuſlibet perſonæ, cujuſlibet loci, & dignitatis; quæ domeſtica tibi, non tam labore parta, quàm ingenita, tranſmiſſaque à majoribus: noſtra verò, qualis illa cunque eſt, Ethica, tota tua eſt, nata eſt in conſpectu tuo, in fundo tuo crevit, & ad hunc, ſi quem habet, perfectionis gradum, tuis ex bonis pervenit.

Habes in Illuſtriſſimo parente principem juſtitiæ formam, archetypam prudentiæ ſpeciem, temperantiæ, fortitudinis, omniúmque virtutum, quæ mores exornare poſſunt, exemplar abſolutiſſimum. Eminet quippe in eo perfectiſſima illa morum idea, quam ad omnem ſapientiam tanti facit Ariſtoteles. Hanc tibi velut domeſticam aſſiduè contemplari neceſſe eſt, nobis aliquando fas fuit, & quam repræſentaſti dictis factiſque, ego informavi, quantum potui, in ſcriptis, ſed non totam; hæc enim indoles eſt paternæ virtutis, vt ſui admirationem debeat omnibus, perfectam imitationem nemini, præterquam tibi, & fratri.

Meminiſti, ILLVSTRISSIME LAMONI, *illius temporis, quo carere poterat Curia ſui Principis præſentiâ, ſatiſque illi erat otii ad ruſticationem non otioſam. Pendebas tu quidem ab ore dicentis: nihil proferebat, quod tu non exciperes, referreſque in vſus ac mores tuos: auſcultabam ego interim avidiùs; nihil patiebar excidere, quod non exſcriberem, transferremque in hoc opus morum, cui incumbebam in domo ſapientis. His artibus, hac videndi, audiendique con-*

ſuetudine tibi admirationem in foro, apud duos reges gratiam, apud exteras gentes, & in extremo orbe famam, apud omnes dignam tanto parente, quæ ſumma tua laus eſt, dignam ingenio, & ſtudiis æſtimationem comparaſti.

Accedet etiam noſtræ, vel potiùs tuæ, Ethicæ multùm dignitatis, ſi intelligant, qui qui porrò legent, tradi ſibi à me leges illas morum, quas non probavit tantùm, ſed dedit Galliarum Senatus Princeps, quas expreſſit in ſe ſimillimus patri LAMONIVS, *quas audit etiamnum ex me, excipitque frater tibi non abſimilis.*

Patere igitur, ILLVSTRISSIME LAMONI, *vt ad te redeat Ethica perpetuum meæ in te obſervantiæ monimentum, dicarque in poſterum non à Porticu Stoïcus, vt aliqui, non ab Academia Academicus, vt nonnulli, non à ſpatiis lycei Ariſtotelici Peripateticus, vt plurimi, ſed ab Illuſtriſſimo parente, cujus ad formam expreſſa eſt; à te & fratre tuo, quibus ſe pridem devovit, devovétque etiamnum* LAMONIANVS PHILOSOPHVS.

Tibi devotiſſimus IACOBVS CHANNEVELLE, Societatis Ieſu.

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI

IAC. CHANNEVELLE.

NON deerunt, LECTOR BENEVOLE, qui me actum agere, quòd de rebus moralibus ſcribere aggrediar, & opus à pluribus pridem occupatum, multáque eruditione tractatum, faſtidioſiùs, quàm vtiliùs, retractare dictitent. Sed vbi conſilii mei rationem, finémque operis; quod ſcribendi genus, quemve ordinem ſecutus ſim, vel ex hoc aditu, vel ex totius operis, ſi grave tibi non erit, lectione cognoveris; futurum equidem ſpero, vt me ab hac calumnia vindices, & quod ab aliis feliciter inceptum, ſi non perfeciſſe omnino, ſaltem promoviſſe non parùm, hocce qualicunque labore meo exiſtimes.

Finem mihi omnino triplicem in hoc opere conſtitui. Primum quidem, vt Ariſtotelæam de moribus doctrinam perfacili methodo, câque nec nimis conciſâ, nec laxiori, ſed juſtâ, & Latinâ ad ſcholarum vſum accommodarem. Alterum, vt nobiliſſimæ juventutis, quæ curæ meæ non pœnitendo fructu in philoſophandi munere commiſſa nunc eſt, aut committe-

tur in poſterum, faſtidium, quod in ſcribendo ſanè plurimum eſt, levarem ex parte, & quod à ſcriptione tempus ſupereſſet, diſputationi, quæ cos ingeniorum eſt, parénſque veritatis, vtiliùs impenderem. Tertium denique, vt non profanæ modò, ſed ſacræ etiam Ethicæ præceptis excultam juventutem ad altiorem finem, hoc eſt cœleſtem ac planè divinum ſenſim attollerem. Cùm enim ex ea Societate ſim, cujus inſtituti ratio id agit vnum, vrgétque potiſſimùm, vt cùm litterarum, tum virtutum moralium, & Chriſtianarum ſtudiis inſtructior, paratiórque è ſcholis noſtris juventus prodeat; itáque vtriuſque generis præceptorum vbertate completa, cultum veræ virtutis ac religionis in ſe primùm, in aliis deinde toto poſthac vitæ decurſu conſtanter promoveat; ab eo, quod profiteor, inſtituto alienum quidpiam, & abhorrens in meo opere feciſſe viderer, ſi de vna morum diſciplina egiſſem, quæ fine duntaxat naturali continetur.

Hæc, quæ dudum animo propoſueram, vt commodè præſtarem, multos Ariſtotelis interpretes tum veteres, tum recentes: quæ D. Thomas in Summa ſua de virtutibus ſcripſit pereruditè, ejúſque commentatores legi accuratiùs, & in ſuccum ac ſanguinem antè converti, quàm ad ſcribendum accederem: profanæ Ethicæ ſacram adjunxi, & quæſtiones aliquot juxtà, & obſervationes ex Theologiæ penu depromptas huicce identidem operi intexui: nonnulla demum è SS. Patribus ad majorem doctrinæ ſanitatem præſidia mihi comparavi, quò major conſenſus vtriuſque Ethicæ appa-

Digitized by Google

reret, roboris nonnihil à tantorum virorum authoritate pronunciatis meis, & momenti accederet, finem denique, quem mihi conſtitui, faciliùs, tutiúſque aſſequerer.

Ad genus ſcribendi quod attinet, non incultum illud quidem, nimíſque preſſum, nec excultius etiam, & juſto plus diffuſum, ſed ex vtroque temperatum ſectatus ſum; Ariſtotelem vtique ducem imitatus, qui vt in aliis pugnatricis Philoſophiæ partibus preſſè, & anguſtè diſſeruerit, in hac certè latior haud paulò, ornatiórque viſus eſt. Amant quippe nervoſius, contractiúſque diſputandi genus aliæ partes, quod haſtarum modo contortum, argumentorum vi, & robore conſenſum vel ab invitis extorqueat, non amicè obtineat, quia ſubtilioris ſunt diſquiſitionis, & contentionis pleniſſimæ.

At cùm Moralis diſciplinæ ſit voluntatem afficere potiſſimùm, & commovere vehementiùs; itáque ad honeſtatis decus impellere, eam illabi ſuaviùs in animum leni orationis tractu neceſſe eſt: non barbarè efferri illa debet, ſed ornatè vtcunque: non irrumpere per vim, ſed quibuſdam verborum quaſi lenociniis conſenſum eblandiri. Præterea, cùm argumenta, quibus nititur, non ex abditis rerum fontibus eruat, ſed ex accurata rerum ſingularum complexione, & communi vivendi conſuetudine depromat; quis non inde facilè intelligat, nec in dumeta Logicæ ipſam compelli oportere, nec in Metaphyſicæ ſalebras incurrere?

Scripſerunt de rebus moralibus autores quamplurimi, fateor; multò eruditiùs, ſubtiliúſque,

Digitized by Google

quàm ipſe ſcripſerim, non nego: ſed anguſtiùs alii, jejuniúſque, quàm par ſit: copioſiùs alii ac verboſiùs, quàm rei moralis tractatio vſui ſcholarum opportuna ferat. Apud illos veritas nuda ac ſimpliciori cultu jacet; apud hos verborum multitudine oppreſſa vix apparet, & extat. Et quemadmodum lux modica oculos parùm juvat, nimia perſtringit, temperata recreat: ita brevitas illorum diſputandi preſſior, ſuo quaſi Lectorem debito fraudat, redundans iſtorum copia obruit: quæ ab amborum exilitate, & redundantia forma procul abſit, juſta demum ac ſuis perfecta numeris videatur. Quæ à me non ideo dicta ſunt, LECTOR BENEVOLE, vt tantis authoribus laudis aliquid detractum velim, quorum laboribus ſi hoc opus multùm debere diffitear, parùm gratus in eoſdem videar; ſed vt quod ſcribendi genus probem maximè, intelligas, quod ad hanc formam ita comparavi, vt nec verborum ipſi germanitas, nec omnis etiam ornatus deſit. Quin etiam paſſus ſum orationem ſub finem diſputationum liberiùs interdum excurrere, vt defeſſum ab gravis, & auſteri argumenti lectione auditoris animum qualiſcunque orationis lepos, ſic quaſi amœnior campus, ſuaviùs exciperet, & ad honeſtatis cultum, qui fructus eſt Ethicæ longè vberrimus, quò jucundiùs, eò efficaciùs impelleret. Quod ſupereſt, ſi quam formam ſcribendi, ideamq; expoſui, videar tibi aſſecutus, LECTOR BENEVOLE, gaudebo equidem. Sin minùs; conatum ſaltem, quæ tua humanitas erit, non improbabis.

De ordine nihil hîc opus multa proloqui,

cùm ex prooemiali diſputatione ſatis conſtet. Vnum eſt tamen, quod te moneri oportuit, quartam Ethicæ partem, quæ eſt de principiis morum infuſis, à me conſultò fuiſſe prætermiſſam, ne hoc volumen juſto majus foret, aut certè in Theologorum poſſeſſionem viderer plus juſto involaſſe.

Cæterum ſi quæ menda in hoc opus irrepſere, æqui, bonique conſulés, LECTOR BENEVOLE, nimiæque feſtinationi, quâ hoc opus ad vſum ſcholæ meæ deproperavi, potiùs, quàm incuriæ tribues. Faxit Deus Optimus Maximus, vt hoc opus noſtrum ad ipſius gloriam, legentium vtilitatem, & juventutis noſtræ, cujus causâ ſemper plurimùm hactenus volui, velímque in poſterum, ſalutem feliciter cedat. Vale, LECTOR BENEVOLE, & fave.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Lege*
6	22	vt	verò
9	28	§. 2.	§. 3.
11	3	prima	tertia
14	24	§. 3.	§. 4.
26	4	nec per ſe, nec	& per ſe, &
49	12	ſpeculativè	*dele*
50	20	Amor	actus
52	32	Bavonius	Pavonius
53	29	quia eſſe	quia deberet eſſe
70	17	formaliter	fundamentaliter
71	15	moraliter	materialiter
80	24	tertia	ſecunda
90	21	§. 1.	§. 2.
91	7	alverarii	alvearii

Digitized by Google

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Lege.*
103	23	apes	formicæ
108	5	alio	aliâ
145	10	Diſp. quarta.	tertia
184	17	præmio	prælio
ibid.		§. 4.	§. 5.
224	21	ſuffigere	ſuffugere
228	28	extrinſecus	extrinſecùs
236	32	deficiuntur	definiuntur
293	*pen.*	nuincibilem	invincibilem
311	22	ignorantia	ignorantiæ
353	26	potuit	ponit
361	15	quia peccavit	quia non peccavit
364	2	cauſam ovente	cauſa movente
379	20	illam producendã	illum producendũ
380	7	eam	eum
ibid.	9	altero amoris	& ejus
375	30	intrinſeco	extrinſeco
385	29	poſſet mori	poſſet non mori
388	24	vt tamen	ita tamen vt
392	20	intentione	intenſione
407	33	vt	vt vel
408	29	οὐκ ἔστι	ἔστι
410	14	intellectus, qui	intellectus
436	34	pari præceptum	pari. Præceptum
463	13	quatuor	tria
466	12	cõcipiendæ relat.	*dele.*
498	11	imperat	imperat actum
488	31	τέ	τε
ibid.	23	ἐνίοτε τε	ἐνίοτέ τε
489	2	quo quaſi	quo, quaſi

INDEX.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

De natura, proprietatibus & principiis Ethicæ. page 3

ART. I. AN ſit, & quid ſit Ethica. ibid.
§. 1. De exiſtentia Ethicæ. ibid.
§. 2. De cauſa materiali & formali Ethicæ. p. 5
§. 3. Definitur Ethica. pag. 9
§. 4. De cauſa efficiente, & finali Ethicæ. pag. 14.
ART. II. De diviſione, ordine & auditore Ethicæ. pag. 21
§. 1. Diviſio Ethicæ in ſuas partes. ibid.
§. 2. Quis ordo Ethicæ. pag. 23.
§. 3. Quis auditor idoneus Ethicæ. p. 27

PARS PRIMA ETHICÆ.

De principio finali morum, ſive de beatitudine. *pag.* 30

DISPVTATIO PRIMA.

De bono, & malo. pag. 31

ART. I. DE natura boni. ibid.
§. 1. Diviſio boni. ibid.
§. 2. De eſſentia bo-

ni. pag. 34

ART. II. *Proprietates boni.* p. 39

§. 1. *An omnia bonum appetant, & quo appetitu.* p. 40

§. 2. *An malum quà malum appeti poſſit.* pag. 41

§. 3. *Diluuntur objecta.* pag. 47

APPENDIX. De natura mali. p. 54

ART. I. *De cauſis intrinſecis mali.* p. 55

§. 1. *Diviſio mali.* ib.

§. 2. *Prænotanda ad quæſtionem,* pag. 56

§. 3. *In quo poſita ſit mali, & peccati eſſentia.* pag. 57

§. 4. *De cauſa materiali malitiæ.* p. 63

§. 5. *Diluuntur objecta.* pag. 64

ART. II. *De cauſis mali extrinſecis.* p. 71

§. 1. *An ſit cauſa finalis mali.* ibid.

§. 2. *Quænam ſit cauſa efficiens mali.* p. 73

§. 3. *Diluuntur objecta.* pag. 77

DISPVTAT. II. De fine. p. 80

ART. I. *De natura finis.* p. 81

§. 1. *Quotuplex ſit finis, & quid ſit.* ib.

§. 2. *An finis, & bonum convertantur.* p. 83.

ART. II. *An omnia agant propter finem, & quomodo.* p. 85

§. 1. *An res intelligentia participes agant propter finem formaliter.* ibid.

§. 2. *An bruta animantes agant propter finem formaliter.* p. 90

§. 3. *Diluuntur objecta.* p. 101

§. 4. *An agentia naturalia cognitionis expertia agant propter finem.* p. 112

ART. III. *An detur actionum finis vltimus.* p. 116

§. 1. *An detur finis vltimus.* ibid.

Digitized by Google

§. 2. *Quis ſit finis vltimus: & an omnis appetitio in eum feratur.* p. 123

§. 3. *Diluuntur objecta.* pag. 128

§. 4. *Quomodo res creatæ tendant in Deum, & gloriam illius procurent.* p. 132

§. 5. *An homo poſſit habere plures fines ſimpliciter vltimos, totales, & adæquatos.* p. 142

DISPVTAT. III. De beatitudine. 145

ART. I. *De beatitudine naturali hominis.* ibid.

§. 1. *Prænotanda de beatitudine vt ſic.* p. 466

§. 2. *Quænam ſit beatitudo objectiva hominis.* p. 147

§. 3. *Diluuntur objecta.* pag. 159

§. 4. *De beatitudine formali hujus ſtatus.* pag. 162

ART. II. *De beatitudine ſupernaturali hominis comprehenſoris.* p. 168

§. 1. *De beatitudine objectiva ſupernaturali hominis in altera vita.* ibid.

§. 2. *In quo poſita ſit beatitudo formalis ſupernaturalis alterius vitæ.* p. 171

§. 3. *Eſſentia formalis beatitudinis patriæ, in intuitiva Dei viſione conſiſtit.* p. 173

§. 4. *Diluuntur objecta, quæ petuntur ex Philoſophia.* p. 177

§. 5. *Diluuntur objecta petita ex Theologia.* pag. 184

§. 6. *Dubia de viſione ſolvuntur.* p. 188

ART. III. *De complemento beatitudinis.* p. 196

§. 1. *De complemento beatitudinis animæ.* ibid.

§. 2. *De complemento beatitudinis corporis.* pag. 204

§. 3. *Quæſtiones de reſurrectione.* p. 211

Digitized by Google

APPENDIX. De miſeria, ſeu de ſummo malo hominis Chriſtiani. p. 212

PARS SECVNDA.

De principiis morum, ſeu humanorum actuum effectivis. *p.* 240

DISPVTATIO VNICA. De principiis morum innatis. ibid.

ART. I. *Conditiones ad libertatem ex parte intellectus.* p. 241

§. 1. *An voluntas ſemper agat ex pravia cognitione intellectus.* ibid.

§. 2. *Diluuntur objecta.* p. 246

§. 3. *Quanam cognitio ad libertatem requiratur.* p. 249

§. 4. *Quaſtio ſolvitur.* p. 252

§. 5. *An judicium practicè practicum neceſſitet voluntatem.* p. 261

§. 6. *Diluuntur objecta.* p. 264

ART. II. *De voluntario, & involuntario.* p. 269

§. 1. *De voluntario ejúſque diviſione.* p. 270

§. 2. *De involuntario, & ejus diviſione.* p. 274

§. 3. *An voluntas poſſit pati violentiam in actibus ſuis.* p. 277

§. 4. *Quomodo metus ſit cauſa involuntarii.* p. 282

§. 5. *Quomodo concupiſcentia ſe habeat ad voluntarium, & liberum.* p. 287

§. 6. *Quomodo ignorantia ſe habeat ad vo-*

Digitized by Google

luntarium, & liberum. p. 291

APPENDIX ART. II. *An omnis ignorantia invincibilis tollat voluntarium.* p. 295

§. 1. *Solvitur quæſtio.* p. 297

§. 2. *Diluuntur objecta.* p. 301

§. 3. *An omnis peccans ſit ignorans.* p. 310

ART. III. *De eſſentia libertatis.* p. 320

§. 1. *Prænotanda ad intelligentiam liberi.* p. 321

§. 2. *Principia doctrinæ Ianſenianæ & Catholicæ.* p. 323

§. 3. *Sententia Catholica aſtruitur.* p. 325

§. 4. *Probatur authoritate Scripturæ, & Conciliorum.* p. 328

§. 5. *Stabilitur authoritate Divi Auguſtini, & ſancti Thomæ.* p. 335

§. 6. *Confirmatur authoritate Ariſtotelis.* p. 340

§. 7. *Probatur ratione.* p. 343

§. 8. *Quæ indifferentia requiratur ad eſſentiam libertatis.* p. 346

§. 9. *Quæſtiones variæ de natura libertatis.* p. 351

ART. IV. *Diluuntur objecta.* p. 357

§. 1. *Canones ad intelligentiam doctrinæ D. Auguſtini, & D. Thomæ præſcribuntur.* ibid.

§. 2. *Diluuntur objecta ex S. Auguſtino, & D. Thoma petita.* p. 368

§. 3. *Diluuntur objecta ex parte Dei.* p. 376

§. 4. *Diluuntur objecta ex libertate Chriſti, & beatorum petita.* p. 383

§. 5. *Diluuntur reliqua objecta.* p. 391

ART. V. *De ſubjecto, objecto, & fine liber-*

Digitized by Google

tatis. p. 397

§. 1. *De ſubjecto libertatis.* ibid.

§. 2. *De objecto, & fine libertatis.* p. 402

§. 3. *Conſectaria ex dictis de libertate.* p. 404

§. 4. *Partitio actuum voluntatis circa finem, & media.* p. 406

§. 5. *De actibus voluntatis circa finem.* p. 408

§. 6. *De actibus volũtatis circa media.* p. 413

§. 7. *De actu imperante, & imperato.* p. 421

§. 8. *Diluuntur objecta.* p. 425

§. 9. *Quibus potentiis imperetur.* p. 428

§. 10. *Deus impoſſibilia non jubet.* p. 434

APPENDIX. Quomodo ritè facienda electio. p. 437

§. 1. *De iis, quæ electionem antevertunt.* p. 438

§. 2. *De electione, & uſu.* p. 453

PARS TERTIA.

De moralitate, ſeu bonitate, & malitia actuum humanorum. *p.* 458

DISPVTATIO VNICA.

De moralitate actus humani in genere. ibid.

ART. I. *Natura, cauſa, & effectus moralitatis examinantur.* p. 459

§. 1. *Quædam præno-*

tanda. ibid.
§. 2. *Definitur quid ſit moralitas.* p. 460
§. 3. *De ſubjecto, & fundamento moralitatis.* p. 464
§. 4. *De termino, ſeu regula moralitatis remota.* p. 467
§. 5. *De regula proxima moralitatis.* p. 471
§. 6. *Diluuntur objecta.* p. 477
§. 7. *Proprietates, & effectus moralitatis.* p. 481
ART. II. *De cauſis bonitatis, & malitia formalis.* p. 484
§. 1. *An bonitas, & malitia petantur ab objecto.* ibid.
§. 2. *Quomodo bonitas, & malitia petantur à circumſtantiis.* p. 488
§. 3. *An bonitas, & malitia petantur ex fine.* p. 495
§. 4. *Quæ relatio actus in finem requiratur ad bonitatem.* p. 497
§. 5. *Quomodo ab objecto, fine, & circumſtantiis bonitas, & malitia petantur.* p. 500
§. 6. *Canones ad diſcernendum peccatum mortale.* p. 507
ART. III. *An dentur actus indifferentes.* p. 511
§. 1. *An dentur actus indifferentes in ſpecie.* p. 512
§. 2. *An dentur actus indifferentes in individuo.* p. 513
§. 3. *Diluuntur objecta.* p. 520

PARS QVINTA.

De principio materiali morum, ſeu de paſſionibus animæ. p. 529

DISPVTATIO PRIMA.

De paſſionibus in communi. p. 531

ART. I. *De naturâ paſſionum in genere.* p. 531

§. 1. *De cauſa formali paſſionis in genere.* ibid.

§. 2. *De cauſa materiali, ſeu ſubjecto paſſionum.* p. 537

§. 3. *De numero paſſionum.* p. 547

ART. II. *De cauſa efficiente, & finali paſſionum.* p. 554

§. 1. *De cauſa efficiente paſſionum.* ibid.

§. 2. *De cauſa finali, & vſu paſſionum.* p. 564

ART. III. *De ordine paſſionum.* p. 568

§. 1. *Quis ſit ordo generationis, & intentionis inter paſſiones.* ibid.

§. 2. *Quis ſit ordo dignitatis inter paſſiones.* p. 573

ART. IV. *De moralitate affectuum.* p. 578

§. 1. *An affectus de ſe ſit bonus vel malus.* ibid.

§. 2. *Quomodo paſſiones ſe habeant ad peccatum.* p. 584

ART. V. *Ars moderandi paſſiones, ſeu remedia paſſionum.* p. 589

§. 1. *Remedia interna paſſionum.* p. 590

§. 2. *Externa remedia.* p. 596

§. 3. *Dominium paſſionum.* p. 598

DISPVTATIO II. De paſſionibus appetitus concupiſcentis. p. 606

ART. I. De *amore*. ib.

§. 1. *Quid ſit amor, & quotuplex.* ibid.

§. 2. *De cauſis amoris.* p. 611

§. 3. *Effectus, & characteres amoris.* p. 618

§. 4. *Remedia amoris.* p. 628

APPENDIX. De amore ſui.

§. 1. *Quædam prænotanda.* p. 630

§. 2. *Quæſtio definitur.* p. 631

§. 3. *Characteres vtriuſque amoris in viro probo, & improbo.* p. 637

ART. II. *De odio.* p. 640

§. 1. *Quid ſit odium, & quotuplex.* p. 641

§. 2. *Cauſæ odii.* p. 645

§. 3. *Effectus, & characteres odii.* p. 650

§. 4. *Remedia odii.* p. 653

ART. III. *De concupiſcentia ſeu deſiderio, & abominatione.* p. 655

§. 1. *Quid ſit concupiſcentia, ſeu deſiderium.* p. 656

§. 2. *Cauſæ deſideriorum.* p. 660

§. 3. *Effectus, & characteres deſiderii.* p. 663

§. 4. *Remedia deſiderii.* p. 665

§. VLT. *De abominatione.* p. 667

ART. IV. *De voluptate, ſeu delectatione.* p. 668

§. 1. *Quid ſit voluptas, & quotuplex.* ibid.

§. 2. *Voluptates inter ſe comparatæ.* p. 673

§. 3. *Cauſa voluptatis.* p. 677

§. 4. *Effectus, & characteres voluptatis, ſeu delectationis.* p. 681

§. VLT. *Remedia.* p. 768

Digitized by Google

ART. V. *De dolore, ſeu triſtitia.* p. 689
§. I. *Quid ſit dolor, & quotuplex.* ibid.
§. 2. *Triſtitia, & voluptas inter ſe comparata.* p. 692
§. 3. *De cauſis doloris, ſeu triſtitia.* p. 694
§. 4. *Effectus, & characteres doloris.* p. 698
§. VLT. *Remedia doloris, ſeu triſtitia* p. 704

DISPVTATIO III. De paſſionibus appetitus iraſcentis. p. 706

ART. I. *De ſpe.* ibid.
§. I. *Quid ſit ſpes, & quotuplex.* p. 707
§. 2. *De cauſis ſpei.* p. 712
§. 3. *Effectus, & characteres ſpei.* p. 714
§. 4. *Remedia ſpei.* p. 717
ART. II. *De deſperatione.* p. 718
§. I. *Quid ſit deſperatio, & quotuplex.* p. 719
§. 2. *De cauſis deſperationis.* p. 722
§. 3. *Effectus, & characteres deſperationis.* p. 724
§. VLT. *Remedia.* p. 726
ART. III. *De audacia, & timore.* p. 727
§. I. *Quid ſit audacia.* ibid.
§. 2. *De cauſis audacia.* p. 729
§. 3. *Effectus, & characteres audacia.* p. 732
§. 4. *Remedia audacia.* p. 739
§. 5. *Quid ſit timor, & quotuplex.* p. 740
§. 6. *Qua ſint cauſa timoris.* p. 744
§. 7. *Effectus, & characteres timoris.* p. 749
§. VLT. *Remedia timoris.* p. 753
ART. VLT. *De ira.* p. 755
§. I. *Quid ſit ira.* p. 756
§. 2. *De ira ſpeciebus.* p. 761

§. 3. *De cauſis iræ.* p. 765
§. 4. *Effectus, & characteres iræ.* p. 770
§. 5. *Remedia iræ.* p. 778

PARS SEXTA.

De principiis morum acquiſitis, ſeu virtutibus moralibus. p. 784

DISPVTATIO PRIMA.
De habitibus ſecundùm ſe. ibid.

ART. I. *De exiſtentia, & natura habitus.* 785
§. 1. *An ſit, quid ſit habitus, & quotuplex.* p. 785
§. 2. *Natura habituum explicatur.* p. 791
§. 3. *Diluuntur objecta.* p. 800
§. 4. *Secunda ſententia explicatur.* p. 805
§. 5. *De cauſa materiali; ſeu ſubjecto habituum,* p. 809
§. 6. *De cauſa efficiente habituum.* p. 815
§. 7. *De cauſa finali habituum.* p. 821
ART. II. *De perfectione, & efficientia habituum.* p. 822
§. 1. *De perfectione intenſiva habituum.* p. 823
§. 2. *De perfectione extenſiva habituum.* p. 826
§. 3. *De efficientia habituum.* p. 830
§. 4. *Diluuntur objecta.* p. 834
ART. III. *Quomodo habitus minuantur, & corrumpantur.* p. 838
§. 1. *An per ceſſationem actuum habitus minui, & corrumpi poſſit.* p. 839
§. 2. *An habitus cor-*

rumpatur defectu ſubjecti aut per formam contrariam. p. 842

§. 3. *Variæ quæſtiones circa naturam habituum ſolvuntur.* p. 844

APPENDIX. De habitibus ſupernaturalibus. p. 852

§. 1. *Natura, & exiſtentia habituum ſupernaturalium.* p. 852

§. 2. *De intenſione, remiſſione, & corruptione habituum ſupernaturalium.* p. 856

DISPVTATIO II. De virtutis natura in communi. p. 864

Art. I. *Quid ſit virtus.* ibid.

§. 1. *Genus virtutis.* p. 865

§. 2. *Virtutis differentia.* p. 870

§. 3. *An omnis virtus in medio poſita ſit?* p. 874

§. 4. *Diluuntur objecta.* p. 880

§. 5. *Ratio inveniendi medii.* p. 884

Art. II. *De cauſis virtutis.* p. 889

§. 1. *De cauſa materiali virtutis moralis.* ibid.

§. 2. *De cauſa efficiente virtutum.* p. 894

§. 3. *De cauſa finali virtutum.* p. 906

§. 4. *Quæſtio definitur.* p. 909

§. 5. *Diluuntur objecta.* p. 920

§. 6. *De connexione virtutum.* p. 931

§. 7. *Diluuntur objecta.* p. 935

APPENDIX. De vitiis in communi. p. 941

Digitized by Google

§. 1. *Quid ſit vitium.* p. 924
§. 2. *De ſtatu vitiorum.* 945
§. 3. *De cauſis, proprietatibus, & effectis vitiorum.* p. 952
§. 4. *Solvuntur variæ quæſtiones de habitibus vitioſis.* p. 955

DISPVT. III. De virtutibus in particulari, ſeu virtutibus cardinalibus. p. 960

ART. I. *De numero, nomine, ordine, & partibus virtutum cardinalium.* p. 961
§. 1. N*umerus, & nomen virtutum cardinalium.* ibid.
§. 2. *De ordine, & partibus virtutum cardinalium.* 965
ART. II. *De prudentia.* p. 967
§. 1. *Quid ſit prudentia.* ibid.
§. 2. *De partibus prudentiæ.* p. 976
§. 3. *De vitiis prudentiæ oppoſitis.* p. 988
§. 4. *De cauſis, proprietatibus, & effectibus prudentiæ.* p. 998
ART. III. *De juſtitia.* p. 1006
§. 1. *Quid ſit juſtitia, & quotuplex.* p. 1007
§. 2. *Objectum, & actus juſtitiæ.* p. 1011
§. 3. *De juſtitiæ extremis.* p. 1019
§. 4. *Species juſtitiæ ſeu partes ſubjectivæ.* p. 1026
§. 5. *De juſtitia legali.* p. 1030
§. 6. *De juſtitia diſtributiva, & commutativa.* p. 1040
§. 7. *De injuſtitia, & injuſto.* p. 1053
§. 9. *De partibus juſtitiæ integrantibus, & poteſtativis.* p. 1061
§. 10. *De Religione.* p. 1063
§. 11. *De vitiis religioni oppoſitis.* p. 1090
§. 12. *De pietate.* p. 1106
§. 13. *De obſervantia.* p. 1114

Digitized by Google

§. 14. *De obedientia.* p. 1119
§. 15. *De gratitudine.* 1130
§. 16. *De ingratitudine.* ibid.
§. 17. *Canones de juſtitia vindicativa, & vindicatione.* p. 1143
Art. IV. *De fortitudine.* p. 1147
§. 1. *Quid ſit fortitudo.* ibidem.
§. 2. *Varia ſpecies fortitudinis.* p. 1158
§. 3. *De cauſis, & officiis vera fortitudinis.* p. 1173
§. 4. *De partibus fortitudinis.* 1187
Art. V. *De temperantia.* p. 1197
§. 1. *Quid ſit temperantia.* ibid.
§. 2. *De vitiis temperantia oppoſitis.* p. 1204
§. 3. *De partibus temperantia.* p. 1211
§. 4. *De abſtinentiâ, ſobrietate, caſtitate, & pudicitiâ.* p. 1213
§. 5. *De verecundiâ, & honeſtate.* p. 1220
§. 6. *De continentiâ, & tolerantiâ.* p. 1234
§. 7. *De modeſtia.* p. 1239

DISPVTATIO VLT. De virtutibus minùs principalibus. p. 1262

Art. I. *De liberalitate, & magnificentia.* ibid.
§. 1. *Quid ſit liberalitas, & qua affectiones, ſeu officia illius.* p. 1263
§. 2. *De vitiis liberalitati oppoſitis.* p. 1274
§. 3. *De magnificentiâ.* p. 1280
§. 4. *De magnificentia extremis.* p. 1290
Art. II. *De magnanimitate, & modeſtia.* p. 1294
§. 1. *De magnanimitate.* ibid.
§. 2. *Magnanimi officia, nota, & proprietates.* p. 1300
§. 3. *Extrema magnanimitatis.* p. 1307

Digitized by Google

§. 4. *De modeſtia, & ejus extremis.* p. 1311

ART. III. *De manſuetudine, & clementiâ.* p. 1314

§. 1. *Quid ſit manſuetudo.* ibid.

§. 2. *De manſuetudinis extremis.* p. 1319

§. 3. *De clementia.* p. 1323

§. VLT. *De clementiæ extremis.* p. 1326

ART. IV. *De virtutibus civilibus.* p. 1329

§. 1. *De comitate, & ejus extremis.* ibid.

§. 2. *De vitiis comitati oppoſitis.* p. 1335

§. 3. *De veracitate.* p. 1338

§. 4. *De vitiis veracitati oppoſitis.* p. 1342

§. 5. *De vrbanitate.* p. 1352

§. 6. *De extremis vrbanitatis.* p. 1362

APPENDIX. De virtute heroïca. p. 1364

§. 1. *Natura virtutis heroïcæ.* p. 1365

§. 2. *De cauſa efficiente, finali, & materiali virtutis heroïcæ.* p. 1371

§. 3. *De proprietatibus, & effectis virtutis heroïcæ.* p. 1378

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

C*AVTVM eſt auctoritate Regis, ne quis in ejus regno, aliiſve locis ejus ditioni ſubjectis, intra decem proximos annos, librum, qui ſic inſcribitur :* Accurata totius Philoſophiæ inſtitutio juxta principia Ariſtotelis in plures tomos diſtributa ad vſum ſtudioſæ juventutis, Auctore P. IACOBO CHANNEVELLE Societatis IESV Sacerdote, *abſque Edmundi Martini Pariſienſis Typographi permiſſu excudat, aut vendat, à die publicationis exemplarium : qui ſecùs fecerit, mulcta ei indicta, prout ampliùs in diplomate regio continetur, dato Pariſiis die 4. menſis Martii 1666. & ſignato ex mandato Regis,* MABOVL. *Quod & in acta Typographorum & Bibliopolarum Pariſienſium relatum eſt, die 5. Martii ejuſdem anni 1666. à* SIMEONE PIGET *Syndico.*

Prima editio ETHICÆ VNIVERSALIS, abſoluta fuit, die 13. Martii 1666.

Digitized by Google

ETHICA VNIVERSALIS.

DE PRINCIPIIS MORVM *in communi.*

PROOEMIVM.

AB arduis ſubtilioris Logicæ, quibus mens ad verum informatur, quæſtionibus ad faciliorem Philoſophiæ partem delabimur, quæ inter actuoſas diſciplinas dignitate prima eſt, vtilitate maxima, jucunditate potiſſima. Cùm enim in inſtituendis hominum moribus, & formanda ſapientis idea, planè tota ſit; cùm rationem excolat ad omne honeſtatis decus, quanta ſit in vitiis deformitas, quantus in virtutibus ſplendor, edoceat; cùm vni demum felicitati, quâ nullum præſtantius diuiniúſque bonum, comparandæ incumbat, tantùm reliquis artibus ipſam præſtare neceſſe eſt,

Digitized by Google

quantùm virtus, morum honeſtas, vita beata, bonis cæteris antecellit. Suas quippe habet animus, perinde ac corpus, ægrotationes, morbóſque ita difficiles, vt niſi Ethica ſua præcepta, quaſi remedia adhibeat, levari ab iiſdem ipſe non poſſit; multò minùs ſanari. Laborat ipſa ratio rerum agendarum ignorantiâ, voluntas virtutum inopiâ, cupiditatum nimio plus juſto ſeſe efferentium exuberantiâ appetitus: ignorantiam præceptionum ſuarum luce diſpellit Ethica; voluntatis inopiam opibus virtutis ſublevat; cupiditates reprimit, dum ad normam rectæ rationis exigit; omnium animi vtique facultatum ſanitatis effectrix eadem, & conſervatrix. Denique quantas voluptates affert, quàm puras & ſinceras partium animi mirabilis conſenſus, quem efficit, facilis & expedita ratio virtutum, quas excolit, notitia ſummi boni, quam parit? Vt meritò eam vitæ ducem & magiſtram morum Cicero, animi medicinam Seneca, artem acquirendæ beatitudinis Auguſtinus, & ſcientiam optimi Plato nuncuparit; cujus ex præceptis tranſactus dies vel vnus, toti ſit peccanti pravorum hominum æternitati anteponendus. Accedit ad diſciplinam tam vtilem comparandam non leve hoc incitamentum, quòd aliæ in materia perdifficili & maximè abſtruſa verſentur, hæc in perfacili miniméque obſcura: in illis errare ſit periculi minus; in iſta labi tantiſper & leuiter offendere periculoſiſſimum, quia *ſi quid peccatum*, inquit Lactantius, *vita omnis evertitur.* Quare cùm ad virtutis cultum, & felicitatem, tanti interſit, hujus partis rationem omnem callere, juvat vtique in eâ pertractandâ paulò diutiùs immorari; ſi tamen pauca priùs de eius naturâ, proprietatibúſque, & principiis attigerimus.

Digitized by Google

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

De natura, proprietatibus, & principiis Ethicæ.

QVINQVE hîc de naturâ Ethicæ examinanda ſunt. Primum, an ſit. Secundum, quid ſit. Tertium, quotuplex. Quartum, quis ordo & methodus ſervanda. Quintum, quis illius idoneus auditor.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſit, & quid ſit Ethica.

EXISTENTIAM habitus poſſibilem probat illius neceſſitas, naturam cauſæ explicant; ideóque juvat Ethicæ poſſibilitatem ex neceſſitate primùm, naturam deinde ex cauſis eruere.

§. 1. *De exiſtentia Ethicæ.*

ETHICA ſpectari poteſt, vel vt poſſibilis, vel vt actualis; videndum itaque, 1. an ſit poſſibilis, 2. an re ipſa exiſtat.

PRIMA ASSERTIO. Poſſibilis eſt Ethica. Probatur 1. tum ex parte Dei, tum ex parte hominis.

Ex parte quidem Dei ſic. Datur cognitio Dei, vt authoris naturæ & primi rerum omnium principii, lumine naturæ parta: Ergo poſſibilis eſt diſciplina, quæ Dei per creaturas cogniti cultum ex lege naturæ præſcribat, atque ita præluceat virtuti ad ejuſdem venerationem inclinanti. Non alia certè,

Digitized by Google

quàm Ethica, cujus eſt virtutes edocere, quibus Deus potiſſimùm colitur.

Ex parte verò hominis. Error in cognoſcendo, & difficultas in agendo habitus poſſibilitatem aſtruunt. Sæpe mens hominis errat in judicio morum, & ægrè honeſtum à turpi ſecernit, quia vitium ſpeciem virtutis ementitur; voluntas, vt pote infirma, & languens virtutem difficilè exercet, torpétque in bono perſequendo: Ergo debet dari habitus Ethicæ, qui mentem ad ſana, & integra de bono judicia impellat, & voluntatem torpentem ad virtutem dirigat, boníque adeptionem.

Probant 2. parabilem homini Ethicam tot libri de moribus inſtituendis & componendis ſcripti, ſedula tot magiſtrorum in informanda ad honeſtatem juventute opera, innata omnibus honeſti cupiditas, impreſſæ altiùs boni malíque notitiæ, & emicantes identidem virtutum igniculi, quos peccati originis labes compreſſit quidem, at non penitùs extinxit.

II. Assertio. Ethica non modò poſſibilis eſt, ſed reipſa in multis exiſtit. Probatur experientiâ eorum, qui vſu aſſiduo & exercitatione errorem in dijudicando honeſto & turpi emendarunt, & ſummam, quam in agendo moraliter difficultatem experiebantur, denique ſuperarunt; itaque facilè iuxta ac ſanè, quid agendum ſit hîc & nunc, jam decernunt, rationem reddunt judiciorum, virtutem expeditè & jucundè exercent: cur autem? niſi quia hab tum Ethicæ compararunt, quo mens actuoſa juv tur in judiciis, voluntas in virtutis exercitio roboratur.

Digitized by Google

§.2. *De cauſa materiali & formali Ethicæ.*

AD faciliorem vtriuſque cauſæ intelligentiam quinque obſeruanda ſunt.

Primum ſit. Cauſa materialis, de qua hîc agitur, altera eſt in qua; altera circa quam: hæc objectum materiale dicitur; illa ſubjectum, vel proximum, ſeu inhæſionis, vel remotum ſeu denominationis.

Secundum. Ethica duplex; ſpeculativa, quæ naturam, & affectiones actionum humanarum ex regulis Ethicæ directarum contemplatur; & actuoſa, cujus eſt actiones humanas ad regulam morum exigere: de quibus, perinde ac de Logica ſpeculativa & practica, nobis ſentiendum ſit.

Tertium. Ethica actuoſa, cùm ſit virtus mentis, ſpectari poteſt, vel vt diſcurſiva eſt, vel vt operativa; & operativa quidem, 1. actionis humanæ, 2. ad ideam, 3. ſub certa quadam ratione; quare quadruplex objectum formale habet, *Propter quod, ad quod, ſub quo, & quod.*

Quartum. Actiones, quæ fiunt ab homine, triplicis generis ſunt, naturales, animales, & humanæ. Naturalis fit ab homine ex nulla cognitione prævia, cujuſmodi eſt nutritio, & accretio: animalis ex cognitione ſenſitiva, & ſine advertentia rationis, vt ſi aliud cogitans oculos aperias: ſed humana iterum duplex, altera quoad ſubſtantiam tantùm, altera quoad ſubſtantiam ſimul & modum. Humanam dico quoad ſubſtantiam, quæ fit ex cognitione perfecta finis, ſed cum neceſſitate & determinatione ad vnum; talis eſt amor beatorum circa Deum intuitivê cognitum: humanam appello quoad modum ſimul & ſubſtantiam, quæ oritur ab homi-

Digitized by Google

ne ex perfecta ratione & cum indifferentia agente; hæc ipſa dicitur moralis, quòd eam diſciplina morum potiſſimùm ſpectet, vt ſi ſciens voléńſque virtutem colas. Ratio hujus diviſionis eſt, quòd eadem hominis anima ſit realiter vegetans, ſentiens & rationalis, adeóque propter eminentiam functiones triplicis animæ obire ipſa poſſit. Porrò quà eſt vegetans, agit ſine cognitione; quà ſentiens, ex cognitione ſenſitiva; quà rationalis, vel ex cognitione ad vnum determinante, vel objectum indifferenter proponente. Primo ſenſu dicitur agere vt natura, ſecundo vt appetitus, tertio vt voluntas, quarto vt liberum arbitrium.

Quintum. Honeſtas actionis humanæ eſt rectitudo ſeu conformitas cum ſua regula, quæcumque illa ſit, vnde redditur meritoria & laudabilis. His animadverſis

Prima Assertio. Ethicæ tum ſpeculativæ, tum practicæ ſubjectum proximum & inhæſionis eſt intellectus; ſpeculativæ quidem, quà ſpeculativus eſt, practicæ verò, quà activus: ſubjectum vt remotum & denominationis ipſe homo. Probatur prima pars. Omnis habitus cognoſcens habet ſedem in intellectu, ſpeculativo, ſi ſpeculativus; practico, ſi practicus: vtraque Ethica eſt habitus cognoſcens: ergo in vtroque intellectu ſedem habet. Confirmatur de intellectu practico; errat enim ſæpe in judiciis tum abſolutis circa bonum in communi, tum comparatis circa bonum in particulari: primò pronunciat bonum eſſe, quod reipſa malum eſt, itaque amandum, quod fugiendum, & ê contra. 2. vbi pronunciavit amandum bonum, quod verè amandum eſt, judicio abſoluto, idem in particulari fugiendum ex dominante cupi-

Digitized by Google

ditate affirmat judicio comparato: at vtrique errori medetur Ethica; primo quidem præceptis generalibus, ex quibus judicia abſoluta dirigit circa bonum & malum in communi; ſecundo verò, quatenus repreſſo per virtutem affectu; qui judiciis comparatis officit, ad judicandum hîc & nunc, vt oportet, inclinat, vnde voluntas ad bonum honeſtum benè afficitur & agit: hinc patet intellectum activum dirigi ſubjectivè ab Ethica, judicia verò practica objectivè, ſed omnia in ordine ad voluntatem. Probatur ſecunda pars, denominationes enim ſunt totius, & ipſe homo dicitur Philoſophus Moralis.

II. ASSERTIO. Objectum materiale, ſeu materia circa quam vtriuſque Ethicæ ſunt actiones humanæ. Probatur. Objectum materiale alicujus habitus duo requirit; primò, vt commune ſit multis habitibus; ſecundò, vt poſſit fieri illius proprium: actiones humanæ vtrumque habent; nam commune ſunt Metaphyſicæ, Phyſicæ & Ethicæ objectum; deinde poſſunt fieri Ethicæ proprium objectum; ſpeculativæ quidem, quatenus ab ea ſecundùm affectiones conſiderari poſſunt; actuoſæ quatenus honeſtate imbui perficique poſſunt; Ergo, &c. 2. Ex Ariſtotele, lib. 6. Eth. c. 4. prudentia & civilis ſcientia ſunt idem: prudentia in humanis actibus dirigendis verſatur; eſt enim recta ratio agibilium: igitur & Ethica, ſeu civilis ſcientia; Hinc

Colliges, dum D. Thomas pro objecto materiali Ethicæ, hominem agentem voluntariè propter finem aſſignat; Giraldus Odonis hominem liberum; alii hominem ad beatitudinem natum vel ſanabilem; intelligi debere de ſubjecto remoto, non proximo, niſi fortè per hominem agentem voluntariè,

Digitized by Google

liberum & ſanabilem, accipiant ipſam hominis operationem voluntariam, liberam & ſanabilem; ſic enim nobiſcum ſentiunt. Sed de cauſa materiali ſatis, jam de formali, quæ quia petitur ab objecto formali, ſit

III. Assert. Ethicæ ſpeculativæ objectum formale ſunt actiones humanæ, quatenus directæ ex regulis rationis ſuas habent proprietates de proprio ſubjecto demonſtrabiles, cujuſmodi hæc eſt. Omnis actus honeſtus eſt laudabilis: actus ex regulis prudentiæ directus eſt honeſtus: ergo omnis actus ex regulis prudentiæ directus eſt laudabilis. Probatur quia hæc eſt ſpecialis ratio, quâ Ethica ſpeculativa diſtinguitur ab omni alio habitu; à Metaphyſica, quæ actiones humanas ſpectat, vt entia; à Phyſica, quæ conſiderat, vt qualitates; ab Animaſtica, quæ contemplatur, vt operationes vitales; denique ab Ethica actuoſa, quæ eaſdem cognoſcit, vt dirigat, & honeſtate imbuat.

IV. Assert. Objectum formale Ethicæ propter quod, vt eſt diſcurſiva, eſt medius terminus; vt eſt activa ad ideam, formale ad quod, ſunt regulæ & præcepta moralia. Probatur prima pars, quia medius terminus ſpecificat concluſionem, & intellectum movet ac determinat ad aſſenſum concluſionis: ergo eſt objectum formale propter quod. Probatur ſecunda: objectum formale ad quod, eſt exemplar ſeu idea, quam ſibi in agendo proponit moralis Philoſophus, & ad quam actus ſuos exigit: at dictamina practica, ſeu principia generalia, qualia ſunt, omne honeſtum eſt proſequendum: omne inhoneſtum eſt fugiendum: Deus eſt colendus, &c. ſibi Philoſophus moralis proponit imitanda, & ad ipſa actiones ſuas exigit, &c. Hinc vides cur exemplar

Ethicæ dicatur à philoſophis lex naturalis, quæ honeſtorum & inhoneſtorum diſcriminis index eſt.

V. Assert. Objectum formale ſub quo Ethicæ actuoſæ, eſt honeſtas, vt inducenda in actiones humanas; ſeu actiones, vt honeſtate perficiendæ; formale quod, honeſtas inducta, ſeu actio honeſta. Probatur prima pars, objectum formale ſub quo diſciplinæ practicæ, eſt ratio ſpecialis ſub qua tendit ad opus: honeſtas, vt inducenda in actionem humanam, ſeu actio humana, vt dirigenda ex præceptis Ethicæ actuoſæ, talis eſt: Ergo honeſtas, vt inducenda in actionem humanam, ſeu actio, vt dirigenda ex præceptis Ethicæ, eſt objectum formale ſub quo. Confirmatur, tum quia per illam honeſtatem, vt inducendam, ab Ethica ſpeculativa diſtinguitur, tum quia omnia ad illam honeſtatem revocat, vel vt principia & cauſas, vel vt ſpecies, vel vt proprietates, ideóque objectum attributionis dici poteſt. Probatur ſecunda pars, objectum formale quod in diſciplinis practicis eſt opus ipſum, quod fit, ſeu forma artificioſa in materiam inducta, ideóque idem eſt ac finis: actio honeſta, ſeu honeſtas in actionem inducta partus eſt Ethicæ actuoſæ, igitur & objectum formale quod. Patet ex dictis cauſam materialem Ethicæ proximam eſſe actiones humanas, formalem verò eſſe honeſtatem, quâ informari poſſunt.

§. 2. *Definitur Ethica.*

Explicatis Ethicæ cauſis facile eſt ex iiſdem ipſius definitionem colligere. Sed quia duplex definitio eſt, alia nominis, alia rei.

Prima Assertio. Ethica, ſi vim & poteſtatem nominis ſpectes, Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ ἔθους,

quæ vox Græca conſuetudinem ſonat, ſeu iteratum operandi modum, quia repetitis actibus gignitur, paulatimque accreſcit. Ethica Latinis Moralis à moribus, qui vel ſunt habitus bene aut malè vivendi; vel actiones ipſæ, quæ aut habitus producunt, aut ab iiſdem producuntur; denique ſcientia civilis ſeu politica, quia in conſtituendis regendiſque civitatibus nobiliſſima pars Ethicæ verſatur; ideóque dicitur ab Ariſtotele princeps & architectonica ob excellentiam, quâ cæteris partibus anteit. Quod ſpectat ad definitionem rei, Auguſtinus definit, lib. 19. de Civit. Dei, cap. 6. Artem honeſtæ vitæ, vbi artem latè ſumit pro qualibet virtute practica mentis.

II. Assert. Exactiùs definitur, virtus mentis directrix actionum humanarum ad honeſtatem. Dicitur 1. virtus mentis, quia reſidet in mente, vt pote virtus cognoſcens, ipſámque dirigit, in ordine ad voluntatem, quam per ſe cæcam regit ac veluti manu ducit certis & nunquam fallentibus præceptis ad proprium opus. 2. Operationum humanarum directrix, id eſt, earum actionum, quæ cum indifferentia & electione fiunt, vnde dicuntur liberæ & morales; de iis enim, quæ neceſſariò fiunt, non traduntur regulæ. 3. Ad honeſtatem, quia honeſtas eſt forma, quam Ethica in actiones inducit.

Porrò cùm ſit practica hæc facultas, rectè monet Ariſtoteles finem ejus non eſſe, contemplari ſingula & cognoſcere, ſed agere. *Nec enim*, vt ait 10. Ethic. cap. 9. *in virtute ſatis eſt ſi eam noverimus, ſed vt eam habeamus, ipſáque vtamur, eſt enitendum, vel ſi quo alio modo boni efficiamur.* Ariſtoteli concinit Seneca, epiſt. 16. *Latrunculis*, inquit, *ludimus. In ſupervacaneis ſubtilitas teritur. Non faciunt iſta*

Digitized by Google

bonos. ſed doctos. Apertior res eſt ſapere, immo ſimplicior: Paucis opus eſt ad bonam mentem litteris.

PRIMA ASSERTIO. Ethica practica idem eſt realiter cum prudentia acquiſita docente.

Probatur. Habent eamdem definitionem, idem ſubjectum & objectum, eadémque munera: Ergo ſunt idem habitus. Probatur antecedens per partes. 1. Definitur prudentia, habitus vera cum ratione activus, circa ea, quæ homini ſunt bona vel mala; quæ definitio congruit Philoſophiæ Morali. 2. Intellectus eſt vtriuſque ſubjectum. 3. Rectitudo actionum humanarum eſt formale vtriuſque objectum. 4. Habent eadem munera: docent enim ambæ, quæ ſint præcepta vniverſalia de rebus agendis, quis finis hominis eſſe debeat, quomodo colendæ virtutes.

Secundò. Ethica eſt virtus mentis: ergo vna è quinque virtutibus intellectualibus. Non eſt habitus primorum principiorum, ſaltem adæquatè: Non ſapientia, quia ſapientia per altiſſimas cauſas, hæc verò per proximas agit; vnde dum dicitur Philoſophus Moralis ſapiens, non dicitur ſtrictè ſapere, ſed latè, eâ nempe ſapientiâ, quâ prudens creditur ſapere & ſcire: Non ſcientia, quia ſcientia eſt purè ſpeculativa, Ethica autem, de qua hîc agimus, practica: Non ars, quia ars dirigit intellectum. Ethica autem voluntatem, primò & per ſe: ergo ſupereſt, vt ſit prudentia; hinc Ariſtoteles, cap. 8. lib. 6. ait Politicam & prudentiam eſſe eumdem habitum, & ratione tantùm differre.

II. ASSERT. Ethica non eſt idem cum prudentia vtente formaliter & præcisè ſpectata, quatenus prudentia vtens eſt, licèt entitativè ſit eadem.

Probatur. Prudentia vtens connotat præceptum de bono proſequendo, ipsámque executionem & vſum boni: atqui Ethica non ſemper tendit ad executionem & vſum boni: Vt enim quis dicatur Philoſophus Moralis, ſufficit, ſi rectè conſultet, deliberet, judicet, & rationem rectè agendi, finémque acquirendi præſcribat, licèt non agat ex regulis à ſe traditis. Eſt tamen entitativè eadem, quia nulla eſt neceſſitas diſtinctionis realis, potéſtque docens vti, modo ſit benè affecta voluntas. Quod ſi tamen per vtentem prudentiam intelligas cum aliquibus voluntatem rectè agentem ex regulis prudentiæ, diſtinguitur haud dubiè realiter à docente.

Objicies 1. Multi Philoſophi Morales non ſunt prudentes: ergo prudentia non eſt idem cum Ethica.

Reſp. diſting. antecedens. Prudentiâ vtente, concedo: docente, nego. Nam ſemper habent docentem prudentiam, licèt non habeant vtentem formaliter, quia ex vitio depravatæ voluntatis non applicant præcepta ad vſum.

Inſt. Omnis prudens eſt bonus; ergo omnis Philoſophus Moralis eſſet bonus.

Reſp. diſting. antecedens. Prudens prudentiâ tantùm docente, eſt bonus, nego: vtente, concedo. Nam bonitas oritur ex actione honeſta, actio autem honeſta ab vtente prudentia.

Inſt. 2. Saltem qui prudenter ageret, diceretur Philoſophus Moralis: at multi ſine Ethica acquiſita prudenter agunt: Ergo, &c.

Reſp. diſting. majorem. Qui prudenter ageret prudentiâ naturali & experimentali tantùm, nego: prudentiâ Philoſophicâ, concedo. Duplex quippe prudentia, altera naturalis, quæ eſt quædam men-

tis ſagacitas & calliditas, quam judicii maturitas & obſervatio rerum adjuvat, & quâ qui ſunt præditi, de rebus agendis ſæpe feliciter conſultant: altera Philoſophica, quæ conſultat ex regulis, concludítque per cauſas hîc & nunc honeſtè agendum, & ſine qua facile eſt errare etiam ſagaciſſimos, quia non ratiocinantur de agendis per cauſam.

Objicies 2. Prudentia verſatur tantùm circa vniverſalia, Ethica verò circa ſingularia: ergo non ſunt idem.

Reſp. nego anteced. Nam ex Ariſtotele prudentia non tantùm eſt vniverſalium, ſed ad ſingularia quoque deſcendit, vt ait 6. Ethic. cap. 8. Certè prudentis eſt, quid hîc & nunc agendum ſit, præſcribere: Ergo debet habere judicium vniverſale, quo generaliter ſtatuat in ſimilibus circumſtantiis ita ſemper eſſe agendum. Quare idem eſt habitus prudentiæ, qui præcepta tradit de actionibus dirigendis ad honeſtatem, eáque applicat ad vſum per judicium practicè practicum; ſicut diximus de Logica docente & vtente.

Objicies 3. Prudentia verſatur tantùm circa media ad finem: Ethica verò circa finem. Ergo non ſunt idem. Probatur antecedentis prima pars. Prudentia eſt habitus conſulens: Habitus conſulens eſt tantùm de mediis.

Reſp. Nego primam antecedentis partem, & ejus probationem diſtinguo. Prudentia adæquatè ſumpta eſt habitus tantùm conſulens, nego: inadæquatè ſumpta, concedo. Nempe prudentia ſumitur vel adæquatè, & ſic eſt totum quoddam conflatum ex partialibus habitibus, quorum vnus occupatur circa finem vltimum cognoſcendum, alter circa media huic fini aſſequendo paria: vel inadæquatè,

quà Oeconomica; regni moderandi, quà Politica; denique rationem legum condendarum tradit, vt patebit ex dicendis poſtea. His principiis ita conſtitutis,

PROBATVR ASSERT. Adamus creatus eſt à Deo orbis princeps & dominus ex primo principio: aliunde debuit noſſe eorum, quibus præeſſe debebat, indolem, artem regendi hominis in quolibet ſtatu, & legum condendarum ex ſecundo; vtrumque docet Philoſophia, quà eſt Phyſica & Ethica ex tertio: ergo debuit Ethicam peræquè ac Phyſicam ſtatim ab ortu habere. Non potuit habere niſi aut inventione, aut diſciplinâ, aut infuſione; aſſequi inventione ſtatim ab ortu non valuit, quia inventio eget experientiâ, experientia tempore: Non diſciplinâ; vel enim didiciſſet ab homine, vel ab Angelo; non ab homine, quia nullus tum præter eum erat; non ab Angelo, quia ſicut corpus & animam immediatè à Deo acceperat, ita par erat Ethicam aliáſque Philoſophiæ partes, quæ animam perficiunt, ab eodem immediatè accipere: ergo ſola infuſione accepit. Quæ hîc objici poſſunt, jam ſoluta ſunt diſputatione prima de cauſis Philoſophiæ.

II. ASSERT. Inter authores, qui Ethicam ferè extinctam revocarunt, principes extitere Pythagoras, Socrates, & Ariſtoteles. Pythagoras quidem, qui rudem & obſcuram illius notitiam numeris ſuis informavit primum, teſte Ariſtotele 1. magn. mor. cap. 7. Socrates, qui in Ethicam cæteris Philoſophiæ partibus poſthabitis totus incubuit; multa de ejus natura & principiis morum ſcripſit accuratiùs, ideóque ipſam è cœlo dicitur evocaſſe. Denique Ariſtoteles, quo nemo inter veteres Philoſophos feliciùs compoſuit præcepta Ethicæ, nemo

Digitized by Google

certiùs demonſtravit, vt patet ex methodi, quam in Ethicis juxtà & politicis tenuit, legibus, & ex ejus cum alienis operum collatione, quem ideo ἀπὸ τοῦ ἀρίστου τέλους, dictum putat Ammonius, quòd ad vltimi finis adeptionem maxima ſit ejus præceptionum opportunitas; adeo enim fidei noſtræ conſentanea videntur omnia, (ſi pauca excipias) quæ de materia morum ſcripſit ipſe fidei expers; ita porrò Chriſtianæ diſciplinæ conſona, vt in Chriſtianorum Scholis putares inſtitutum: quare ejus veſtigiis, quantum Chriſtianæ diſciplinæ ratio feret, inſiſtam.

Dixi in Ethicis, nam decem libros qui inſcribuntur ἠθικῶν Νικομαχείων ab Ariſtotele ſcriptos peritiſſimorum ejus interpretum Simplicii, Alexandri, Euſtratii authoritas, doctrinæ ipſius convenientia, gravitas & pondus ſententiarum, idem, qui paſſim viget, ſtyli tenor, & æquabilis, ſibíque conſtans ſcribendi ratio, immatura tanto operi Nicomachi, qui adhuc adoleſcens obiit, ætas ſat commonſtrant. Adde quòd horum librorum in Politicis, lib.7.c.13. mentionem facit. Denique tanta Ethicorum & Politicorum operum affinitas & cognatio videtur eſſe, quemadmodum ex fine Ethicorum colligitur, vt qui vnius operis author ſit, alterius eundem parentem haberi neceſſe ſit. Quare non ideo inſcripti ſunt hi decem libri Ethicorum Nicomachiorum, quòd à Nicomacho Ariſtotelis filio conſcripti ſint, vt ſuſpicatur Cicero, lib. 5. de finibus, ſed quòd eos filio parens inſcripſerit, & tanquam paterni ſtudii pretioſiſſimum pignus, normámque vitæ, ad quam mores exigeret ſuos, conſecrarit.

III. Assert. Cauſæ efficientes Ethicæ, aliæ præthereà homini extrinſecæ, aliæ intrinſecæ.

Digitized by Google

ne ex perfecta ratione & cum indifferentia agente; hæc ipſa dicitur moralis, quòd eam diſciplina morum potiſſimùm ſpectet, vt ſi ſciens volénſque virtutem colas. Ratio hujus diviſionis eſt, quòd eadem hominis anima ſit realiter vegetans, ſentiens & rationalis, adeóque propter eminentiam functiones triplicis animæ obire ipſa poſſit. Porrò quà eſt vegetans, agit ſine cognitione; quà ſentiens, ex cognitione ſenſitiva; quà rationalis, vel ex cognitione ad vnum determinante, vel objectum indifferenter proponente. Primo ſenſu dicitur agere vt natura, ſecundo vt appetitus, tertio vt voluntas, quarto vt liberum arbitrium.

Quintum. Honeſtas actionis humanæ eſt rectitudo ſeu conformitas cum ſua regula, quæcumque illa ſit, vnde redditur meritoria & laudabilis. His animadverſis

Prima Assertio. Ethicæ tum ſpeculativæ, tum practicæ ſubjectum proximum & inhæſionis eſt intellectus; ſpeculativæ quidem, quà ſpeculativus eſt, practicæ verò, quà activus: ſubjectum vt remotum & denominationis ipſe homo. Probatur prima pars. Omnis habitus cognoſcens habet ſedem in intellectu, ſpeculativo, ſi ſpeculativus; practico, ſi practicus: vtraque Ethica eſt habitus cognoſcens: ergo in vtroque intellectu ſedem habet. Confirmatur de intellectu practico; errat enim ſæpe in judiciis tum abſolutis circa bonum in communi, tum comparatis circa bonum in particulari: primò pronunciat bonum eſſe, quod reipſa malum eſt, itaque amandum, quod fugiendum, & ê contra. 2. vbi pronunciavit amandum bonum, quod verè amandum eſt, judicio abſoluto, idem in particulari fugiendum ex dominante cupi-

ditate affirmat judicio comparato: at vtrique errori medetur Ethica; primo quidem præceptis generalibus, ex quibus judicia abſoluta dirigit circa bonum & malum in communi; ſecundo verò, quatenus repreſſo per virtutem affectu; qui judiciis comparatis officit, ad judicandum hîc & nunc, vt oportet, inclinat, vnde voluntas ad bonum honeſtum benè afficitur & agit: hinc patet intellectum actiuum dirigi ſubjectivè ab Ethica, judicia verò practica objectivè, ſed omnia in ordine ad voluntatem. Probatur ſecunda pars, denominationes enim ſunt totius, & ipſe homo dicitur Philoſophus Moralis.

II. Assertio. Objectum materiale, ſeu materia circa quam vtriuſque Ethicæ ſunt actiones humanæ. Probatur. Objectum materiale alicujus habitus duo requirit; primò, vt commune ſit multis habitibus; ſecundò, vt poſſit fieri illius proprium: actiones humanæ vtrumque habent; nam commune ſunt Metaphyſicæ, Phyſicæ & Ethicæ objectum; deinde poſſunt fieri Ethicæ proprium objectum; ſpeculativæ quidem, quatenus ab ea ſecundùm affectiones conſiderari poſſunt; actuoſæ quatenus honeſtate imbui perficique poſſunt; Ergo, &c. 2. Ex Ariſtotele, lib. 6. Eth. c. 4. prudentia & civilis ſcientia ſunt idem: prudentia in humanis actibus dirigendis verſatur; eſt enim recta ratio agibilium: igitur & Ethica, ſeu civilis ſcientia; Hinc

Colliges, dum D. Thomas pro objecto materiali Ethicæ, hominem agentem voluntariè propter finem aſſignat; Giraldus Odonis hominem liberum; alii hominem ad beatitudinem natum vel ſanabilem; intelligi debere de ſubjecto remoto, non proximo, niſi fortè per hominem agentem voluntariè,

Digitized by Google

liberum & ſanabilem, accipiant ipſam hominis operationem voluntariam, liberam & ſanabilem; ſic enim nobiſcum ſentiunt. Sed de cauſa materiali ſatis, jam de formali, quæ quia petitur ab objecto formali, ſit

III. Assert. Ethicæ ſpeculativæ objectum formale ſunt actiones humanæ, quatenus directæ ex regulis rationis ſuas habent proprietates de proprio ſubjecto demonſtrabiles, cujuſmodi hæc eſt. Omnis actus honeſtus eſt laudabilis: actus ex regulis prudentiæ directus eſt honeſtus: ergo omnis actus ex regulis prudentiæ directus eſt laudabilis. Probatur quia hæc eſt ſpecialis ratio, quâ Ethica ſpeculativa diſtinguitur ab omni alio habitu; à Metaphyſica, quæ actiones humanas ſpectat, vt entia; à Phyſica, quæ conſiderat, vt qualitates; ab Animaſtica, quæ contemplatur, vt operationes vitales; denique ab Ethica actuoſa, quæ eaſdem cognoſcit, vt dirigat, & honeſtate imbuat.

IV. Assert. Objectum formale Ethicæ propter quod, vt eſt diſcurſiva, eſt medius terminus; vt eſt activa ad ideam, formale ad quod, ſunt regulæ & præcepta moralia. Probatur prima pars, quia medius terminus ſpecificat concluſionem, & intellectum movet ac determinat ad aſſenſum concluſionis: ergo eſt objectum formale propter quod. Probatur ſecunda: objectum formale ad quod, eſt exemplar ſeu idea, quam ſibi in agendo proponit moralis Philoſophus, & ad quam actus ſuos exigit: at dictamina practica, ſeu principia generalia, qualia ſunt, omne honeſtum eſt proſequendum: omne inhoneſtum eſt fugiendum: Deus eſt colendus, &c. ſibi Philoſophus moralis proponit imitanda, & ad ipſa actiones ſuas exigit, &c. Hinc vides cur exemplar

Ethicæ dicatur à philoſophis lex naturalis, quæ honeſtorum & inhoneſtorum diſcriminis index eſt.

V. Assert. Objectum formale ſub quo Ethicæ actuoſæ, eſt honeſtas, vt inducenda in actiones humanas; ſeu actiones, vt honeſtate perficiendæ; formale quod, honeſtas inducta, ſeu actio honeſta. Probatur prima pars, objectum formale ſub quo diſciplinæ practicæ, eſt ratio ſpecialis ſub qua tendit ad opus: honeſtas, vt inducenda in actionem humanam, ſeu actio humana, vt dirigenda ex præceptis Ethicæ actuoſæ, talis eſt: Ergo honeſtas, vt inducenda in actionem humanam, ſeu actio, vt dirigenda ex præceptis Ethicæ, eſt objectum formale ſub quo. Confirmatur, tum quia per illam honeſtatem, vt inducendam, ab Ethica ſpeculativa diſtinguitur, tum quia omnia ad illam honeſtatem revocat, vel vt principia & cauſas, vel vt ſpecies, vel vt proprietates, ideóque objectum attributionis dici poteſt. Probatur ſecunda pars, objectum formale quod in diſciplinis practicis eſt opus ipſum, quod fit, ſeu forma artificioſa in materiam inducta, ideóque idem eſt ac finis: actio honeſta, ſeu honeſtas in actionem inducta partus eſt Ethicæ actuoſæ, igitur & objectum formale quod. Patet ex dictis cauſam materialem Ethicæ proximam eſſe actiones humanas, formalem verò eſſe honeſtatem, quâ informari poſſunt.

§. 2. *Definitur Ethica.*

Explicatis Ethicæ cauſis facile eſt ex iiſdem ipſius definitionem colligere. Sed quia duplex definitio eſt, alia nominis, alia rei.

Prima Assertio. Ethica, ſi vim & poteſtatem nominis ſpectes, Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ ἔθους,

Digitized by Google

quæ vox Græca conſuetudinem ſonat, ſeu iteratum operandi modum, quia repetitis actibus gignitur, paulatimque accreſcit. Ethica Latinis Moralis à moribus, qui vel ſunt habitus bene aut malè vivendi; vel actiones ipſæ, quæ aut habitus producunt, aut ab iiſdem producuntur; denique ſcientia civilis ſeu politica, quia in conſtituendis regendiſque civitatibus nobiliſſima pars Ethicæ verſatur; ideóque dicitur ab Ariſtotele princeps & architectonica ob excellentiam, quâ cæteris partibus anteit. Quod ſpectat ad definitionem rei, Auguſtinus definit, lib. 19. de Civit. Dei, cap. 6. Artem honeſtæ vitæ, vbi artem latè ſumit pro qualibet virtute practica mentis.

II. Assert. Exactiùs definitur, virtus mentis directrix actionum humanarum ad honeſtatem. Dicitur 1. virtus mentis, quia reſidet in mente, vt pote virtus cognoſcens, ipſámque dirigit, in ordine ad voluntatem, quam per ſe cæcam regit ac veluti manu ducit certis & nunquam fallentibus præceptis ad proprium opus. 2. Operationum humanarum directrix, id eſt, earum actionum, quæ cum indifferentia & electione fiunt, vnde dicuntur liberæ & morales; de iis enim, quæ neceſſariò fiunt, non traduntur regulæ. 3. Ad honeſtatem, quia honeſtas eſt forma, quam Ethica in actiones inducit.

Porrò cùm ſit practica hæc facultas, rectè monet Ariſtoteles finem ejus non eſſe, contemplari ſingula & cognoſcere, ſed agere. *Nec enim*, vt ait 10. Ethic. cap. 9. *in virtute ſatis eſt ſi eam noverimus, ſed ut eam habeamus, ipſáque vtamur, eſt enitendum, vel ſi quo alio modo boni efficiamur.* Ariſtoteli concinit Seneca, epiſt. 16. *Latrunculis*, inquit, *ludimus. In ſupervacaneis ſubtilitas teritur. Non faciunt iſta*

Digitized by Google

bonos, ſed doctos. Apertior res eſt ſapere, immò ſimplicior: Paucis opus eſt ad bonam mentem litteris.

PRIMA ASSERTIO. Ethica practica idem eſt realiter cum prudentia acquiſita docente.

Probatur. Habent eamdem definitionem, idem ſubjectum & objectum, eadémque munera: Ergo ſunt idem habitus. Probatur antecedens per partes. 1. Definitur prudentia, habitus vera cum ratione activus, circa ea, quæ homini ſunt bona vel mala; quæ definitio congruit Philoſophiæ Morali. 2. Intellectus eſt vtriuſque ſubjectum. 3. Rectitudo actionum humanarum eſt formale vtriuſque objectum. 4. Habent eadem munera: docent enim ambæ, quæ ſint præcepta vniverſalia de rebus agendis, quis finis hominis eſſe debeat, quomodo colendæ virtutes.

Secundò. Ethica eſt virtus mentis: ergo vna è quinque virtutibus intellectualibus. Non eſt habitus primorum principiorum, ſaltem adæquatè: Non ſapientia, quia ſapientia per altiſſimas cauſas, hæc verò per proximas agit; vnde dum dicitur Philoſophus Moralis ſapiens, non dicitur ſtrictè ſapere, ſed latè, eâ nempe ſapientiâ, quâ prudens creditur ſapere & ſcire: Non ſcientia, quia ſcientia eſt purè ſpeculativa, Ethica autem, de qua hîc agimus, practica: Non ars, quia ars dirigit intellectum. Ethica autem voluntatem, primò & per ſe: ergo ſupereſt, vt ſit prudentia; hinc Ariſtoteles, cap. 8. lib. 6. ait Politicam & prudentiam eſſe eumdem habitum, & ratione tantùm differre.

II. ASSERT. Ethica non eſt idem cum prudentia vtente formaliter & præcisè ſpectata, quatenus prudentia vtens eſt, licèt entitativè ſit eadem.

Probatur. Prudentia vtens connotat præceptum de bono proſequendo, ipsámque executionem & vſum boni: atqui Ethica non ſemper tendit ad executionem & vſum boni: Vt enim quis dicatur Philoſophus Moralis, ſufficit, ſi rectè conſultet, deliberet, judicet, & rationem rectè agendi, finémque acquirendi præſcribat, licèt non agat ex regulis à ſe traditis. Eſt tamen entitativè eadem, quia nulla eſt neceſſitas diſtinctionis realis, potéſtque docens vti, modo ſit benè affecta voluntas. Quod ſi tamen per vtentem prudentiam intelligas cum aliquibus voluntatem rectè agentem ex regulis prudentiæ, diſtinguitur haud dubiè realiter à docente.

Objicies 1. Multi Philoſophi Morales non ſunt prudentes: ergo prudentia non eſt idem cum Ethica.

Reſp. diſting. antecedens. Prudentiâ vtente, concedo: docente, nego. Nam ſemper habent docentem prudentiam, licèt non habeant vtentem formaliter, quia ex vitio depravatæ voluntatis non applicant præcepta ad vſum.

Inſt. Omnis prudens eſt bonus; ergo omnis Philoſophus Moralis eſſet bonus.

Reſp. diſting. antecedens. Prudens prudentiâ tantùm docente, eſt bonus, nego: vtente, concedo. Nam bonitas oritur ex actione honeſta, actio autem honeſta ab vtente prudentia.

Inſt. 2. Saltem qui prudenter ageret, diceretur Philoſophus Moralis: at multi ſine Ethica acquiſita prudenter agunt: Ergo, &c.

Reſp. diſting. majorem. Qui prudenter ageret prudentiâ naturali & experimentali tantùm, nego: prudentiâ Philoſophicâ, concedo. Duplex quippe prudentia, altera naturalis, quæ eſt quædam men-

tis ſagacitas & calliditas, quam judicii maturitas & obſervatio rerum adjuvat, & quâ qui ſunt prædíti, de rebus agendis ſæpe feliciter conſultant: altera Philoſophica, quæ conſultat ex regulis, concludítque per cauſas hîc & nunc honeſtè agendum, & ſine qua facile eſt errare etiam ſagaciſſimos, quia non ratiocinantur de agendis per cauſam.

Objicies 2. Prudentia verſatur tantùm circa vniverſalia, Ethica verò circa ſingularia: ergo non ſunt idem.

Reſp. nego anteced. Nam ex Ariſtotele prudentia non tantùm eſt vniverſalium, ſed ad ſingularia quoque deſcendit, vt ait 6. Ethic. cap. 8. Certè prudentis eſt, quid hîc & nunc agendum ſit, præſcribere: Ergo debet habere judicium vniverſale, quo generaliter ſtatuat in ſimilibus circumſtantiis ita ſemper eſſe agendum. Quare idem eſt habitus prudentiæ, qui præcepta tradit de actionibus dirigendis ad honeſtatem, eáque applicat ad vſum per judicium practicè practicum; ſicut diximus de Logica docente & vtente.

Objicies 3. Prudentia verſatur tantùm circa media ad finem: Ethica verò circa finem. Ergo non ſunt idem. Probatur antecedentis prima pars. Prudentia eſt habitus conſulens: Habitus conſulens eſt tantùm de mediis.

Reſp. Nego primam antecedentis partem, & ejus probationem diſtinguo. Prudentia adæquatè ſumpta eſt habitus tantùm conſulens, nego: inadæquatè ſumpta, concedo. Nempe prudentia ſumitur vel adæquatè, & ſic eſt totum quoddam conflatum ex partialibus habitibus, quorum vnus occupatur circa finem vltimum cognoſcendum, alter circa media huic fini aſſequendo paria; vel inadæquatè,

quà Oeconomica; regni moderandi, quà Politica; denique rationem legum condendarum tradit, vt patebit ex dicendis poſtea. His principiis ita conſtitutis,

Probatvr Assert. Adamus creatus eſt à Deo orbis princeps & dominus ex primo principio: aliunde debuit noſſe eorum, quibus præeſſe debebat, indolem, artem regendi hominis in quolibet ſtatu, & legum condendarum ex ſecundo; vtrumque docet Philoſophia, quà eſt Phyſica & Ethica ex tertio: ergo debuit Ethicam peræquè ac Phyſicam ſtatim ab ortu habere. Non potuit habere niſi aut inventione, aut diſciplinâ, aut infuſione; aſſequi inventione ſtatim ab ortu non valuit, quia inventio eget experientiâ, experientia tempore: Non diſciplinâ; vel enim didiciſſet ab homine, vel ab Angelo; non ab homine, quia nullus tum præter eum erat; non ab Angelo, quia ſicut corpus & animam immediatè à Deo acceperat, ita par erat Ethicam aliáſque Philoſophiæ partes, quæ animam perficiunt, ab eodem immediatè accipere: ergo ſola infuſione accepit. Quæ hîc objici poſſunt, jam ſoluta ſunt diſputatione prima de cauſis Philoſophiæ.

II. Assert. Inter authores, qui Ethicam ferè extinctam revocarunt, principes extitere Pythagoras, Socrates, & Ariſtoteles. Pythagoras quidem, qui rudem & obſcuram illius notitiam numeris ſuis informavit primùm, teſte Ariſtotele 1. magn. mor. cap. 7. Socrates, qui in Ethicam cæteris Philoſophiæ partibus poſthabitis totus incubuit; multa de ejus natura & principiis morum ſcripſit accuratiùs, ideóque ipſam è cœlo dicitur evocaſſe. Denique Ariſtoteles, quo nemo inter veteres Philoſophos feliciùs compoſuit præcepta Ethicæ, nemo

certiùs demonſtravit, vt patet ex methodi, quam in Ethicis juxtà & politicis tenuit, legibus, & ex ejus cum alienis operum collatione, quem ideo ἀπὸ τῦ ἀρίστου τέλους, dictum putat Ammonius, quòd ad vltimi finis adeptionem maxima ſit ejus præceptionum opportunitas; adeo enim fidei noſtræ conſentanea videntur omnia, (ſi pauca excipias) quæ de materia morum ſcripſit ipſe fidei expers; ita porrò Chriſtianæ diſciplinæ conſona, vt in Chriſtianorum Scholis putares inſtitutum: quare ejus veſtigiis, quantum Chriſtianæ diſciplinæ ratio ferret, inſiſtam.

Dixi in Ethicis, nam decem libros qui inſcribuntur ἠθικῶν Νικομαχείων ab Ariſtotele ſcriptos periſſimorum ejus interpretum Simplicii, Alexandri, Euſtratii authoritas, doctrinæ ipſius convenientia, gravitas & pondus ſententiarum, idem, qui paſſim viget, ſtyli tenor, & æquabilis, ſibíque conſtans ſcribendi ratio, immatura tanto operi Nicomachi, qui adhuc adoleſcens obiit, ætas ſat commonſtrant. Adde quòd horum librorum in Politicis, lib. 7. c. 13. mentionem facit. Denique tanta Ethicorum & Politicorum operum affinitas & cognatio videtur eſſe, quemadmodum ex fine Ethicorum colligitur, vt qui vnius operis author ſit, alterius eundem parentem haberi neceſſe ſit. Quare non ideo inſcripti ſunt hi decem libri Ethicorum Nicomachiorum, quòd à Nicomacho Ariſtotelis filio conſcripti ſint, vt ſuſpicatur Cicero lib. 5. de finibus, ſed quòd eos filio parens inſcripſerit, & tanquam paterni ſtudii pretioſiſſimum pignus, normámque vitæ, ad quam mores exigeret ſuos, conſecrarit.

III. Assert. Cauſæ efficientes Ethicæ, aliæ præterea homini extrinſecæ, aliæ intrinſecæ.

ne ex perfecta ratione & cum indifferentia agente; hæc ipſa dicitur moralis, quòd eam diſciplina morum potiſſimùm ſpectet, vt ſi ſciens voléns que virtutem colas. Ratio hujus diviſionis eſt, quòd eadem hominis anima ſit realiter vegetans, ſentiens & rationalis, adeóque propter eminentiam functiones triplicis animæ obire ipſa poſſit. Porrò quà eſt vegetans, agit ſine cognitione; quà ſentiens, ex cognitione ſenſitiva; quà rationalis, vel ex cognitione ad vnum determinante, vel objectum indifferenter proponente. Primo ſenſu dicitur agere vt natura, ſecundo vt appetitus, tertio vt voluntas, quarto vt liberum arbitrium.

Quintum. Honeſtas actionis humanæ eſt rectitudo ſeu conformitas cum ſua regula, quæcumque illa ſit, vnde redditur meritoria & laudabilis. His animadverſis

Prima Assertio. Ethicæ tum ſpeculativæ, tum practicæ ſubjectum proximum & inhæſionis eſt intellectus; ſpeculativæ quidem, quà ſpeculativus eſt, practicæ verò, quà activus: ſubjectum vt remotum & denominationis ipſe homo. Probatur prima pars. Omnis habitus cognoſcens habet ſedem in intellectu, ſpeculativo, ſi ſpeculativus; practico, ſi practicus: vtraque Ethica eſt habitus cognoſcens: ergo in vtroque intellectu ſedem habet. Confirmatur de intellectu practico; errat enim ſæpe in judiciis tum abſolutis circa bonum in communi, tum comparatis circa bonum in particulari: primò pronunciat bonum eſſe, quod reipſa malum eſt, itaque amandum, quod fugiendum, & è contra. 2. vbi pronunciavit amandum bonum, quod verè amandum eſt, judicio abſoluto, idem in particulari fugiendum ex dominante cupi-

ditate affirmat judicio comparato: at vtrique errori medetur Ethica; primo quidem præceptis generalibus, ex quibus judicia abſoluta dirigit circa bonum & malum in communi; ſecundo verò, quatenus repreſſo per virtutem affectu; qui judiciis comparatis officit, ad judicandum hîc & nunc, vt oportet, inclinat, vnde voluntas ad bonum honeſtum benè afficitur & agit: hinc patet intellectum activum dirigi ſubjectivè ab Ethica, judicia verò practica objectivè, ſed omnia in ordine ad voluntatem. Probatur ſecunda pars, denominationes enim ſunt totius, & ipſe homo dicitur Philoſophus Moralis.

II. Assertio. Objectum materiale, ſeu materia circa quam vtriuſque Ethicæ ſunt actiones humanæ. Probatur. Objectum materiale alicujus habitus duo requirit; primò, vt commune ſit multis habitibus; ſecundò, vt poſſit fieri illius proprium: actiones humanæ vtrumque habent; nam commune ſunt Metaphyſicæ, Phyſicæ & Ethicæ objectum; deinde poſſunt fieri Ethicæ proprium objectum; ſpeculativæ quidem, quatenus ab ea ſecundùm affectiones conſiderari poſſunt; actuoſæ quatenus honeſtate imbui perficique poſſunt; Ergo, &c. 2. Ex Ariſtotele, lib. 6. Eth. c. 4. prudentia & civilis ſcientia ſunt idem: prudentia in humanis actibus dirigendis verſatur; eſt enim recta ratio agibilium: igitur & Ethica, ſeu civilis ſcientia; Hinc

Colliges, dum D. Thomas pro objecto materiali Ethicæ, hominem agentem voluntariè propter finem aſſignat; Giraldus Odonis hominem liberum; alii hominem ad beatitudinem natum vel ſanabilem; intelligi debere de ſubjecto remoto, non proximo, niſi fortè per hominem agentem voluntariè,

Digitized by Google

liberum & ſanabilem, accipiant ipſam hominis operationem voluntariam, liberam & ſanabilem; ſic enim nobiſcum ſentiunt. Sed de cauſa materiali ſatis, jam de formali, quæ quia petitur ab objecto formali, ſit

III. Assert. Ethicæ ſpeculativæ objectum formale ſunt actiones humanæ, quatenus directæ ex regulis rationis ſuas habent proprietates de proprio ſubjecto demonſtrabiles, cujuſmodi hæc eſt. Omnis actus honeſtus eſt laudabilis: actus ex regulis prudentiæ directus eſt honeſtus: ergo omnis actus ex regulis prudentiæ directus eſt laudabilis. Probatur quia hæc eſt ſpecialis ratio, quâ Ethica ſpeculativa diſtinguitur ab omni alio habitu; à Metaphyſica, quæ actiones humanas ſpectat, vt entia; à Phyſica, quæ conſiderat, vt qualitates; ab Animaſtica, quæ contemplatur, vt operationes vitales; denique ab Ethica actuoſa, quæ eaſdem cognoſcit, vt dirigat, & honeſtate imbuat.

IV. Assert. Objectum formale Ethicæ propter quod, vt eſt diſcurſiva, eſt medius terminus; vt eſt activa ad ideam, formale ad quod, ſunt regulæ & præcepta moralia. Probatur prima pars, quia medius terminus ſpecificat concluſionem, & intellectum movet ac determinat ad aſſenſum concluſionis: ergo eſt objectum formale propter quod. Probatur ſecunda: objectum formale ad quod, eſt exemplar ſeu idea, quam ſibi in agendo proponit moralis Philoſophus, & ad quam actus ſuos exigit: at dictamina practica, ſeu principia generalia, qualia ſunt, omne honeſtum eſt proſequendum: omne inhoneſtum eſt fugiendum: Deus eſt colendus, &c. ſibi Philoſophus moralis proponit imitanda, & ad ipſa actiones ſuas exigit, &c. Hinc vides cur exemplar

Ethicæ dicatur à philoſophis lex naturalis, quæ honeſtorum & inhoneſtorum diſcriminis index eſt.

V. Assert. Objectum formale ſub quo Ethicæ actuoſæ, eſt honeſtas, vt inducenda in actiones humanas; ſeu actiones, vt honeſtate perficiendæ; formale quod, honeſtas inducta, ſeu actio honeſta. Probatur prima pars, objectum formale ſub quo diſciplinæ practicæ, eſt ratio ſpecialis ſub qua tendit ad opus: honeſtas, vt inducenda in actionem humanam, ſeu actio humana, vt dirigenda ex præceptis Ethicæ actuoſæ, talis eſt: Ergo honeſtas, vt inducenda in actionem humanam, ſeu actio, vt dirigenda ex præceptis Ethicæ, eſt objectum formale ſub quo. Confirmatur, tum quia per illam honeſtatem, vt inducendam, ab Ethica ſpeculativa diſtinguitur, tum quia omnia ad illam honeſtatem revocat, vel vt principia & cauſas, vel vt ſpecies, vel vt proprietates, ideóque objectum attributionis dici poteſt. Probatur ſecunda pars, objectum formale quod in diſciplinis practicis eſt opus ipſum, quod fit, ſeu forma artificioſa in materiam inducta, ideóque idem eſt ac finis: actio honeſta, ſeu honeſtas in actionem inducta partus eſt Ethicæ actuoſæ, igitur & objectum formale quod. Patet ex dictis cauſam materialem Ethicæ proximam eſſe actiones humanas, formalem verò eſſe honeſtatem, quâ informari poſſunt.

§. 2. *Definitur Ethica.*

Explicatis Ethicæ cauſis facile eſt ex iiſdem ipſius definitionem colligere. Sed quia duplex definitio eſt, alia nominis, alia rei.

Prima Assertio. Ethica, ſi vim & poteſtatem nominis ſpectes, Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ ἔθους,

quæ vox Græca conſuetudinem ſonat, ſeu iteratum operandi modum, quia repetitis actibus gignitur, paulatimque accreſcit. Ethica Latinis Moralis à moribus, qui vel ſunt habitus bene aut malè vivendi; vel actiones ipſæ, quæ aut habitus producunt, aut ab iiſdem producuntur; denique ſcientia civilis ſeu politica, quia in conſtituendis regendiſque civitatibus nobiliſſima pars Ethicæ verſatur; ideóque dicitur ab Ariſtotele princeps & architectonica ob excellentiam, quâ cæteris partibus anteit. Quod ſpectat ad definitionem rei, Auguſtinus definit, lib. 19. de Civit. Dei, cap. 6. Artem honeſtæ vitæ, vbi artem latè ſumit pro qualibet virtute practica mentis.

II. Assert. Exactiùs definitur, virtus mentis directrix actionum humanarum ad honeſtatem. Dicitur 1. virtus mentis, quia reſidet in mente, vt pote virtus cognoſcens, ipſámque dirigit, in ordine ad voluntatem, quam per ſe cæcam regit ac veluti manu ducit certis & nunquam fallentibus præceptis ad proprium opus. 2. Operationum humanarum directrix, id eſt, earum actionum, quæ cum indifferentia & electione fiunt, vnde dicuntur liberæ & morales; de iis enim, quæ neceſſariò fiunt, non traduntur regulæ. 3. Ad honeſtatem, quia honeſtas eſt forma, quam Ethica in actiones inducit.

Porrò cùm ſit practica hæc facultas, rectè monet Ariſtoteles finem ejus non eſſe, contemplari ſingula & cognoſcere, ſed agere. *Nec enim*, vt ait 10. Ethic. cap. 9. *in virtute ſatis eſt ſi eam noverimus, ſed vt eam habeamus, ipſáque vtamur, eſt enitendum, vel ſi quo alio modo boni efficiamur.* Ariſtoteli concinit Seneca, epiſt. 16. *Latrunculis*, inquit, *ludimus. In ſupervacaneis ſubtilitas teritur. Non faciunt iſta*

Digitized by Google

bonos, ſed doctos. Apertior res eſt ſapere, immò ſimplicior: Paucis opus eſt ad bonam mentem litteris.

PRIMA ASSERTIO. Ethica practica idem eſt realiter cum prudentia acquiſita docente.

Probatur. Habent eamdem definitionem, idem ſubjectum & objectum, eadémque munera: Ergo ſunt idem habitus. Probatur antecedens per partes. 1. Definitur prudentia, habitus vera cum ratione activus, circa ea, quæ homini ſunt bona vel mala; quæ definitio congruit Philoſophiæ Morali. 2. Intellectus eſt vtriuſque ſubjectum. 3. Rectitudo actionum humanarum eſt formale vtriuſque objectum. 4. Habent eadem munera: docent enim ambæ, quæ ſint præcepta vniverſalia de rebus agendis, quis finis hominis eſſe debeat, quomodo colendæ virtutes.

Secundò. Ethica eſt virtus mentis: ergo vna è quinque virtutibus intellectualibus. Non eſt habitus primorum principiorum, ſaltem adæquatè: Non ſapientia, quia ſapientia per altiſſimas cauſas, hæc verò per proximas agit; vnde dum dicitur Philoſophus Moralis ſapiens, non dicitur ſtrictè ſapere, ſed latè, eâ nempe ſapientiâ, quâ prudens creditur ſapere & ſcire: Non ſcientia, quia ſcientia eſt purè ſpeculativa, Ethica autem, de qua hîc agimus, practica: Non ars, quia ars dirigit intellectum. Ethica autem voluntatem, primò & per ſe: ergo ſupereſt, vt ſit prudentia; hinc Ariſtoteles, cap. 8. lib. 6. ait Politicam & prudentiam eſſe eumdem habitum, & ratione tantùm differre.

II. ASSERT. Ethica non eſt idem cum prudentia vtente formaliter & præciſè ſpectata, quatenus prudentia vtens eſt, licèt entitativè ſit eadem.

Digitized by Google

Probatur. Prudentia vtens connotat præceptum de bono proſequendo, ipsámque executionem & vſum boni: atqui Ethica non ſemper tendit ad executionem & vſum boni: Vt enim quis dicatur Philoſophus Moralis, ſufficit, ſi rectè conſultet, deliberet, judicet, & rationem rectè agendi, finémque acquirendi præſcribat, licèt non agat ex regulis à ſe traditis. Eſt tamen entitativè eadem, quia nulla eſt neceſſitas diſtinctionis realis, potéſtque docens vti, modo ſit benè affecta voluntas. Quod ſi tamen per vtentem prudentiam intelligas cum aliquibus voluntatem rectè agentem ex regulis prudentiæ, diſtinguitur haud dubiè realiter à docente.

Objicies 1. Multi Philoſophi Morales non ſunt prudentes: ergo prudentia non eſt idem cum Ethica.

Reſp. diſting. antecedens. Prudentiâ vtente, concedo: docente, nego. Nam ſemper habent docentem prudentiam, licèt non habeant vtentem formaliter, quia ex vitio depravatæ voluntatis non applicant præcepta ad vſum.

Inſt. Omnis prudens eſt bonus; ergo omnis Philoſophus Moralis eſſet bonus.

Reſp. diſting. antecedens. Prudens prudentiâ tantùm docente, eſt bonus, nego: vtente, concedo. Nam bonitas oritur ex actione honeſta, actio autem honeſta ab vtente prudentia.

Inſt. 2. Saltem qui prudenter ageret, diceretur Philoſophus Moralis: at multi ſine Ethica acquiſita prudenter agunt: Ergo, &c.

Reſp. diſting. majorem. Qui prudenter ageret prudentiâ naturali & experimentali tantùm, nego: prudentiâ Philoſophicâ, concedo. Duplex quippe prudentia, altera naturalis, quæ eſt quædam men-

Digitized by Google

tis ſagacitas & calliditas, quam judicii maturitas & obſervatio rerum adjuvat, & quâ qui ſunt præditi, de rebus agendis ſæpe feliciter conſultant: altera Philoſophica, quæ conſultat ex regulis, concludítque per cauſas hîc & nunc honeſtè agendum, & ſine qua facile eſt errare etiam ſagaciſſimos, quia non ratiocinantur de agendis per cauſam.

Objicies 2. Prudentia verſatur tantùm circa vniverſalia, Ethica verò circa ſingularia: ergo non ſunt idem.

Reſp. nego anteced. Nam ex Ariſtotele prudentia non tantùm eſt vniverſalium, ſed ad ſingularia quoque deſcendit, vt ait 6. Ethic. cap. 8. Certè prudentis eſt, quid hîc & nunc agendum ſit, præſcribere: Ergo debet habere judicium vniverſale, quo generaliter ſtatuat in ſimilibus circumſtantiis ita ſemper eſſe agendum. Quare idem eſt habitus prudentiæ, qui præcepta tradit de actionibus dirigendis ad honeſtatem, eáque applicat ad vſum per judicium practicè practicum; ſicut diximus de Logica docente & vtente.

Objicies 3. Prudentia verſatur tantùm circa media ad finem: Ethica verò circa finem. Ergo non ſunt idem. Probatur antecedentis prima pars. Prudentia eſt habitus conſulens: Habitus conſulens eſt tantùm de mediis.

Reſp. Nego primam antecedentis partem, & ejus probationem diſtinguo. Prudentia adæquatè ſumpta eſt habitus tantùm conſulens, nego: inadæquatè ſumpta, concedo. Nempe prudentia ſumitur vel adæquatè, & ſic eſt totum quoddam conflatum ex partialibus habitibus, quorum vnus occupatur circa finem vltimum cognoſcendum, alter circa media huic fini aſſequendo paria: vel inadæquatè,

Digitized by Google

& tunc eſt tantùm partialis habitus, qui vel circa finem tantùm, vel circa media tantùm verſatur. Prudentia inadæquatè ſumpta poteſt eſſe habitus tantùm conſulens, adeóque tantùm circa media. At adæquatè ſumpta verſatur tum circa finem, tum circa media; quamvis quà verſatur circa finem, prudentia dici non ſoleat, niſi reductitiè, quatenus facem præfert habitui partiali, qui totus eſt in mediis eligendis, ideóque dicitur magis propriè prudentia. Porrò conſultare eſt diſcurſu inquirere, quænam, & quomodo, & quibus in circumſtantiis res agendæ ſint.

Objicies 4. Multi Philoſophi Morales difficultates experiuntur in actu prudentiæ. Ergo opus habent novo habitu.

Reſp. Diſt. anteced. In actu prudentiæ imperato, qui eſt actus honeſtus voluntatis, verbi gratia, actus juſtitiæ, concedo: in actu elicito, qui eſt judicium practicum directivum morum ad honeſtatem, nego. Quare ad actum prudentiæ imperatum facilè & promptè exercendum, requiritur habitus novus in voluntate, verbi gratia, juſtitiæ aut temperantiæ, ſi in vtriuſque materia verſetur.

§. 3. *De cauſa efficiente & finali Ethicæ.*

I. Assert. Causa efficiens Ethicæ princeps Deus extitit, ipſámque Adamo cum reliquis Philoſophiæ partibus in ortu infudit. Probatur tribus principiis poſitis.

Primum ſit. Adamus creatus eſt à Deo orbis princeps & dominus. Patet ex Geneſ. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod mo-*

vetur in terra. Quem locum ita explicat D. Chryſoſtomus, Hom. 10. in Geneſ. vt rationem imaginis in dominatu, quem Adamus in omnia creata habuit, conſtituat. *Factus eſt*, inquit, *ad dominationis imaginem homo, non ad aliud quidpiam: etenim omnium, quæ in terra ſunt, principem hominem creavit Deus; neque quidquam eſt in terra majus illo: verùm omnia ſub ejus poteſtate ſunt,* πάντα ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τούτου τυγχάνει. Conſentiunt Gregorius Nyſſ. & Philo: Ille quidem, dum ait lib. de hominis opificio, c. 4. Deum tum animæ dotibus, tum figurâ ipſa corporis talem deſignaſſe hominem, vt ad regnum eſſet aptiſſimus, τοῖς τε κατὰ τὴν φύσιν προτερήμασι, καὶ αὐτῷ τῷ σώματος σχήματι τοιοῦτον εἶναι παρασκευάσας, οἷον ἐπιτηδείως πρὸς βασιλείαν ἔχειν. Hic verò, dum affirmat hominem poſtremum omnium operum à Deo prodiiſſe, quia non erat conſentaneum, vt princeps & rector exiſteret, antequam eſſent illa, quibus imperaret, ſed vt conſtituto jam imperio tum rex demum renuntiaretur.

Secundum. Principis eſt ſe, & eorum, quibus præeſt, ingenium & mores noſſe; deinde artem regendi hominis in quolibet ſtatu, atque adeo legum condendarum rationem tenere. Primò, quia vt perſona privata, ſeipſum regere debet; vt caput familiæ, ſuam familiam; vt perſona publica, regnum. Secundò, quia ſic ſubditorum genio imperium ſuum legéſque meliùs attemperat, & quò ſua quemque ducit natura, eò faciliùs certiúſque impellit, itaque ſapientiùs regit.

Tertium. Phyſica propenſiones animorum & affectiones varias aperit; Ethica verò modum regendæ cujuſque privatæ perſonæ juxta indolem præſcribit, quà Monaſtica; familiæ adminiſtarndæ,

Digitized by Google

quà Oeconomica; regni moderandi, quà Politica; denique rationem legum condendarum tradit, vt patebit ex dicendis poſtea. His principiis ita conſtitutis,

Probatvr Assert. Adamus creatus eſt à Deo orbis princeps & dominus ex primo principio: aliunde debuit noſſe eorum, quibus præeſſe debebat, indolem, artem regendi hominis in quolibet ſtatu, & legum condendarum ex ſecundo; vtrumque docet Philoſophia, quà eſt Phyſica & Ethica ex tertio: ergo debuit Ethicam peræquè ac Phyſicam ſtatim ab ortu habere. Non potuit habere niſi aut inventione, aut diſciplinâ, aut infuſione; aſſequi inventione ſtatim ab ortu non valuit, quia inventio eget experientiâ, experientia tempore: Non diſciplinâ; vel enim didiciſſet ab homine, vel ab Angelo; non ab homine, quia nullus tum præter eum erat; non ab Angelo, quia ſicut corpus & animam immediatè à Deo acceperat, ita par erat Ethicam aliáſque Philoſophiæ partes, quæ animam perficiunt, ab eodem immediatè accipere: ergo ſola infuſione accepit. Quæ hîc objici poſſunt, jam ſoluta ſunt diſputatione prima de cauſis Philoſophiæ.

II. Assert. Inter authores, qui Ethicam ferè extinctam revocarunt, principes extitere Pythagoras, Socrates, & Ariſtoteles. Pythagoras quidem, qui rudem & obſcuram illius notitiam numeris ſuis informavit primùm, teſte Ariſtotele 1. magn. mor. cap. 7. Socrates, qui in Ethicam cæteris Philoſophiæ partibus poſthabitis totus incubuit; multa de ejus natura & principiis morum ſcripſit accuratiùs, ideóque ipſam è cœlo dicitur evocaſſe. Denique Ariſtoteles, quo nemo inter veteres Philoſophos feliciùs compoſuit præcepta Ethicæ, nemo

certiùs demonſtravit, vt patet ex methodi, quam in Ethicis juxtà & politicis tenuit, legibus, & ex ejus cum alienis operum collatione, quem ideo ἀπὸ τοῦ ἀρίστου τέλους, dictum putat Ammonius, quòd ad vltimi finis adeptionem maxima ſit ejus præceptionum opportunitas; adeo enim fidei noſtræ conſentanea videntur omnia, (ſi pauca excipias) quæ de materia morum ſcripſit ipſe fidei expers; ita porrò Chriſtianæ diſciplinæ conſona, vt in Chriſtianorum Scholis putares inſtitutum: quare ejus veſtigiis, quantum Chriſtianæ diſciplinæ ratio feret, inſiſtam.

Dixi in Ethicis, nam decem libros qui inſcribuntur ἠθικῶν Νικομαχείων ab Ariſtotele ſcriptos periti ſſimorum ejus interpretum Simplicii, Alexandri, Euſtratii authoritas, doctrinæ ipſius convenientia, gravitas & pondus ſententiarum, idem, qui paſſim viget, ſtyli tenor, & æquabilis, ſibíque conſtans ſcribendi ratio, immatura tanto operi Nicomachi, qui adhuc adoleſcens obiit, ætas ſat commonſtrant. Adde quòd horum librorum in Politicis, lib. 7. c. 13. mentionem facit. Denique tanta Ethicorum & Politicorum operum affinitas & cognatio videtur eſſe, quemadmodum ex fine Ethicorum colligitur, vt qui vnius operis author ſit, alterius eundem parentem haberi neceſſe ſit. Quare non ideo inſcripti ſunt hi decem libri Ethicorum Nicomachiorum, quòd à Nicomacho Ariſtotelis filio conſcripti ſint, vt ſuſpicatur Cicero, lib. 5. de finibus, ſed quòd eos filio parens inſcripſerit, & tanquam paterni ſtudii pretioſiſſimum pignus, normámque vitæ, ad quam mores exigeret ſuos, conſecrarit.

III. Assert. Cauſæ efficientes Ethicæ, aliæ præztereà homini extrinſecæ, aliæ intrinſecæ.

Digitized by Google

Extrinſecæ ſunt, doctrina & inſtitutio; intrinſecæ plures. 1. Prudentia naturalis. 2. Honeſti cupiditas. 3. Mens actuoſa vt imperans. 4. Voluntas vt exequens. 5. Exercitatio. Patet aſſertionis veritas; doctrina enim & inſtitutio mentem præceptionibus implet, quibus voluntas ad honeſtatis decus eruditur; pendet quippe plurimùm à doctrina virtus moralis, quia pendet ex rectæ rationis præſcripto; præſertim ſi vis exempli & morum magiſtri probitas doctrinam corroborent; turpe certè eſt doctorem à ſe ipſo diſſidere; aliud docere, aliud agere: illúdque Tertulliani, lib. de patient. c. 1. huc pertinet. *Dicta factis deficientibus erubeſcunt.* Ratio autem, cur exemplum in docente requiratur, hæc eſt, quòd Ethica ſit ſcientia activa, in qua non vna tantùm cognitio, ſed vſus etiam & exercitatio quæritur; ideóque ſcientias practicas Philoſophus potentias vocat, quòd ſint operationum principia. Eum itaque in morali doctrina moderatorem requiro, qui ita ſit moratus, ita animo & vitâ conſtitutus, vt ratio poſtulat; qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet, qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis; qui eo planè vivat modo, quo docet eſſe vivendum, ne ſi aliter vixerit, ipſe doctrinæ ſuæ fidem detrahat, vt ait Lactantius, lib. 4. c. 23. leviorémque doctrinam ſuam faciat, ſi reipſa reſolvat, quod verbis nititur aſtruere. Quod ſi ſecus faciat, iis non abſimilem medicis putat Seneca, *quorum tituli remedia habent, pixides venena.* 2. Prudentia naturalis, cùm ſit ſagacitas quædam mentis, conſultatricem prudentiam acquiſitam juvat. 3. Ex honeſti cupiditate oritur inquiſitio, ex inquiſitione inventio, ex inventione præceptio, ex præceptio-

ne vſus. 4. Mens actuoſa per actus iterum ac ſæpius repetitos Ethicæ habitum auget, voluntati practicis judiciis prælucet ad amorem boni & fugam mali; quid, quando, quomodo, & quo fine agendum ſit, præſcribit. 5. Voluntas ex prudentiæ dictamine virtutes ſibi proprias colit, & facultates adminiſtras, quibus vel civili, vel deſpotico imperio præeſt, ad vſum applicat. De efficiente tantùm, jam de finali.

IV. Assert. Finis cui internus Ethicæ, eſt ipſe homo; finis verò, cujus gratiâ proximus, actio honeſta. Probatur prima pars: quia id vnum agit Ethica, vt hominem perficiat & beatum reddat. Probatur ſecunda: finis proximus cujus gratia eſt, quem primò & per ſe diſciplina reſpicit, & quo adepto quieſcit: Ethica actionem honeſtam primò & per ſe reſpicit, eâque adeptâ quieſcit: ergo finis proximus, cujus gratiâ Ethicæ eſt actio honeſta.

V. Assert. Finis remotus Ethicæ eſt beatitudo, ſeu ſtatus perfectus, in quo homo dicatur & verè ſit beatus. Probatur, finis remotus eſt, quem mediante proximo diſciplina aſſequitur: Mediante actione honeſta beatitudinem, ſeu ſtatum, in quo homo dicatur & verè ſit beatus, aſſequitur: Ergo finis remotus Ethicæ eſt beatitudo. Ex dictis

Colliges tria. Primum, quæ ſint Ethicæ effecta: nam ex parte intellectus eſt rectitudo judiciorum practicorum, tum abſolutorum circa bonum in communi, tum comparatorum circa bonum in particulari. 2. Ex parte appetitus moderatio affectuum, qui exuperantiâ ſuâ rationi deliberanti officiunt & voluntatem à bono proſequendo retardant. Ex parte voluntatis ſanitas duplex, negativa quæ eſt immunitas quædam ab affectibus immoderatis; poſi-

tiva, quæ eſt virtus perfecta. Ex parte actionum honeſtas. Denique beatitudinis adeptio, ſumma animi tranquillitas, ac voluptas liquidiſſima, quæ ex virtute perfecta, actione honeſta ac laudabili, ex ipſius denique finis poſſeſſione percipitur.

Secundum. Quæ neceſſitas & vtilitas; affert enim adjumenti non parum. 1. Ad diſciplinarum ſpeculativarum perceptionem, quia animus ſui compos factus, & à cupiditatum dominatu immunis rerum contemplationi multò liberiùs vacat. 2. Ad beatitudinem naturalem; ad quam inſtrumenta, præſidiáque idonea ſufficit. 3. Ad legum conſtitutionem, & commodam earumdem interpretationem: inclinat enim ad ferendas leges legi naturæ conſonas, ipſóſque legum interpretes eò adducit, vt facilè credant leges ritè conſtitutas, eámque fuiſſe legiſlatoris mentem, quæ magis naturæ legibus congrueret. Denique concluſiones Ethicæ ſunt principia Iuriſprudentiæ: vnde Cicero 1. de legibus affirmat Iuriſprudentiam ex intimis Philoſophiæ (nempe moralis) eſſe hauriendam. Piccolomin. in introduct. c. 10. docet Iuriſprudentiam Ethicæ ſubalternari. Alij partialem quamdam prudentiam, adeóque portionem Ethicæ pugnant, quæ de conſervatione, & reparatione juris alieni agit.

Tertium. Quanta ſit præſtantia. Cùm enim ex fine cujuſlibet diſciplinæ dignitas, ad quem ipſa dirigit, quem ſibi proponit, debeat æſtimari; vnam autem felicitatem, quæ ſumma hominis votorum eſt, ſibi proponat, ad hanc præceptionibus ſuis tendat, quantò cæteris bonis anteſtat felicitas, tantò ipſa reliquis diſciplinis practicis Ethica antecellit.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

De diviſione, ordine & auditore Ethicæ.

TRIA hoc articulo ſuperſunt inquirenda. Primum, quomodo Ethicæ diviſio facienda. Secundum, quis ordo in ea ſit tum dignitatis, tum doctrinæ. Tertium, quinam ſit illius idoneus auditor.

§. I. *Diviſio Ethicæ in ſuas partes.*

ETHICA eaſdem fere habet cum Logica diviſiones; hinc prima illius diviſio ex parte principii fit in naturalem, & artificialem. Naturalis eſt ipſa mens activa cuilibet homini inſita, quâ honeſtum à turpi diſcernit, quid & quomodo agendum, ſibi præſcribit: Artificialis ipſo vſu comparatur, & naturalem præceptis ſuis dirigit.

Secunda ex parte modi, quo habetur, eſt in habitualem & actualem. Habitualis eſt qualitas fixa & permanens frequenti actuum repetitione parta: actualis eſt actus ipſius habitualis.

Tertia ex parte muneris in docentem & vtentem. Docentis eſt tradere præcepta de dirigendis actionibus humanis: vtentis eadem ad vſum applicare.

Quarta ex parte objecti in vniverſalem & particularem; quia actio honeſta, quam conſiderat, ſpectari poteſt vel in communi, vel in particulari.

Vniverſalis principia morum communia complectitur, nempe finale, efficiens, formale & materiale. Finale eſt beatitudo. Efficiens triplex, innatum, infuſum, & acquiſitum; innatum, intellectus & voluntas; infuſum, gratia, acquiſitum, habitus. Formale duplex; alterum ad quod, ſeu dirigens, vt lex: alterum quod, ſeu forma quæ fit, vt bonitas ſeu

honeſtas moralis. Materiale, motus animi, ſeu paſſiones.

Particularis comprehendit virtutes & varios hominis ſtatus, ideóque ex parte virtutum ſubnaſcitur quinta diviſio in vniverſalem, cujus eſt de virtute ejúſque cauſis in genere agere; & particularem, quæ de ſingulis ſed maximé de Cardinalibus agit.

Sexta, ex parte hominis ſtatus, in Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam. Ratio hujus diviſionis eſt, quòd homo ſpectari poſſit, vel vt privata perſona, quæ ſibi vacat vni; vel vt pars familiæ, quam vel regat, vel cujus membrum ſit; vel vt pars reip. aut regni. Monaſtica dirigit hominem vt privatam perſonam: Oeconomica tradit præcepta conſtituendæ regendæque familiæ, quæ eſt quædam ſocietas naturalis: Politica leges præſcribit rectè vivendi in civitate & republica, quæ eſt quædam ſocietas artificialis.

Vniverſalem & principalem complexus eſt Ariſtoteles decem ad Nicomachum libris, & libris magnorum moralium, quos tamen Patricius Ariſtoteli abjudicat, tribuitque Eudemo illi Rhodio, qui multa de Dialecticis & Phyſicis etiam ſcripſit, Oeconomicam duobus libellis, quorum vltimus plura habet de Politicis; Politicam denique octo libris, de quibus ſingulis ordine agemus.

Nos totam Ethicam in duos tomos diſtribuimus, quorum primus principia morum in communi, ſecundus principia in particulari continet; quemlibet tomum in partes, partes in diſputationes, diſputationes in articulos, articulos in paragraphos partimur, quibus identidem appendices atteximus.

Digitized by Google

§. 2. *Quis ordo Ethicæ.*

ORDO duplex hîc ſpectandus, alter dignitatis, alter doctrinæ, qui methodum & demonſtrationem continet. Quæritur itaque 1. quænam pars Ethicæ ſit prima ordine dignitatis. 2. Quæ methodus ſervanda, an analytica, an ſynthetica. 3. Quis modus demonſtrandi.

PRIMA ASSERTIO. Ordine dignitatis Politica Oeconomicæ, & Monaſticæ; Oeconomica verò Monaſticæ antecellit. Probatur. Ordo dignitatis partium diſciplinæ à fine petitur; ita vt quò cujuſque partis finis partialis præſtantior eſt, eò pars illa nobilior cenſenda ſit: at finis Politicæ, eſt bonum commune & publica felicitas, cujus Politica parens, altrix & conſervatrix eſt; Oeconomicæ, bonum familiæ, cujus diſciplinam & beatitudinem curat ac ſervat; Monaſticæ, bonum privatum: porrò bonum privatum inferius eſt bono familiæ, ſicut bonum familiæ, ignobilius bono communi & publico, quod ex Ariſtotele divinum quiddam eſt. Certè quo bonum communius, eo Deo ſimilius, in quo ſic tanquam in fonte omnis boni ratio continetur: igitur Politica Oeconomicæ & Monaſticæ; Oeconomica verò Monaſticæ antecellit. Hinc Politica dicitur ab Ariſtotele, lib. 1. Eth. κυριωτάτη, καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονική, omnium princeps, domina & architectonica.

Colliges ex dictis ita quemlibet ſibi vacare oportere, vt familiæ bono nihil officiat; ita inſervire familiæ, vt bonum commune non lædat; ita demum bono communi conſulere, vt nihil contra legem divinam peccet. Ratio eſt, quòd diſpendio boni inferioris ſuperius conſervandum ſit: at minimum

Digitized by Google

bonum Dei majus eſt quolibet bono creaturæ, etiam publico; immo bonum creaturæ ſtatim bonum eſſe deſinit, atque cum bono Dei diſſentire incipit, ideóque ſatius multò eſt regnum funditus interire, quàm legem divinam vel leviter violari. Apage ergo impiiſſimi Machiavelli ſectatores, quorum hæc vox communis eſt, non tam hominum certè quàm pecudum, eatenus de religione Catholica ſentiendum, quatenus regimini Politico profutura ſit. Sic enim non regnum conſcientiæ, ſed conſcientiam regno præpoſtero ordine accommodant, ex quo regni ipſius certiſſima ruina denique conſequitur. Sed de his in Politicis plura, jam de methodo.

Duplex eſt; analytica ſeu reſolutionis, & ſynthetica ſeu compoſitionis. Analytica à fine ad media fini propinquiora, & à propinquioribus ad remotiora ſenſim progreditur, à quibus operatio incipit: Synthetica à principiis ſimpliciſſimis ad ea, quæ ex iis componuntur, hoc eſt, à partibus ad totum. Illa naturæ finem intendentis, hæc ejuſdem naturæ generantis ordinem & inſtitutum ſequitur: hæc in ſpeculativis diſciplinis viget maximè, illa in practicis ex Ariſtotele 7. Metaphyſ. tex. 23. Sic Architectonica à præcognitione finis, quæ eſt domus habitanda, orditur; ad partes proximas deinde, nempe fundamentum, parietem & tectum; ad remotiores poſtea, nempe lapides & cæmenta deſcendit, à quibus demum executio incipit. Ratio eſt, quia finis eſt operationis principium, & menſura mediorum, ad quam ipſorum bonitas exigenda. His obſervatis, ſit

II. Assert. Ariſtoteles in Ethicis methodum analyticam ſervat. Probatur. Progreditur à prænotione

notione finis ad notionem principiorum, & mediorum, quibus finem aſſequimur; at hoc eſt ſervare methodum analyticam:ergo,&c. Major patet ex ſingulorum librorum inſpectione. Nam libro primo agit de fine vltimo hominis; & refutatis veterum Philoſophorum de ipſo ſententiis, in quo verè conſiſtat, denique ſtatuit. Deinde aliis libris ad principia, quibus beatitudo comparatur, delapſus. Secundò de virtutis natura, ortu,& interitu diſputat. Tertiò de principiis actionum humanarum voluntario, & involuntario, tum de fortitudine,& temperantia. Quartò de liberalitate, magnificentia, magnanimitate, modeſtia, manſuetudine, affabilitate, veritate, vrbanitate, & verecundia. Quintò de juſtitia fuſiùs, quam in fine quarti delibarat. Sextò, de virtutibus mentis tum ſpeculativis, tum practicis, maximè autem de prudentia, vt pote virtutum moralium norma. Septimò de virtute heroïca, continentia, incontinentia, tolerantia, mollitie,& intemperantia: ſub finem de voluptate & dolore; primò quia virtus in voluptate, & dolore moderandis verſatur, ſecundò quia ex multorum mente voluptas eſt vita beata, aut ſaltem vitæ beatæ comes. Octauò de amicitia. Nonò de ejuſdem adjunctis, quia amicitia virtutis fructus eſt, & felicitatis practicæ condimentum. Decimò de voluptate breviter primùm, de felicitate deinde ſpeculativa, & practica copioſiùs, præſertímque de habitu ſapientiæ, vt oſtendat qua ratione tota de moribus diſputatio illuc vſque præmiſſa, in felicitatem tanquam finem initio propoſitum denique revolvatur. At quodnam genus demonſtrationis Ethica agnoſcit? quæſtionem ſolvent quinque pronunciata.

Primum ſit. Triplex eſt demonſtrationis ſpecies,

Metaphyſica, Phyſica, & Moralis; quia rerum principia quædam ſunt, quæ nec per ſe, nec per accidens impediri poſſunt; quædam quæ per accidens, non per ſe poſſunt; quædam nec per ſe, nec per accidens poſſunt. Primam ſpeciem fundant eſſentiæ Metaphyſicæ, ſecundam res Naturales, tertiam res Morales, ſeu actus humani.

Secundum. Hinc triplex gradus certitudinis, & neceſſitatis, quorum primus præſtat ſecundo, ſecundus tertio. Eſſentia Metaphyſicam, & abſolutam neceſſitatem parit, quâ res ita eſt, vt nec per ſe nec per accidens aliter eſſe poſſit: natura ordinariam, & naturalem, quâ res ita eſt, vt per ſe, & ex ordinario curſu rerum ſecus eſſe non poſſit, per accidens tamen poſſit: actio humana Moralem, quá res vtplurimùm ita ſe habet, poteſt tamen per ſe, & ex accidenti aliter evenire.

Tertium. Ethica actuoſa tertium certitudinis gradum admittit duntaxat, primum, & ſecundum reſpuit. Cauſam affert Ariſtoteles, lib. 1. cap. 3. quòd ratio demonſtrandæ veritatis materiæ cuilibet congruere debeat: vt enim opifices modum agendi adhibent materiæ, in qua verſantur, conſentaneum, alium pictores, fictores alium; ita in qualibet doctrina modum exponendæ veritatis, materiæ, qua de agitur, accommodatum tenere debemus.

Quartum. Porrò materia Moralis contingens, & mutabilis eſt; vel enim ſunt actiones humanæ, vel bona externa: illis varietas ineſt, & inconſtantia, quia à libera hominis voluntate, quæ ſui juris eſt, pendent; his verò nec ſua deeſt mutabilitas. Alteri quippe prodeſt vſus divitiarum ad felicitatem, alteri idem obeſt. Hunc juvat forma corporis, illi pluri-

mium nocet; adeo infinita quædam eſt in bonis externis inconſtantia.

Quintum. Itaque Ethica non exquiſitas, & vſquequaque perfectas, ſed populares, & probabiles demonſtrationes admittit. Hoc pronunciatum ſequitur ex quatuor ſuperioribus. Hinc ſatis habet Philoſophus Moralis ex Ariſtotele παχυλῶς, ϗ τύπῳ τἀληθὲς ἐνδείκνυσθαι, pingui Minerva, & adumbrata figuratione de rebus diſſerere; nec minùs graviter erraret, qui à Philoſopho Morali exquiſitas demonſtrationes, quàm qui à Mathematico probabiles tantùm poſtularet; eſt enim eruditi hominis juxtà, & prudentis tantùm in vnoquoque genere diſciplinæ ſubtilitatis requirere, quantùm ipſius rei, de qua agitur, ſuſcipere natura poteſt. Sed de certitudine morali jam fusè in ſubtiliori Logica.

§. 3. *Quinam auditor idoneus Ethicæ.*

HVIC quæſtioni occaſionem dat Ariſtoteles, dum initio lib. 1. Ethic. cap. 3. pronuntiat juvenem Philoſophiæ Moralis non eſſe idoneum auditorem, quia, inquit, imperitus actionum vitæ eſt, & affectibus animi nimiùm obſequitur: at finis prudentiæ Politicæ in actione maximè conſiſtit, quam affectus inordinati præpediunt. Vt quæſtio ſolvatur,

Adverte, aliquem Ethicæ auditorem idoneum duplici ratione dici poſſe, primò ratione majoris diſpoſitionis, ſecundò ratione majoris exigentiæ. Magis idoneus eſt ratione diſpoſitionis, qui plus adjumenti habet, impedimenti minùs: ratione verò exigentiæ, in quo major eſt neceſſitas Ethicæ vel ob imbecillitatem ætatis, vel inopiam conſilii, aliáſque cauſas. His poſitis, ſit

Digitized by Google

Prima Assertio. Iuvenis ætate non eſt perfectè idoneus capeſſendæ Morali, præſertim quà eſt Politica, ſaltem ratione majoris diſpoſitionis.

Probatur. Quia adhuc imperitus eſt rerum humanarum: ergo præcepta, quæ ad Politicam pertinent, pendéntque ab experientia, non poteſt percipere, nec eorum detegere veritatem. Deinde vtplurimùm cupiditatibus obnoxius eſt: at cupiditas officit rectæ rationi, impeditque perfectam conſultationem.

II. Assert. Qui ætate provectus eſt, moribus tamen juvenis, non eſt quoque perfectè idoneus Ethicæ auditor ratione majoris diſpoſitionis.

Probatur ex Ariſtotele. *An ætate, inquit, ſit juvenis, an moribus nihil refert, non enim eſt culpa in tempore, ſed ideò quod perturbationi convenienter vivat, & vnumquodque perſequatur: hujuſmodi enim hominibus, vt & incontinentibus cognitio nihil prodeſt; iis verò, qui ratione appetitiones ſuas & actiones regunt, fructum vberrimum affert:* Ergo ex Ariſtotele provectus ætate, moribus tamen juvenis, non eſt idoneus Ethicæ auditor, quia perturbationibus ſervit.

Secundò. Idoneus Philoſophiæ auditor, ex Ariſtotele, non debet eſſe paſſionum ſectator, quia non conſequeretur finem hujus ſcientiæ, quæ eſt recta, & honeſta vita; non conſequeretur autem, quia non viveret honeſtè, ſed vt beſtia. Nam ſectator paſſionum, ex Euſtratio, nullo modo reſiſtit cupiditatibus per rationem, ſed eas ſequitur toto impetu; nec incontinens, quia incontinens eſt, qui proponit ex ratione vivere, & cupiditati reſiſtere, quâ tamen inſurgente ſæpe vincitur. Ergo vix proficiet ex præceptis Ethicæ: atqui moribus juvenis,

Digitized by Google

eſt vel ſectator paſſionum, vel incontinens. Ergo, &c. Poteſt tamen incontinens fieri vtilis auditor, quia regulas à Morali ſibi traditas poteſt conſiderare, firmare propoſitum cupiditates vincendi ex ratione, adeóque finem hujus ſcientiæ aſſequi: Quare ſit

III. ASSERT. Etiam ætate juvenis ratione majoris exigentiæ eſt idoneus Ethicæ auditor.

Probatur. Iuvenilis ætas inops conſilij per ſe ipſa eſt. Ergo opus habet Ethicæ præceptis, quibus regatur. 2. Vexatur multis animi morbis, nempe cupiditatibus, & ad vitia ſuâ ſponte fertur: ergo magis eget Philoſophia Morali, quæ eſt moderatrix cupiditatum, expultrixque vitiorum. 3. Iuvenibus deliberandum eſt de vitæ futuræ ſtatu: ergo debent præcognoſcere finem, ad quem tendunt, & media ad eum conſequendum aptiſſima: ſed Ethica de fine illo ac mediis agit, vnde à Tullio dicitur vitæ dux, & magiſtra. 4. Communis hactenus populorum conſenſus ita obtinuit, quorum in excolendis juvenum animis ſemper fuit olim, hodieque eſt magna ſedulitas. Quippe juventus eſt tabula veluti raſa, cui ſuos colores facilè Moralis illinere poſſit; purgatum veluti ſolum, & ad concipiendos virtutis ſatus aptiſſimum; ætas denique ad præcepta Ethicæ addiſcenda oppidò idonea, vt pote tractabilis, bonique ſequax, necdum vitiis aſſueta.

Objicies. Ex Ariſtotele juvenis non eſt auditor idoneus Ethicæ.

Reſp. diſt. Ethicæ, quà Politica eſt, concedo: quà eſt Monaſtica, agitque de virtutibus privati ſtatus, nego. Patet enim legenti Ariſtotelem, eò loci juvenes excludere tantùm à Politica, quia carent rerum peritia. 2. Non eſt idoneus habita ratione majoris diſpoſitionis, tranſeat: ratione majoris exigentiæ, nego.

PARS PRIMA ETHICÆ.

DE PRINCIPIO FINALI MORVM, ſive de beatitudine.

ARISTOTELES, lib. 1. Eth. naturam beatitudinis antè inquirit, quàm de actibus humanis agat, quia, inquit, fine vltimo tanquam ſcopo nobis propoſito, id, quod expetendum eſt, faciliùs conſequimur. Ratio eſt, quia finis eſt primum principium in practicis, & ſe perinde habet ad actiones humanas, ac prima principia ad concluſiones in ſpeculativis. Vt ergo prima principia ſunt origo omnis cognitionis in ſpeculabilibus, quia per ſe nota; ita finis eſt origo omnis motus in agibilibus, hoc eſt, intentionis, electionis, & actionis, quia eſt primum appetibile: quare juxta methodum Philoſophi progrediemur ordine reſolutivo, nempe à fine humanorum actuum ad media, quibus finem aſſequimur, tréſque diſputationes in hac prima parte circa finem inſtituemus. Prima erit de bono, & malo. Secunda de natura finis. Tertia de beatitudine tum naturali, tum ſupernaturali.

DISPVTATIO PRIMA.

De bono & malo.

CVM de bonis & malis agitur, nemo eſt, qui dubitet, ex D. Auguſtino de moribus Manichæorum, quin hoc genus quæſtionis ad Moralem diſciplinam pertineat. Quare vtriuſque tractationem hac prima diſputatione complectimur; præſertim cùm ejuſdem diſciplinæ ſit de oppoſitis agere; quærimúſque primò, quid ſit bonum, & quæ illius proprietates; ſecundò quæ mali natura, & cauſæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

De natura boni.

ANTEQVAM boni naturam indagemus, multiplicem illius diviſionem præmittimus.

§. 1. *Diviſio boni.*

CVM res eo modo ſit bona, quo eſt ens, tot modis bona dici poteſt, quot dicitur ens; hinc

Prima boni partitio fit in bonum tranſcendens, quod cuilibet enti convenit, vt eſt participatio Dei; & categoricum, quod certo enti convenit.

Categoricum dividitur in naturale, & morale: Illud enti, vt eſt à natura, convenit; hoc enti, vt agit ex ratione.

Secunda in ſummum, ſeu ſupremum, & in non ſummum, & per participationem. Supremum eſt, quod ex natura ſua bonum eſt independenter ab alio, omnémque in ſe bonitatem continet, dicitur bonum per eſſentiam. Non ſupremum eſt, quod

eſt bonum dependenter ab alio, habétque bonitatem à ſupremo bono derivatam. Tale eſt bonum creaturæ, vtpote participatum. Primum definit Auguſtinus in Pſ. 14. quod per ſe bonum eſt: ſecundum, quod ab alio bonum eſt.

Morale, ſubdividitur in vtile, jucundum, & honeſtum. Vtile eſt, quod non eſt propter ſe expetibile, ſed propter aliud; hinc eſt bonorum infimum, habétque per ſe tantùm rationem medij, non finis. Quin etiam ex aliquibus non habet amabilitatem præter eam, quam ſumit ab objecto: quamquam amabilitas poteſt ſumi vel terminativè, vel motivè. Vtile vt vtile mutuatur vim movendi à bono, ad quod confert; at diverſam vim habet terminandi appetitus: quia alio actu amatur bonum vtile: alio honeſtum, ad quod conducit. Vtile enim eſt objectum electionis: honeſtum verò objectum intentionis.

Porrò quia inter media generalia divitiæ recenſentur; qui divitiis ſtudent, dicuntur magis vtilitatem ſectari, vt avari; & qui finem in divitiis ſtatuunt, dicuntur magis ordinem naturæ pervertere, quàm ambitioſi, aut voluptuarij, quia jucundum, aut honeſtum poſſunt habere rationem finis, non vtile; meritò itaque avarorum vitam non vitalem vocat Ariſtoteles.

Iucundum eſt, quod voluptatem, ſeu delectationem efficit. Voluptas enim eſt ſenſus boni poſſeſſi. Et quia bonum poſſideri poteſt vel perfectè, vel imperfectè; hinc Ariſtoteles, lib. 7. Ethic. cap. 15. operationem vocat aliam perfectam, aliam imperfectam. Operatio perfecta eſt, quæ fit ſumma cum voluptate; imperfecta autem ſemper admixta eſt cupiditati, & dolori. Cupimus enim id, quod deeſt ad

Digitized by Google

perfectionem dolorémque percipimus ex privatione boni, quod deeſt; hinc voluptates imperfectas vocat Philoſophus medicinales, quia replent id, quod deeſt à natura, dicuntúrque tantùm bonæ per accidens, vt voluptates corporeæ; hinc denique idem Ariſtoteles pronunciat voluptatem eſſe perfectionem actionis, in eo vtique poſitam, quòd aliquis ſentiat ſe operari. Et quia bonum eſt id, quod ſubjectum perficit, ideo quidlibet perficitur, cùm agit per virtutem, quam in ſe habet

Honeſtum eſt, quod per ſe expetitur, decétque naturam intelligentem. Breviùs, quod eſt conforme rationi. Dicitur bonum ſimpliciter, & ſine addito, quia ad illud, jucundum, & vtile referuntur. Non enim idcirco natura rebus voluptatem aſperſit, vt ametur tamquam finis, ſed tamquam condimentum actionis, & medium ad finem. Ait tamen Ariſtoteles, honeſtum & jucundum eſſe amabilia tamquam fines: non quòd jucundum ſui gratiâ amari debeat, nulla enim delectario amari debet propter ſe, niſi fortè ſit fructus ex vltimo fine poſſeſſo perceptus; ſed quia poteſt amari tanquam finis, quamvis non ſine perverſitate.

Tertia in abſolutum, & relativum. Abſolutum eſt, quod bonum eſt in ſeipſo, habétque perfectionem ſibi debitam: Relativum, quod alteri bonum eſt, habétque perfectionem eidem convenientem.

Relativum, in naturale, & morale ſubdividitur. Naturale eſt, quod naturæ conveniens eſt, vt calor igni: Morale, quod convenit naturæ rationali, vt rationalis eſt; ſic exempla bonorum ſunt bona moralia relativa. Rurſus relativum dividitur in intrinſecum, ſeu formale; ſic calor formaliter, & intrinſecè recipitur, inhærétque in igne vt forma:

& extrinſecum, quod vel eſt effectivum. Sic ignis frigeſcenti bonus eſt efficienter, quia ipſum calefacit: vel objectivum, quod eſt objectum potentiæ amantis; ſic tabella aliqua affabrè depicta eſt bonum relativum objectivum oculi.

Quarta in bonum verum, & apparens. Verum eſt, quod tale eſt, quale apparet: apparens, quod non eſt tale, quale apparet. Hinc patet quomodo bonum dicatur eſſe in rebus; veritas autem in intellectu.

Nota hîc diviſionem boni in vtile, jucundum, & honeſtum, eſſe tantùm ſecundùm rationem, non ſecundùm rem. Nam triplex illud bonum in eadem re ſæpius reperitur. Quid enim eâdem virtute vtilius, jucundius, honeſtiúſque? Quare D. Thomas hanc diviſionem analogam vocat, quia bonum primò & per ſe de honeſto dicitur.

§. 2. *De eſſentia boni.*

AD boni eſſentiam clariùs explicandam quatuor prænotanda ſunt.

Primum. Bonum vel eſt ad ſe, vel ad aliud. Bonum ad ſe, abſolutum eſt; bonum ad aliud, relativum, idque duplex: vel enim reſpicit ſubjectum, quod perficit, vel appetitum, qui movetur, & afficitur ab eo; hinc perfectum, perfectivum, ſeu conveniens & appetibile bonum dicitur. Perfectum, vt ad ſe eſt; perfectivum, & conveniens, vt eſt ad ſubjectum; appetible, ſeu amabile, vt appetitum reſpicit.

Secundum. Perfectum definitur ab Ariſtotele, lib. 5. Metaphyſ. cap. 16. cui nihil deeſt eorum, quæ adeſſe debent; ſeu quod ſecundùm ſpeciem propriæ virtutis in nullo deficit; perfectio, plenitudo eſſendi, ſeu integritas cujuſque rei, à qua habet, vt ni-

hil redundet, aut deſit. Perfectivum, quod perfectionem ſuam aptum eſt derivare in inferiora perfectibilia. Dixi, inferiora; bonum enim ſe cum imperio communicat, ideóque ſuperius eſt reſpectu perfectibilis, in quo capacitatem, inclinationem, ſeu exigentiam connotat. Conveniens, quob ſubjecto ex proportione quadam congruit. Amabile, ſeu appetibile, quod aptum eſt terminare amorem facultatis appetentis. Hinc forma perfecti conſtitutiva, eſt perfectio; perfectivi, ſeu convenientis, vis perfectiva ſubjecti, quæ dicitur amabilitas activa, & vis faciendi amoris; amabilis, ipſa amabilitas paſſiva, quæ eſt vis terminandi amoris. Perfectio radix eſt virtutis perfectivæ, virtus perfectiva convenientiæ, convenientia amabilitatis, ſeu appetibilitatis. Vnde triplex ſententia de eſſentia boni. Prima in perfectione rei conſtituit. Secunda in vi perfectiva, ſeu convenientia. Tertia in amabilitate paſſiva, ſeu appetibilitate.

Tertium. Bonum abſolutum prius eſt relativo, quia prius eſt rem eſſe ad ſe, quàm ad aliud, & omne relativum fundatur in abſoluto, nec quidquam eſt vtrique perfectè vnivocum. Quare

Quartum. Alia eſt eſſentia boni abſoluti, alia relativi, tum quia prior eſt eſſentia abſoluta, quàm relativa: tum quia quæcunque non conveniunt vnivocè, vnâ nequeunt definitione explicari. His prænotatis,

I. Aſſ. Bonum abſolutum idem eſt ac perfectum: bonitas autem abſoluta eſſentialiter entis perfectio, ſeu plenitudo perfectionum cuilibet enti debitarum: Ita D. Thomas 1. p. q. 5. a. 1. 3. & 5. Probatur 1. Eſſentia cujuſque rei primò ipſam conſtituit, & eſt radix ejus proprietatum: perfectio cujuſque entis bonum

abſolutum conſtituit, & eſt radix illius proprietatum: ergo eſſentia boni abſoluti eſt perfectio cujuſque rei. Probatur minor, 1. quòd primò conſtituat, quia nihil prius afferri poteſt; non vis perfectiva, non convenientia, aut amabilitas paſſiva quia ſunt formæ relativæ; forma autem boni abſoluti eſt abſoluta; at abſolutum prius eſt relativo, habétque ſe ad relativum, vt vnum ad duo; & vnum prius eſt duobus ex tertio prænotato. 2. Quòd ſit radix proprietatum, patet: nam amabilitas ex convenientia, convenientia ex vi perfectiva ſubjecti, vis perfectiva ex perfectione fluit; ideo enim bonum mihi amabile eſt, quia mihi conveniens; ideo mihi conveniens, quia mei perfectivum; ideo perfectivum, quia in ſe perfectum, & quaſi plenum; diffundit quippe ſe ad extra, & alteri communicat ex quadam plenitudine, & redundantia. Confirmatur 1. ex D. Thoma, a. 3. jam citato, *Omne ens, inquit, in quantum eſt ens, eſt in actu, & quodammodo perfectum, quia omnis actus perfectio quædam eſt: perfectum verò habet rationem boni.* 2. Ex definitione boni, quam tradunt Cicero 3. de finibus, Seneca in epiſtolis, & Simplicius in Epictetum, cap. 51. bonum eſt, quod ſecundùm naturam cujuſlibet eſt, cùm perfectione pollet, & numeris ſuis. Hinc effatum commune, bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu; hinc perfectè bonum dicimus, cui nihil deeſt ad ipſum conſtituendum; malum verò, cui aliquid deeſt eorum, quæ adeſſe debent, ex 5. Metaphyſ. cap. 16.

Quoniam autem res poteſt dici triplici ratione bona, 1. abſolutè, & eſſentialiter, 2. integraliter, 3. accidentariò; ideo triplex eſt bonitas, ſeu perfectio entis. Prima eſſentialis, cùm ens habet omnia

ad eſſentiam requiſita; ſic homo dicitur bonus eſſentialiter Phyſicè, cùm conſtat corpore & anima. Secunda, bonitas integralis, cùm nullæ partes deſiderantur; ſic homo eſt bonus integranter, cùm nullis membris corporis eſt mutilus. Tertia, accidentaria; cùm accidentia omnia naturæ adſunt. Huic triplici bonitati triplex malitia opponitur, cùm nempe deeſt aliquid vel eſſentiale, vel integrans, vel accidentale.

Porrò triplici illa bonitate Deus gaudet. Nam nec corrumpi, nec annihilari poteſt, quia eſt bonus bonitate eſſentiali: nec quidquam ad integritatem ipſi deeſt; eſt enim ſimpliciſſimus: ergo non poteſt vllis partibus ſubſtantiæ carere: nec denique caret bonitate accidentali, non quòd in eo ſit vllum accidens, ſed quia bona, quæ in nobis ſunt tamquam accidentia, in eo per eſſentiam ſunt; meritò itaque dicitur ſolus bonus, & neceſſariò bonus, & ſummè bonus, cui proinde tres iſtas dotes tribuunt Philoſophi. 1. Cuncta ſua virtute bona continet. 2. Omnium principium, & caput eſt. 3. Cuncta perficit, quæ procreavit.

II. Assert. Bonum relatum ad ſubjectum, quod perficit, idem eſt formaliter ac perfectivum & conveniens. Probatur 1. ex D. Thoma, qui quæſt. 21. de verit. a. 1. ait bonum dicere rationem perfectivi alterius. 2. Vt bonum abſolutè dicitur, quod in ſe perfectum eſt, ita relativum ad ſubjectum dici debet, quod ejuſdem perfectivum eſt; quod autem perfectivum eſt, ſtatim quoque conveniens & amabile perfectibili, quia perfectionem habet eidem proportionatam, & congruentem, quæ ipſius appetitum allicere poſſit, & amorem terminare, hinc tria ſequuntur

Primum. Amabilitas boni paſſiva, eſt proprietas ex convenientia, vt è radice proxima orta: ideóque dum Ariſtoteles, 1. Ethic. cap. 1. ait bonum eſſe, quod omnia appetunt, non tam definit, quàm deſcribit; quod Philoſopho Morali ſufficit, qui non exquiſitam boni definitionem ſectatur, vt Metaphyſicus. Ratio eſt, quia ſpectat tantùm bonum in ordine ad voluntatem, quam movet. Hæc porrò deſcriptio ſumi poteſt vel collectivè, vel disjunctivè. Si collectivè, ſenſus eſt, bonum illud eſſe, quod omnes omnino res appetunt; quo ſenſu hæc deſcriptio vni ſummo bono convenit, in quod quælibet appetitio fertur vel implicitè, vel explicitè, vt poſtea probabo. Si disjunctivè, ſenſus eſt, bonum eſt, quod ab aliquo ente expeti poteſt: licèt enim virtus ab equo, v. g. non expetatur, tamen ab homine expetitur, quia ipſi congruit.

Secundum. Bonitas eſt intrinſeca cuilibet enti; in abſolutis abſoluta, in relativis relativa. Quare ratio boni abſtrahit imperfectè à bono abſoluto & relativo. Dixi, imperfectè, quia abſoluto, & relativo nihil eſt perfectè vnivocum.

Tertium. Objectum voluntatis proſequentis adæquatum, non eſt bonum, quatenus nobis conveniens eſt, 1. quia omnis amor eſſet amor concupiſcentiæ, nullus benevolentiæ; omne enim bonum propter nos, & nobis amaremus, quod falſum eſt: beati quippe amant Deum propter ipſum & ſine reſpectu ad ſe, ac proinde convenientia Dei cum illis, & ad illos, non eſt ipſis ratio amandi. 2. quia Deus licèt nobis conveniens non eſſet, tamen propter ſe amandus foret: itaque adæquatum voluntatis proſequentis objectum eſt perfectio, ſeu bonitas rei vel abſoluta, vel relativa ad nos. Ex illa naſcitur amor abſolu-

tus, qui fertur in rem, vt in ſe perfecta eſt: ex iſta amor reſpectivus, qui tendit in objectum, vt eſt perfectivum alterius, ipsíque conſentaneum. Primus dicitur amor benevolentiæ; ſecundus amor concupiſcentiæ. Primus eſt nobilior ſecundo, quia eſt amor objecti habentis bonitatem in ordine ad ſe: ſecundus ignobilior primo, quia eſt amor objecti bonitatem ſuam per ordinem ad aliud habentis.

ARTICVLVS II.

Proprietates boni.

PRIMA eſt, quòd ſui ſit communicativum. Ita Deus, quod eſt ſummum bonum, ad intrà Filio & Spiritui ſancto ſe ſummè communicat. 2. Ad extrà vel per creationem, & conſervationem, vt author naturæ; vel per juſtificationem, vt author gratiæ; vel per glorificationem, vt author gloriæ.

Hæc communicatio fieri poteſt in omni genere cauſæ: vel materialis, ſic materia ſe communicat formæ eam ſuſtentando: vel formalis, ſic forma perficit materiam ſe illi tradendo: vel efficientis, ſic quodlibet agens ſe effectui ſuo communicat: vel finalis, ſic Deus ſe communicat vt finem vltimum naturis intelligentibus.

Secunda, eſt appetibilitas, ſeu illecebroſa quædam vis appetitum ad ſe prolectans. Porrò duo hîc quæri ſolent. 1. An res omnes appetant bonum, & quo appetitu. 2. An ſolum bonum appetibile ſit.

§. I. *An omnia bonum appetant, & quo appetitu.*

APPETITVS vt ſic, eſt inclinatio ſeu propenſio vnius rei in alteram, ſive in bonum, quod eſt conveniens.

Duplex eſt vniverſim, innatus, & elicitus. Innatus eſt facultas quædam permanens, cuilibet rei à natura inſita, qua fertur in bonum ſibi conveniens. Talis eſt voluntas in homine: elicitus, eſt actio ab innato appetitu circa bonum proprium elicita. Talis eſt amor voluntatis in bonum proprium.

Vterque triplex eſt. Primus naturalis, quo res ſine cognitione prævia ferri poteſt in bonum conveniens, ſi ſit innatus, vt gravitas in lapide: vel fertur actu, ſi ſit elicitus, vt gravitatio lapidis in centrum. Secundus, ſenſitivus: innatus eſt facultas animantibus indita, quâ ferri poſſunt in bonum ſenſitivum ex prævia cognitione ſenſuum: elicitus, eſt actio ejuſdem facultatis, vt amor aut deſiderium. Tertius denique, rationalis: innatus eſt voluntas, quâ homo prælucente cognitione rationali fertur in bonum ſuum: elicitus verò; actio voluntatis, putà amor, aut electio. Porrò appetitus elicitus propriè convenit tantùm rebus agentibus ex cognitione. His notatis,

Facilè explicabis quomodo omnia bonum appetant appetitu ſibi proprio, nempe vel innato, vel elicito, naturali, vel ſenſitivo, vel rationali. Nam omnia inanimata tendunt in bonum ſibi conveniens, vt lapis in centrum, à quo, & in quo conſervatur: ſenſitiva per facultatem, & ejus operationem, vt bruta ad paſtum: intellectualia denique ad bonum

rationis, vt homo ad ſcientiam; Deus ipſe, & beati ad bonum, in quo ſibi complacent. Itaque omnia appetunt bonum, nempe ſibi proprium.

Objicies 1. Malum non appetit bonum: ergo non quælibet res appetit bonum.

Reſp. Malum vel ſumi pro ſubjecto habente malitiam, & materialiter: vel pro ipſa malitia, & formaliter: vel denique reſpectivè, pro aliqua qualitate ſubjecto, cui ineſt, repugnante. Malum primo modo ſumptum bonum appetit, quia quodlibet ſubjectum ſui conſervationem appetit. Secundo modo ſumptum, non appetit bonum, quia malitia formaliter ſumpta eſt privatio, adeóque nihil eſt formaliter. Tertio denique modo appetit bonum. Sic frigus, licèt reſpectu ignis malum ſit, tamen eſt bonum aquæ, & ſecundùm ſe, ideóque ab ipſa appetitur.

Objicies 2. Deus, & beati nihil appetunt, quia nihil deeſt illis.

Reſp. diſt. anteced. Nihil appetunt appetitu deſiderij, concedo: appetitu ſimplicis complacentiæ, nego. Certè Deus ſibi complacet in ſuis perfectionibus, & beati gaudent de Deo poſſeſſo, ipſum ſtringunt, arctiùs ejúſque ſuavitudinem quaſi regustant, ſéque iis vocibus invitant, guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Deinde licèt Deus non feratur in bonum internum appetitu deſiderii, poteſt tamen externum appetere, quod homines illi denegant, non anxiè quidem, ſed voluntate beneplaciti.

§. 2. *An malum, quà malum appeti poſſit.*

HÆc quæſtio ſuperiorem confirmat. Nam ſi malum, quà malum, appeti non poteſt, rectè

dixit Ariſtoteles bonum eſſe, quod omnia appetunt.

Status itaque quæſtionis eſt, an voluntas in malum, quod apparet eſſe malum, motu proſecutionis ferri poſſit, ita vt malitia formalis ſit ratio movens, propter quam illud velit.

1. Obſervatio. Malum ſumitur vel materialiter pro ipſa re, quæ mala eſt, licèt non cognoſcatur vt mala, ſed aliquando vt bona: vel formaliter, & reduplicativè, provt mala eſt, ejúſque malitia cognoſcitur, & vt talis appetitur.

2. Obſervatio. Duplex eſt actus voluntatis, alter, qui dicitur volitio, ſeu proſecutio, quo fertur in objectum amando, proſequendo, & quaſi prenſando: alter, qui dicitur nolitio, fuga, & averſio, quo objectum ſibi propoſitum averſatur, & fugit. Hinc duplex quæſtio. 1. An voluntas per actum proſecutionis malum, quà malum velle poſſit. 2. An per fugam, & averſionem, bonum vt bonum nolle poſſit.

Certum 1. appetitum innatum, ſeu naturalem ferri ſemper in bonum verum, & numquam apparens, quia appetitus ille à natura inſitus eſt, quæ nuſquam errat, nihílque aliud eſt, quàm propenſio congenita rei ad perfectionem ipſi connaturalem.

Certum 2. appetitum rationalem poſſe appetere malum ſub ratione boni, quia bonum apparens eſt appetibile. At malum ſub ratione boni eſt bonum apparens, & quaſi larvatum: ergo eſt appetibile. 2. Intellectus aſſentitur falſo, quod ſpeciem veri habet: Ergo à pari voluntas poteſt proſequi malum, quod apparet bonum.

Porrò id diſcriminis eſt inter appetitum elicitum brutorum, & rationalem, quòd primus numquam aberret à ſuo proprio bono, nempe ſenſibili, quia ſicut viſus ad colores, ſic appetitus ſenſitivus ani-

Digitized by Google

malium determinatus eſt ad bonum ſenſibile; Hinc cùm canis ad offam veneno corruptam advolat, allicitur vel ſapore, vel odore, ideóque fertur in bonum ſenſibile. Et verò cùm ab authore naturæ in finem ſuum dirigatur; ſi à proprio bono deflecteret, illa inordinatio in Deum refunderetur. At contrà appetitus rationalis ſæpe deflectit à proprio bono, quod honeſtum eſt, & poſtponit bono ſenſibili, qui defectus libertati tribuitur, non Deo. Quo in caſu aberrat voluntas humana ab objecto quidem proprio, non tamen ab objecto ſimpliciter, quia vt eſt appetitus vniverſalis, habet pro objecto adæquato non tantùm bonum honeſtum, ſed etiam vtile ac jucundum. His poſitis ſit

Assert. vnica. Voluntas non poteſt amare malum formaliter vt malum, nec odiſſe bonum formaliter vt bonum. Probatur authoritate. 1. Ariſtotelis 8. Ethic. c. 2. ita loquentis ſibi, δοκεῖ γὰρ οὐ πᾶν φιλεῖσθαι, ἀλλὰ τὸ φιλητόν. Τοῦτο δ' εἶναι ἀγαθὸν ἢ ἡδὺ ἢ χρήσιμον. Non omne amari videtur, ſed quod eſt amabile. Iſtud autem eſt honeſtum, vel jucundum, vel vtile. Hinc probat. 5. Ethic. c. 9. & 11. neminem poſſe ſibi facere injuriam, aut ſponte pati, quia amaret id, quod ipſi malum foret. At nullus vult, & amat, quod ſibi non putat eſſe bonum. οὔτε γὰρ βούλεται οὐδεὶς, ὃ μὴ οἴεται εἶναι σπουδαῖον. Conſentit D. Dionyſius, lib. de divin. nom. cap. 4. Nemo intendens in malum operatur. Denique D. Auguſtinus, lib. 2. Confeſſ. c. 4. docet neminem amare malum, quà malum, ſed fallente dumtaxat boni ſpecie, ipsúmque adeo Catilinam ne ſua quidem amaſſe facinora, ſed aliud quidpiam, cujus causâ illa patrabat.

Probatur 2. ratione. Nulla potentia fertur

Digitized by Google

extra amplitudinem objecti proprii, & actuum ſuorum ſpecificativi, tum quia objectum potentiæ illud eſt, circa quod verſatur, aut verſari poteſt; implicat autem contradictionem, potentiam verſari circa aliquid, quod non ſit, aut non poſſit eſſe illius objectum; tum quia quælibet potentia ſphæram ſuæ virtutis, & efficientiæ determinatam habet; tum quia potentiæ ipſæ confunderentur, nulláque foret actuum earum diſtinctio: hinc viſus non poteſt ferri extra colores, auditus extra ſonos, &c. Atqui malum, quà malum, eſt extra objectum voluntatis amantis, & proſequentis, quia malum, quà malum, eſt odibile; odibile verò, quia diſconveniens; diſconveniens, quia corruptivum ſubjecti; corruptivum ſubjecti, quia imperfectum; imperfectum, quia non ens: bonum, quà bonum eſt extra objectum voluntatis averſantis, & fugientis, quia bonum, quà bonum, eſt amabile; amabile, quia conveniens; conveniens, quia perfectivum; perfectivum, quia perfectum; perfectum, quia ens: Ergo voluntas non poteſt amare, & proſequi malum formaliter vt malum, nec odiſſe & fugere bonum formaliter vt malum.

Confirmatur minor. Oppoſitarum eſſentiarum oppoſitæ ſunt proprietates. Vt enim vna eſſentia ad alteram eſſentiam ſe habet, ita proprietas vnius eſſentiæ ad proprietatem eſſentiæ alterius: at proprietas boni eſt amabilitas: proprietas mali eſt odibilitas; illa fundatur in proportione, & convenientia, quæ amoris eſt conciliatrix: hæc in diſſimilitudine, & diſconvenientia, quæ odii, & fugæ effectrix.

Confirmatur 2. ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 8. a. 1. quælibet appetitio eſt quædam inclinatio appeten-

tis in aliquid, nihil autem inclinatur niſi in aliquid ſimile, & conveniens; quod autem eſt conveniens eſt ens, & bonum: Ergo non poteſt eſſe inclinatio voluntatis niſi in bonum: aut ſi quis eſt actus voluntatis in malum, is vtique non propenſio, & amor, ſed averſio, & fuga.

Probatur 2. Quidquid amatur, vel amatur vt finis, vel vt medium; vel enim amatur propter ſe, vel propter aliud. Si primum, eſt finis; ſi ſecundum, eſt medium: omnis porrò finis eſt bonus vel in ſe, vel in apprehenſione, quia præſens retinet, abſens allicit; medium autem fini proportionatum eſſe debet, vt pote eidem aſſequendo opportunum.

Probatur 3. Vt ſe habet intellectus ad falſum, & verum, ita voluntas ad malum & bonum: intellectus non poteſt in falſum, quà falſum, eſt ferri per aſſenſum, nec à vero, vt verum eſt, recedere per diſſenſum: ergo nec voluntas in malum formaliter, vt malum per amorem propendere poteſt: nec bonum formaliter, vt bonum, per odium averſari: ſicut enim verum eſt proprium objectum intellectus aſſentientis, ita bonum eſt proprium objectum voluntatis proſequentis; & ſicut falſum eſt objectum intellectus diſſentientis, ita malum eſt objectum voluntatis averſantis; hinc fluxit pronunciatum in moralibus tritum ac vulgare. Voluntas non eſt libera libertate ſpecificationis circa malum, vt malum, aut circa bonum, vt bonum, quia ex hypotheſi, quòd verſetur circa malum actu poſitivo, non poteſt verſari, niſi fugiendo, & averſando: aut ſi circa bonum, vt bonum, non poteſt verſari niſi amando, & proſequendo, quare eſt tantùm libera circa vtrumque libertate contradictionis, quia poteſt amare, aut non amare bonum; odiſſe aut non

odiſſe malum. Porrò dum voluntas dicitur bonum cognitum ita amare, vt poſſit non amare, ſenſus non eſt, quòd aliquid ſit odibile in bono, ſed quòd in illo nihil ſit neceſſariò determinans voluntatem ad ipſius amorem. Ex dictis

Colliges 1. Nolle, & non velle inter ſe diſtingui, quia nolle eſt actus poſitivus voluntatis fugientis; non velle autem ceſſatio ab actu proſecutionis. 2. Si quod eſſet ejuſmodi objectum, quod nec bonum, nec malum appareret, ſed indifferens, nec amari idem poſſe, nec odio haberi, quia nec amabile, nec odibile foret, ac proinde appetitum movere ad amorem ſui, aut odium non poſſet. At

Quæres an voluntas, dum avertitur à malo, convertatur ad bonum; ſeu an odium mali fundetur in amore boni. Reſpondet D. Thomas 1.2. qu.29.a.2. affirmativè. Ratio à priori prima eſt ex parte actus, quia odium ſe habet ad amorem vt negatio ad affirmationem, ex Ariſtotele 2. de anima, c. 8. At omnis negatio fundatur in affirmatione, nec poteſt eſſe negatio in intellectu, quin affirmatio ſaltem virtualis in eodem inſit: Ergo nec odium mali in voluntate eſſe poteſt, quin ſit amor ſaltem virtualis boni. 2. Ex parte voluntatis, quæ primò & per ſe tendit in bonum, ſecundariò fugit malum, vnde conſequens eſt, vt primarium ejus objectum ſit bonum, ſecundarium autem malum: porrò ſecundus motor non movet niſi in virtute primi motoris; hinc pronunciatum D. Dionyſii: Malum non agit niſi in virtute boni. Tertia ex parte objecti nempe mali, quod cùm ſit non ens, fundatur tantùm in bono, quod eſt ens. Adde quòd malum eſt diſconveniens & repugnans; bonum conveniens & congruum per ſe naturæ; at prius eſt in vnoquoque ente, quod

Digitized by Google

ei convenit per ſe, quàm quod ei diſconveniens eſt. Denique odium eſt receſſus voluntatis à malo, vt à termino à quo: at receſſus ab vno termino non poteſt eſſe, ſine acceſſu ad alterum, vt cernere eſt in motu locali, vnde patet odium non poſſe eſſe, ſine amore alicujus boni, quia acceſſus voluntatis ad ſuum terminum eſt amor.

§. 3. *Diluuntur objecta.*

OBIICIES. Voluntas eſt libera circa malum, vt malum. Ergo poteſt appetere malum, vt malum.

Reſp. diſt. anteced. libertate contradictionis, & exercitii, concedo: libertate contrarietatis, nego. Porrò libertas contradictionis eſt, quæ poteſt ponere actum, vel non ponere: Libertas contrarietatis, quæ poteſt ponere actus contrarios, nempe amoris, & odii.

Inſt. 1. Dum voluntati duo bona proponuntur, ſæpe minus eligit relicto majori: at minus bonum eſt malum reſpectu majoris: ergo eligendo minus bonum eligit malum.

Reſp. diſt. major. Sæpe minus bonum eligit ſimpliciter, & quatenus bonum eſt, concedo maj. reſpectivè, & quatenus minus bonum eſt, nego majorem. Et diſt. min. Minus bonum eſt malum abſolutè, nego min. Reſpectivè ad maius, ſeu quà minus eſt, tranſeat: nam quoties minus bonum eligitur præ majori, ſola ratio bonitatis eſt motivum amandi, vnde non amatur formaliter, vt minus. Deinde voluntas poteſt habere pro objecto exercitium libertatis ſuæ conjunctum cum minori bono, quod eſt aliquod bonum.

Objicies 2. Qui peccant ex certa malitia, volunt

malum, vt malum eſt, quia in hoc diſtinguitur peccatum malitiæ à peccato fragilitatis.

Reſp. Nego ant. & prob. In hoc enim peccans ex certa malitia diſtinguitur à peccante ex fragilitate, quòd ille nulla perturbatione vehementi, vel cujuſquam impulſu, ſciens volénſque flagitium patrat, tendendo tamen in aliquam rationem boni ſaltem apparentis. Seu quod manifeſtius cognoſcit eſſe contra rationem, & à quo non eſt difficile abſtinere, patrat, v. g. novit aliquis furtum eſſe malum inhoneſtum, & tamen fertur in illud ſub ratione boni vtilis, aut delectabilis, licèt non incitetur vehementi cupiditate, tunc peccat ex malitia: hic verò, quòd vehementi cupiditate impulſus in malum feratur, malum inquam rationi non ſenſui. Nam etiam peccans fertur in bonum ſaltem apparens. Et quia quodlibet bonum creatum limitatum eſt, ſempérque habet aliquid mali admixtum, ideò intellectus facilè in eo detegit objectum fugæ, & proſecutionis; habet enim plures quaſi vultus; & quod rationi congruum eſt, ſæpè appetitui inferiori moleſtum. Sic grave eſt appetitui ſenſitivo abſtinere à carnibus die Veneris; at rationi conſentaneum, quia honeſtum. Hinc meritò peccans dicitur ignorans, & errans, quia peccat allectus boni ſpecie, carétque cognitione, quam ſi hîc, & nunc haberet, non peccaret.

Objicies 3. Voluntas poteſt velle quidquid intellectus judicat amabile: intellectus poteſt judicare malum, quà malum, eſſe amabile. Nam reipſa Nominales judicarunt malum quà malum eſſe amabile. Ergo voluntas poteſt velle malum, quà malum.

Reſp. diſt. maj. Voluntas poteſt velle id, quod intellectus judicat amabile ſpeculativè tantùm, nego:

go: practicè, concedo. At Nominales judicarunt tantùm ad ſummum, malum, quà malum, eſſe amabile ſpeculativè, & in abſtracto, non verò practicè, & in particulari; nam judicarunt tantùm propoſitionem illam ſpeculativè ſpectatam eſſe veram. At numquam judicarunt malum hîc, & nunc eſſe amandum, quia malum examinatum per ordinem ad voluntatem ſemper apparet diſconveniens.

Inſt. 1. Malum judicatum amabile ſpeculativè eſt intra ſphæram voluntatis proſequentis: ergo eſt amabile ab ipſa.

Reſp. diſt. ant. Iudicatum amabile ſpeculativè, nego: practicè, concedo. Ratio eſt, quòd voluntas numquam amet objectum liberè, niſi ex judicio practicè practico.

Inſt. 2. Saltem poterit voluntas ferri in malum, quod judicatum ſit ab intellectu amabile ſpeculativè, per complacentiam ſimplicem.

Reſp. Nego, niſi præeat judicium practicum, aut ſaltem apprehenſio, quæ ſit illius fructus.

Inſt. 3. Poſſum habere ſimplicem complacentiam circa bonum impoſſibile.

Reſp. diſt. Cognitum practicè, concedo: ſpeculativè tantùm, nego. Nam impoſſibile bonum appeto tantùm conditionatè, v. g. vellem eſſe Angelus ſi fieri poſſet, vbi vides praxim ſaltem conditionatam includi.

Alii reſpondent, Nominales judicaſſe malum amabile judicio oris, non judicio mentis.

Objicies 4. Proni ſunt ſenſus hominis in malum ab adoleſcentia: ergo feruntur in malum, vt malum.

Reſp. diſt. ant. In malum rationis, concedo: in malum ſenſuum, nego. Feruntur enim in volupta-

tes ſenſui jucundas; ſed quia immoderatæ ſunt, deficiunt per exceſſum à regula rationis, ideóque ſunt malæ.

Objicies 5. Voluntas ſe habet ad malum vt intellectus ad falſum: intellectus ſæpe amplectitur falſum: ergo, &c.

Reſp. diſt. min. amplectitur falſum, quà falſum, nego: falſum ſub ratione veri, concedo. Vt ergo intellectus non aſſentitur falſo, niſi rationem veri præ ſe ferat, ſic voluntas numquam appetit malum, niſi ratione boni veſtitum. Rursùs vt intellectus verſatur circa falſum, fugiendo per diſſenſum; ſic voluntas circa malum, vt malum, fugiendo per odium.

Inſt. 1. Intellectus poteſt verſari circa malum, vt malum alio actu, quàm diſſenſus: ergo voluntas circa malum, vt malum, alio actu, quàm odii.

Reſp. Nego paritatem, quia in intellectu eſt apprehenſio veri, & falſi, quæ non eſt aſſenſus, aut diſſenſus: in voluntate autem nullus eſt amor, qui non ſit vel proſecutio, vel fuga. Quia intellectus proponit ſibi objectum aſſenſus, vel diſſenſus: voluntas non ſibi proponit objectum proſecutionis, aut fugæ; ſed ab intellectu ſibi propoſitum ſequitur, ſi conveniens ſit, fugit, ſi diſconveniens. Quare intellectus comparandus eſt cum voluntate, non in apprehenſione, ſed in judicio, ex Philoſopho 6. Eth. cap. 2. *Quod ſunt*, inquit, *in mente affirmatio, & negatio, idipſum in appetitu ſunt proſecutio, & fuga.*

Inſt. 2. Intellectus verſatur circa falſum, quà falſum, intelligendo: ergo à pari voluntas circa malum, quà malum, volendo.

Reſp. Nego paritatem. Nam omnis actio intellectus eſt intellectio, at non omnis actus volunta-

Digitized by Google

tis eſt volitio, ſed vel volitio, vel nolitio, illa circa bonum amandum, hæc circa malum fugiendum.

Objicies 6. S. Auguſtinus 2. Confeſſ. teſtatur ſe furto rapuiſſe vicini poma, nulla ſpecie boni allectum. Et ex D. Bernardo dæmon diligit malum, vt malum.

Reſp. Ad 1. diſtinguo. Nulla ſpecie boni majoris, concedo: levioris, nego. Nam fatetur ſe in furto conſortium eorum, cum quibus furabatur, amaſſe, nec ſe furtum admiſſurum fuiſſe, ſi ſolus fuiſſet. Ad 2. diſt. Vt malum nobis, concedo: ſibi, nego. Malum quippe noſtrum, bonum eſt miſeris, quia miſeris ſolatium eſt habere pares.

Objicies 7. Mali Deum oderunt: at in Deo nulla ratio mali apparet, tum quia eſt principium omnis boni, tum quia nihil mali admixtum habet.

Reſp. diſt. Nulla ratio mali in Deo apparet, ipſi intrinſeca, concedo: extrinſeca, nego. Mali enim Deum apprehendunt, vt vindicem ſibi pœnas ob ſcelera infligentem, adeóque vt ſibi malum in effectu. Sic viator ſolem nimio calore corpus adurentem, vt malum ſibi apprehendit.

Inſt. 1. Saltem dæmones oderunt Deum ſine cauſa, quia eſt juſtus judex, & ab illis perfectè cognoſcitur.

Reſp. diſt. Sine cauſa legitima, concedo: illegitima, nego. Dum enim Deus, vt vltor pœnas infligit, vel poteſt reus, quem punit, conformare voluntatem Deo vlciſcenti, & ita amat Deum vt patrem caſtigantem, tales ſunt animæ in purgatorio detentæ; vel habere voluntatem diſcordem cum voluntate judicis, & ſic pœnam, vt malum odit. Hæc eſt miſera damnatorum conditio,

quorum voluntas Deo conformari non poteſt ob perverſum amorem. Nam recto pravóque, inquit Bernardus, non convenit. Quare intellectus eorum Deum ſemper repræſentat, vt authorem malę pœnæ. En radix infeliciſſimæ damnatorum ſortis. Hanc meditare, ſi ſapis, & exhorreſce.

Objicies 8. Qui vult alteri mortem, v. g. inimico, vult illi mortem, vt mors eſt: ergo vult illi malum, vt malum.

Reſp. diſt. ant. Vult illi mortem, vt bonam ſibi, & malam inimico, eſto: vt malam ſibi, nego. Iucundum quippe eſt naturæ offenſæ vlciſci. Quare quod malum eſt inimico, bonum eſt vlciſcenti. Hinc D. Io. Damaſcenus contra Manichæos ait, malorum omnium principium, & finem eſſe amorem boni, quòd boni causâ tàm bona, quàm mala fiant.

Inſt. 1. Saltem voluntas, dum fertur odio inimicitiæ in alterum, vult malum, quà malum. Quia in hoc diſtinguitur odium inimicitiæ ab odio abominationis, quod opponitur amori, quòd qui odit odio inimicitiæ, vult malum alicui malo, nam inimicitia eſt proſecutio mali alieni. Ergo qui fertur odio inimicitiæ in alterum, proſequitur malum.

Reſp. dupliciter, 1. cum Caietano, malum alienum poſſe eſſe objectum proſecutionis, non autem proprium, quia malum alienum eſt bonum noſtrum. 2. cum à Valentia, malum alienum habere rationem boni, & ita eſſe objectum proſecutionis. Nam bonum eſt, malum malo inferri, eo fine vt nocere deſinat. Conſentit Favonius, dum ait odium inimicitiæ non eſſe propriè odium, ſed actum amoris, & concupiſcentiæ, quo quis appetit vt ſibi, aut alteri bonum, vt res mala ſubjaceat alicui malo. Quare diſtinguo. Odium inimicitiæ eſt proſecutio mali alie-

Digitized by Google

ni materialiter, concedo: formaliter, nego. Nam tunc malum alienum eſt tantùm objectum materiale; objectum verò formale eſt bonum conſequens ex illatione mali, in eo poſitum, ne malus nobis noceat. At bonum eſt, malum nobis non nocere.

Inſt. 2. Sæpe vſque eò ardet odio inimicus vt mortem eligat ad interitum hoſtis: ergo mortem, vt malam ſibi appetit.

Reſ. nego conſeq. Sed mortem vult, vt conjunctam vltioni, quæ maius bonum apparet, quàm vita.

Inſt. 3. Multi ſibi ſupplicia æterna apprecantur, in quibus nihil boni apparet.

Reſp. diſt. Nihil boni apparet ea diſtinctè cognoſcenti, concedo: confusè cognoſcenti, nego. At pœnas apprehendunt tantùm confusè, & vt ceſſationem à præſenti malo, quo vrgentur; itáque appetunt mortem, vt ſibi bonam, quia bonum eſt illis hîc, & nunc à miſeriis liberari.

Inſt. 4. Saltem annihilatio nullam ſpeciem boni habet, quia eſt totalis deſtructio ſubjecti: at vbi eſt totalis deſtructio ſubjecti, nullum ſupereſt ſubjectum, cui bonum appetatur.

Reſp. diſt. Annihilatio diſtinctè cognita nullam ſpeciem boni habet, concedo: confusè tantùm cognita, nego. Nempe annihilatio poteſt cognoſci confusè, vel diſtinctè. Diſtinctè cognita, apprehenditur vt deſtructio totius entitatis, & ſic non eſt appetibilis: quia eſſe appetibilis alicui ſubjecto: at poſt annihilationem nullum ſupereſt ſubjectum, quia eſt deſtructio totius entis: è contrà poſt mortem ſupereſt ſubjectum, nempe anima rationalis. Confusè cognita, apprehenditur vt liberatio à miſeriis, & ſic apparet bona. Cave tamen, ne dicas eum,

qui appetit ſui non eſſe, appetere ſui non eſſe ſimpliciter: appetit enim primariò, & per ſe abſentiam τοῦ eſſe miſerum, & conſequenter abſentiam τοῦ ſui eſſe, cui eſſe miſerum annexum eſt. At annihilatio ſub ratione privantis miſeriis bona apparet, non ſub ratione deſtruentis. Quid quòd non tam damnati appetunt non eſſe, quàm nolunt eſſe, ſícque eorum actus eſt potiùs averſio, quàm proſecutio?

Inſt. 4. Impoſſibile nullam habet ſpeciem boni: impoſſibile appetitur à multis; nam multi appetunt ipſum eſſe Angeli: ergo, &c.

Reſp. diſt. majorem, impoſſibile cognitum, vt poſſibile, nego: vt impoſſibile, concedo majorem. Nam impoſſibile, vt tale, numquam poteſt appeti abſolutè, ſed tantùm conditionatè, provt exiſtimatur per errorem poſſe acquiri; hinc qui dicit, vellem eſſe Angelus, non dicit abſolutè, volo eſſe Angelus, quia id impoſſibile agnoſcit: ſed ſenſus eſt illius propoſitionis; ego, vt nunc ſum affectus, vellem eſſe Angelus, ſi fieri poſſet.

APPENDIX.

De natura mali.

OPPOSITORVM eadem eſt ſcientia, inquit Ariſtoteles, lib. 5. Ethic. c. 1. & libr. 1. Top. c. 8. Quare explicatâ boni naturâ poſtulat ordo doctrinæ, vt naturam mali, causáſque indagemus.

Digitized by Google

Articulus primus.

De cauſis intrinſecis mali.

Mali duplex eſt cauſa intrinſeca; materialis, & formalis. Materialis eſt ſubjectum, formalis eſt ratio mali conſtitutiva. Vtraque hoc articulo diſquirenda. Sed antè ſit

§. 1. Diviſio mali.

Cum malum bono ſit oppoſitum, tot modis malum dicitur, quot bonum; hinc

Dividitur 1. in abſolutum, & relativum. Abſolutum idem eſt ac imperfectum. Relativum, quod alteri diſconveniens eſt.

Secundò in Naturale, & Morale. Naturale eſt, quod cùm alteri bonum ſit, eſt tamen alteri phyſicè malum, quia diſconveniens, vt calor reſpectu aquæ. Morale, quod rectæ rationi diſſentaneum eſt.

Morale ſubdividitur in malum culpæ, & malum pœnæ. Malum culpæ eſt privatio rectitudinis cum lege, quæ deberet eſſe in actione libera: Malum pœnæ eſt malum inflictum in culpæ vindictam, vndè malum pœnæ ſupponit malum culpæ, vt cauſam non phyſicam quidem, ſed moralem: nam ſicut meritum eſt cauſa præmii, ita culpa eſt cauſa pœnæ, ideóque Deus innocentem damnare non poteſt. Alias diviſiones omitto.

Quæritur hîc in quo ratio formalis mali, adeóque peccati ſit poſita, an in aliquo poſitivo, an verò in boni ipſius, & rectitudinis debitæ privatione.

§. 2. *Prænotanda ad quæſtionem.*

PRIMVM. Malum ſumi poteſt, vel in concreto, & adjectivè, vel in abſtracto, & ſubſtantivè. Sive vt alii loquuntur, vel cauſaliter, & fundamentaliter, hoc eſt, pro fundamento malitiæ, vel formaliter pro ipſa malitia, quæ eſt forma actus mali.

Secundum. Malum fundamentaliter ſumptum eſt aliquid reale, nempe ſubjectum malitiæ formaliter ſumptæ.

Tertium. Ratio mali latiùs patet peccato ſtrictè ſumpto, quia peccatum ponitur à libera voluntate agente contra rectam rationem: malum verò naturæ nullum ſupponit voluntarium.

Quartum. Peccatum definiri ſolet, actio moraliter mala, ſeu difformis legi: quâ in definitione duo ſpectanda; primum materiale peccati, quod eſt actio humana; ſecundum formale, quod eſt turpitudo, ſeu difformitas cum lege.

Quintum. Lex, quæ eſt morum regula, alia dicitur jubens, ſeu affirmans, quæ quidpiam agendum præcipit, vt, Deum cole: alia vetans, ſeu negans, quæ prohibet actionem malam, vt, furtum non facies. Ratio diviſionis eſt, quòd lex debeat dirigere ad finem, & removere omnia, quæ ab illo fine avocant. Lex jubens eſt directiva, lex negans eſt removens impedimenta.

Sextum. Hinc duplex genus peccati, 1. Omiſſionis, quod eſt contra legem jubentem, vt ſi omittas auditionem ſacri diebus feſtis. 2. Commiſſionis, quod eſt contra legem vetantem. Suffuraris pecuniam, cujus furtum lex vetat, peccas peccato commiſſionis. His poſitis, duo quæro. Primum, in quo

Digitized by Google

ſit ratio mali, & peccati. Secundum, an Deus ſit author peccati.

§. 3. *In quo poſita ſit mali, & peccati eſſentia.*

I. Assert. Ratio formalis mali tum Phyſici, tum Moralis, ſeu peccati conſiſtit in privatione perfectionis, ſive rectitudinis debitæ. Ita D. Thomas 1. p. q. 48. a. 1. Probatur 1. Malum in communi conſiſtit formaliter in privatione perfectionis debitæ: ergo malum Phyſicum & Morale conſiſtunt in privatione perfectionis debitæ. Patet conſequentia: Malum enim tum Phyſicum, tum Morale continetur ſub malo in communi tanquam ſpecies ſub genere: Species poſitiva non poteſt contineri ſub genere privativo, quia differentia poſitiva non poteſt contrahere genus privativum, ſicut nec differentia privativa genus poſitivum; quia inter genus, & differentiam debet eſſe proportio. Probatur major 1. authoritate D. Auguſtini, lib. 1. de moribus Manich. *Malum eſt defectus ab eſſentia.* lib. 11. de Civit. Dei, c. 9. *Mali natura nulla eſt, ſed amiſſio boni mali nomen accepit.* D. Damaſceni, lib. 2. de fide, c. 4. & lib. 4. c. 2. *Nihil eſt malum, niſi boni privatio, ſicut tenebræ luminis.* D. Thomæ, 1. p. q. 5. a. 3. ad 2. vbi ait nullum ens dici malum, in quantum eſt ens, ſed in quantum caret quodam eſſe: & 1. p. q. 48. a. 1. & 2. malitiam vocat boni abſentiam, privationem, remotionem, & corruptionem.

Probatur ratione eadem major, tum quia malum in communi excludit omne bonum, tum quia omne malum, aut eſt malum ſimpliciter, aut naturæ, aut artis, aut culpæ, ex D. Thoma, 1. 2. q. 21.

a. 1. atqui hæc omnia mala poſita ſunt in privatione perfectionis debitæ: omne quippe malum vel importat quamcumque privationem boni, & ita conſtituit malum ſimpliciter; vel privationem ordinis ad finem debitum: finis porrò vel debetur operationi ex quadam propenſione naturæ ad certum finem tendentis; vel ex idea artificis operantis ex regulis artis; vel ex regula morum à ratione præſcripta. Si primum, actio tali ordine privata, dicitur monſtrum, & peccatum naturæ: ſi ſecundum, error, & peccatum artis: ſi tertium, culpa, quæ ſupra errorem, & peccatum addit imputabilitatem, vt pote ex electione commiſſa ab agente libero contra regulam rationis, quam tenetur ſequi.

Probatur 2. de malo Phyſico, & Morali. De Phyſico quidem ex D. Dionyſio, qui cap. 4. de divin. nominib. malum naturæ vocat ineptam diſſimilium compoſitionem, defectum proportionis debitæ, & convenientis juxta naturæ inſtitutionem. Ex D. Thoma, qu. 1. de malo, a. 1. ad. 1. vbi ait calorem ideo malum eſſe aquæ, quia in eo eſt privatio perfectionis debitæ aquæ, & ideo non eſſe malum in ſe, ſed aquæ. De Morali verò conſentiunt ſancti Patres, D. Auguſtinus, tract. 1. in Ioan. Peccatum eſt nihil, inquit, quia per verbum factum non eſt, ſine quo factum eſt nihil, id eſt peccatum, ſubdítque ideo homines nihil fieri, cùm peccant. D. Baſilius in Martyr. Iulit. *Peccatum*, inquit, *animæ eſt ægritudo, peccatum eſt mors animæ, alioqui immortalis.* D. Anſelmus de caſu diaboli, c. 26. *Cur ergo quæris vnde venit injuſtitia, quæ nihil eſt?* D. Thomas 1. 2. q. 18. a. 1. Hîc igitur dicendum eſt, quòd omnis actio, in quantum habet aliquid de eſſe, in tantum habet de bonitate; in quantum verò deficit ei ali-

quid de plenitudine eſſendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit à bonitate, & ſic dicitur mala; Ex quibus ſic argumentor.

In eo eſſentia mali, tum naturæ, tum culpæ, reponenda eſt, per quod 1. conſtituitur, & diſtinguitur à bono ſibi oppoſito: Malum tum naturæ, tum culpæ 1. conſtituitur, & diſtinguitur à bono ſibi oppoſito per privationem perfectionis debitæ, corruptionem virtutis, boni remotionem, defectum plenitudinis, & nihil: Ergo mali tum naturæ, tum culpæ eſſentia reponenda eſt in privatione perfectionis debitæ, corruptione virtutis, boni remotione, defectu plenitudinis, & nihil; cum hoc tamen diſcrimine, quòd malum abſolutum includat carentiam perfectionis ſibi debitæ, relativum autem carentiam perfectionis debitæ alteri, cui malum eſt. Confirmatur 1. quia quidquid prius eſt privatione perfectionis debitæ, eſt tantùm malum cauſale, non formale. 2. monſtra naturæ ſive per exceſſum, ſive per defectum ideo dicuntur mala, quia carent perfectione ſibi debita: ergo à pari, peccata, quæ ſunt monſtra gratiæ, ideo mala dici debent, quia carent perfectione debita, nempe conformitate cum ſua regula.

Probatur 3. de malo culpæ, de quo hîc præſertim agitur, poſitis tribus principiis. Primum ſit. Deus continet in ſe ſaltem eminenter, & virtualiter omnem entitatem realem, & producibilem, quia eſt principium, & exemplar rerum omnium, quæ produci poſſunt. Secundum. Deus poteſt dici, & eſſe author, & cauſa per ſe omnis entitatis, quam in ſe eminenter, & virtualiter continet; & quidem ex inclinatione, quia omnis cauſa communicat ſe ex inclinatione effectui. Tertium. In Deo eſt ſancti-

tas infinita, & tanta, quanta maxima cogitari poteſt ſine contradictione: Porrò maxima ſanctitas, quæ cogitari poteſt ſine contradictione, ea eſt, quæ nec moraliter, id eſt, jubendo, & ſuadendo, nec phyſicè, id eſt, efficiendo peccatum contineat. His ita conſtitutis, ſic arguo: Si peccatum formaliter ſumptum eſſet entitas poſitiva, Deus illam in ſe contineret ex primo principio, poſſétque illius eſſe author, & cauſa per ſe, & quidem cum inclinatione ex ſecundo: atqui repugnat ſanctitati Dei infinitæ eum eſſe authorem, & cauſam per ſe peccati ex inclinatione ex tertio: Ergo peccatum formaliter ſumptum non eſt poſitiva entitas.

Dices Deum eſſe cauſam peccati, quà eſt entitas Phyſica, non quà eſt entitas Moralis; vnde producit peccatum ex inclinatione ſecundùm eſſe Phyſicum, non ſecundùm eſſe Morale. Contrà 1. malitia, quà Moralis, vel reduplicat aliquid reale, vel nihil: ſi aliquid reale, ergo illud eſt à Deo, quia Deus eſt cauſa productrix omnis entis participati; ſi nihil: ergo eſt quid privativum. Et verò Deus non minùs eſt principium omnis entis Moralis, quàm Naturalis. Nam omne ens Morale eſt ens per participationem, perinde ac ens quodlibet Phyſicum: ſi enim non eſt ens participatum, ergo eſt ens à ſe & Deus: nam ens adæquatè dividitur in ens à ſe, & in ens participatum: at ens à ſe neceſſariò eſt radix, & cauſa totius entis participati, tum Phyſici, tum Moralis. Deinde repugnat ſanctitati Dei infinitæ quælibet inclinatio in peccatum formaliter ſumptum, aliter non eſſet ſanctitas maxima, quæ ſine contradictione cogitari poteſt. Ratio eſt, quia ſanctitas infinita ſummam habet oppoſitionem cum malitia formali peccati. Sanctitas Dei eſt ab in-

Digitized by Google

trinſeco, & ex eſſentia ſua conformitas cum lege æterna; peccati malitia formalis eſt eſſentialiter deordinatio ab eadem lege. Sanctitas Dei eſt ſumma puritas, quia puritas oritur ex conjunctione, & adhæſione ad id, quod ſimpliciſſimum, & puriſſimum eſt ens, ſibíque intimè conjunctum: peccatum impurum quiddam eſt, vt pote adhæſio ad creaturam. Denique ſanctitas Dei eſt amor, quo ſe amat neceſſariò, & infinitè, ideóque peccatum odit odio neceſſario, infinito, & efficaciſſimo: quantùm enim ſe amat, & rectitudinem legis æternæ, tantùm odit quidquid illi rectitudini adverſatur: at formale peccati ſummè adverſatur legi æternæ, quia eſſentialiter inordinatum quiddam, & difforme ſuæ regulæ, & menſuræ: ergo Deus non poteſt inclinare in formale peccati. Adde quòd, ſi forma peccati ſit poſitiva, intelligi non poteſt, quomodo Deus non ſit author illius; ſi autem privativa ſit, facilè intelligitur, quomodo non ſit cauſa illius, quia vt eſt quid privativum, oritur à natura, vt deficiente, nempe ab homine, vt eſt ex non ente juxta illud D. Auguſtini, lib. 12. de Civit. Dei. Nemo quærat cauſam efficientem malæ voluntatis, non eſt enim efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio.

Denique ſi Deus produceret peccatum, vt quid poſitivum, haberet illius ideam immediatam, quia produceret vt artifex, & omnis artifex agit ex idea immediata: atqui Deus non poteſt habere ideam peccati immediatam ex D. Thoma. *Dicendum*, inquit, *quòd malum cognoſcitur à Deo non per propriam rationem, ſed per rationem boni, & ideo malum non habet ideam in Deo.*

Quomodo ergo Deus peccatum cognoſcit?

Reſp. Quomodo cognoſcit tenebras, cognoſcendo aërem, deinde ejus aptitudinem ad lucem, tertiò non videndo lucem, quæ adeſſe deberet. Sic 1. ſeipſum cognoſcit Deus. 2. Creaturas in ſe, adeóque omne ens, ac bonum in ſe. Ergo cognoſcit in ſe actum meum, quo pecco, in quo non videt bonitatem, & conformitatem cum lege ſua, quæ hîc, & nunc adeſſe deberet; vnde conſequenter, & indirectè cognoſcit malitiam peccati commiſſionis. In peccato verò puræ omiſſionis, ſi quod ſit, videt 1. voluntatem. 2. non videt actum in ea, qui ineſſe deberet tali horâ, quâ lex ipſum præcipit. Vnde conſequenter agnoſcit peccatum omiſſionis.

II. Assert. Malitia formalis peccati conſiſtit in privatione conformitatis cum lege. Probatur 1. ex D. Auguſtino, lib. 2. de peccat. meritis, c. 16. *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitus jubeatur, vt non ſit:* Ex D. Ambroſio, lib. de Parad. c. 8. *Quid eſt peccatum, niſi legis prævaricatio?*

Probatur ratione. Honeſtas eſt conformitas cum lege, quia honeſtas ſe habet ad legem, vt veritas ad objectum: ergo malitia formalis eſt privatio conformitatis cum lege; eſt enim privatio honeſtatis, ſicut falſitas eſt privatio veritatis.

Confirmatur ex communi ſapientum conſenſu: Nemo intelligitur peccare formaliter, quamdiu non agit contra debitum: at omne debitum eſt à lege, quia nemo ſibi debitor eſt, ſed alteri, cui obligatur per legem; hinc

Patet peccatum non eſſe formaliter peccatum ante legem vel prohibentem, vel jubentem, ſed radicaliter tantùm, & fundamentaliter.

Digitized by Google

§. 4. *De cauſa materiali malitiæ:*

I. Assert. CAVSA materialis, ſeu ſubjectum mali, quatenus eſt malum, eſt aliquod bonum. Probatur. Malum formaliter ſumptum nec eſt ens, nec pura negatio, ſed privatio debitæ perfectionis: privationis ſubjectum eſt aliquod bonum: ergo ſubjectum mali formaliter ſumpti eſt aliquod bonum. Probatur minor. Subjectum privationis eſt ens poſitivum; nam privatio eſt carentia formæ in ſubjecto apto: ens poſitivum eſt bonum: ergo ſubjectum privationis eſt aliquod bonum. Confirmatur. Perfectio non poteſt eſſe debita, niſi naturæ, quæ bona ſit; vnde D. Auguſtinus 1. contra Iulian. cap. 3. & in Enchirid. cap. 12. ex malo, quod naturæ, & voluntati identidem accidit, probat ipſam naturam, & voluntatem eſſe bonam, quia fit mala, dum bonitate ſibi debita carere incipit, nec omnino deſtruitur. Porrò dum dicitur malum eſſe in ſubjecto, non ſenſus eſt, quòd inſit, vt ens ponens aliquid in ſubjecto, ſed quòd inſit, vt removens perfectionem debitam; & ita explicabis D. Dionyſium, dum ait malum non eſſe in rebus; nihil enim quidquam ponit in rebus, ſed potiùs removet. Sed de ſubjecto malitiæ in communi ſatis, jam de ſubjecto malitiæ Moralis.

Duplex eſt ſententia circa ſubjectum malitiæ Moralis. Prima pugnat actum eſſe ſubjectum immediatum ratione ſaltem generis juxta principia Ariſtotelis privationem viſus in talpa agnoſcentis, quia eſt capax viſus ſecundùm gradum animalis. Secunda voluntatem ſubjectum malitiæ formalis conſtituit, vúltque actum negativè, & cauſaliter eſſe malum, quatenus malitiam ex ſe fundit.

II. Assert. Malitiæ Moralis ſubjectum immediatum eſt voluntas, quæ ab ipſa malitia denominatur formaliter mala. Probatur. Malitiæ Moralis ſubjectum immediatum eſt actus, aut voluntas; non actus, ergo voluntas. Probatur minor. Subjectum privationis cujuſlibet formæ debet eſſe capax ejuſdem formæ, vt patet ex definitione privationis, quæ tria includit, 1. ſubjectum, 2. aptitudinem ad formam ipſi privationi oppoſitam, 3. abſentiam ejuſdem formæ. Dantur aliqui actus, qui non ſunt capaces honeſtatis, quæ eſt forma malitiæ Morali oppoſita, v. g. odium Dei, aut mendacium, qui ab intrinſeco, & ex eſſentia ſua mali ſunt, nec poſſunt etiam divinitus ex vllo fine, aut circumſtantia fieri boni: ergo actus non poteſt eſſe ſubjectum immediatum malitiæ Moralis: ſola igitur voluntas eſt ſubjectum illius; hinc

Dicitur actus malus, dicitur, & voluntas mala, ſed diverſa ratione. Actus dicitur malus efficienter, & negativè; efficienter, quia producit malitiam, & in voluntatem quaſi fundit ex ſeſe; negativè, quia non eſt capax recipiendæ malitiæ: voluntas verò formaliter, & privativè mala, quia recipit malitiam, quæ eſt in actu, vt negatio, in voluntate, vt privatio, ſicut dum calor dicitur aquæ malus, malitia, ſeu privatio debitæ temperiei eſt negativè, & cauſaliter in calore, formaliter in aqua.

§. 5. *Diluuntur objecta.*

Obiicies 1. in primam aſſertionem. Contraria ſunt poſitiva: Bonum & malum ſunt contraria, ex Ariſtotele in Poſtprædicamentis: ergo ſunt poſitiva.

Reſp. 1. Hic liber juxta multos non eſt Ariſtote-

lis. 2. diſt. maj. Contraria ſtrictè ſumpta ſunt poſitiva, concedo: latè ſumpta, ſeu privativè, nego majorem. At bonum & malum ſunt contraria latè, nempe privativè oppoſita, non ſtrictè, quia ſe habent vt ens, & non ens. At ens, & non ens non conveniunt, aut diſconveniunt ſub genere poſitivo. 3. Malum, & bonum in concreto ſumpta ſunt contraria, concedo: in abſtracto, nego. Id eſt, actus ipſi ſunt contrarii, non autem ipſæ formæ, quarum vna eſt inſtar formæ, altera inſtar privationis.

Inſtabis 1. Malum Phyſicum, vt calor reſpectu aquæ, & qualitas dolorifera reſpectu corporis, eſt quid poſitivum: ergo & malum Morale. Diſtinguo ant. eſt quid poſitivum, vt ſumitur cauſaliter C. ant. vt ſumitur formaliter, N. ant. nam calor, vt eſt malus formaliter aquæ, importat carentiam perfectionis debitæ aquæ ex D. Thoma, ſicut qualitas dolorifera dicit formaliter carentiam temperiei debitæ corpori.

Inſtabis 2. Qualitas dolorifera ideo eſt mala formaliter corpori, quia adeſt, non quia abeſt: ergo eſt quid poſitivum, vt eſt mala formaliter. Diſt. ant. quia adeſt privativè, id eſt, in ipſa privatione, quam inducit, C. ant. quia adeſt poſitivè, N. ant. & conſeq. Nam vt adeſt poſitivè, eſt mala cauſaliter, non formaliter.

Inſtabis 3. Qualitas dolorifera eſt mala formaliter corpori, quia diſconveniens: vt diſconveniens eſt poſitiva: ergo vt eſt mala formaliter, eſt poſitiva. Diſt. majorem. Quia eſt diſconveniens cauſaliter, & poſitivè, N. maj. Quia eſt diſconveniens formaliter, & privativè, C. maj. Duplex quippe diſconvenientia eſt qualitatis doloriferæ, altera cauſalis, ſeu radicalis, quæ eſt virtus Phyſica inferens diſ-

Digitized by Google

II. Assert. Malitiæ Moralis ſubjectum immediatum eſt voluntas, quæ ab ipſa malitia denominatur formaliter mala. Probatur. Malitiæ Moralis ſubjectum immediatum eſt actus, aut voluntas; non actus, ergo voluntas. Probatur minor. Subjectum privationis cujuſlibet formæ debet eſſe capax ejuſdem formæ, vt patet ex definitione privationis, quæ tria includit, 1. ſubjectum, 2. aptitudinem ad formam ipſi privationi oppoſitam, 3. abſentiam ejuſdem formæ. Dantur aliqui actus, qui non ſunt capaces honeſtatis, quæ eſt forma malitiæ Morali oppoſita, v. g. odium Dei, aut mendacium, qui ab intrinſeco, & ex eſſentia ſua mali ſunt, nec poſſunt etiam divinitus ex vllo fine, aut circumſtantia fieri boni: ergo actus non poteſt eſſe ſubjectum immediatum malitiæ Moralis: ſola igitur voluntas eſt ſubjectum illius; hinc

Dicitur actus malus, dicitur, & voluntas mala, ſed diverſa ratione. Actus dicitur malus efficienter, & negativè; efficienter, quia producit malitiam, & in voluntatem quaſi fundit ex ſeſe; negativè, quia non eſt capax recipiendæ malitiæ: voluntas verò formaliter, & privativè mala, quia recipit malitiam, quæ eſt in actu, vt negatio, in voluntate, vt privatio, ſicut dum calor dicitur aquæ malus, malitia, ſeu privatio debitæ temperiei eſt negativè, & cauſaliter in calore, formaliter in aqua.

§. 5. *Diluuntur objecta.*

Obiicies 1. in primam aſſertionem. Contraria ſunt poſitiva: Bonum & malum ſunt contraria, ex Ariſtotele in Poſtprædicamentis: ergo ſunt poſitiva.

Reſp. 1. Hic liber juxta multos non eſt Ariſtote-

Digitized by Google

lis. 2. diſt. maj. Contraria ſtrictè ſumpta ſunt poſitiva, concedo: latè ſumpta, ſeu privativè, nego majorem. At bonum & malum ſunt contraria latè, nempe privativè oppoſita, non ſtrictè, quia ſe habent vt ens, & non ens. At ens, & non ens non conveniunt, aut diſconveniunt ſub genere poſitivo. 3. Malum, & bonum in concreto ſumpta ſunt contraria, concedo: in abſtracto, nego. Id eſt, actus ipſi ſunt contrarii, non autem ipſæ formæ, quarum vna eſt inſtar formæ, altera inſtar privationis.

Inſtabis 1. Malum Phyſicum, vt calor reſpectu aquæ, & qualitas dolorifera reſpectu corporis, eſt quid poſitivum: ergo & malum Morale. Diſtinguo ant. eſt quid poſitivum, vt ſumitur cauſaliter C. ant. vt ſumitur formaliter, N. ant. nam calor, vt eſt malus formaliter aquæ, importat carentiam perfectionis debitæ aquæ ex D. Thoma, ſicut qualitas dolorifera dicit formaliter carentiam temperiei debitæ corpori.

Inſtabis 2. Qualitas dolorifera ideo eſt mala formaliter corpori, quia adeſt, non quia abeſt: ergo eſt quid poſitivum, vt eſt mala formaliter. Diſt. ant. quia adeſt privativè, id eſt, in ipſa privatione, quam inducit, C. ant. quia adeſt poſitivè, N. ant. & conſeq. Nam vt adeſt poſitivè, eſt mala cauſaliter, non formaliter.

Inſtabis 3. Qualitas dolorifera eſt mala formaliter corpori, quia diſconveniens: vt diſconveniens eſt poſitiva: ergo vt eſt mala formaliter, eſt poſitiva. Diſt. majorem. Quia eſt diſconveniens cauſaliter, & poſitivè, N. maj. Quia eſt diſconveniens formaliter, & privativè, C. maj. Duplex quippe diſconvenientia eſt qualitatis doloriferæ, altera cauſalis, ſeu radicalis, quæ eſt virtus Phyſica inferens diſ-

Digitized by Google

proportionem partium: altera formalis, quæ eſt ipſa diſproportio, ſeu negatio proportionis, quam partium temperies exigit.

Inſtabis 4. Id, quo præciſè poſito qualitas dolorifera diſtinguitur ab aliis qualitatibus contrariis, & neutris, eſt de eſſentia illius, vt dolorifera eſt: per diſconvenientiam, quam vocas cauſalem, diſtinguitur à qualitatibus contrariis, & neutris: ergo eſt formaliter diſconveniens per diſconvenientiam quam vocas cauſalem, adeóque priùs eſt mala formaliter, quàm ſequatur diſproportio. Diſt. majorem. Quo præciſè poſito diſtinguitur qualitas dolorifera in ratione diſconvenientis formaliter, C. maj. diſconvenientis tantùm cauſaliter, N. maj. at qualitas dolorifera diſtinguitur ab aliis qualitatibus per diſconvenientiam cauſalem cauſaliter; non formaliter.

Objicies 2. Vt ſe habet diſſimilitudo inter qualitates, aut inæqualitas inter quantitates, ita ſe habet diſformitas actionis cum lege: diſſimilitudo inter qualitates, & inæqualitas inter quantitates ſunt reales, & poſitivæ: ergo diſformitas actionis cum lege eſt realis, & poſitiva. Probatur minor. Illa relatio eſt realis, cujus ratio fundandi eſt realis: ratio fundandæ diſſimilitudinis, & inæqualitatis eſt realis: ergo diſſimilitudo, & inæqualitas ſunt reales. Reſp. Conceſſa majore, nego minorem; diſſimilitudo enim nihil aliud eſt, quàm privatio ſimilitudinis, & inæqualitas carentia æqualitatis ex Ariſtotele lib. 5. Metaph. cap. 15. de relatis, *Inæquale*, inquit, *quod non habet æqualitatem, cùm tamen aptum ſit habere.* Ad probationem, nego minorem: ratio enim fundandæ diſſimilitudinis, & inæqualitatis eſt qualitas non talis in vno, qualis eſt in altero, &

Digitized by Google

quantitas non tanta in vno, quanta eſt in altero; ſic ratio fundandæ difformitatis cum lege eſt non talitas actus, & qualitas legis, ideóque ipſa difformitas eſt quid negativum.

Objicies 3. Falſitas eſt aliquid poſitivum in intellectu: ergo & malitia in voluntate.

Reſp. nego ant. Nam falſitas eſt difformitas cognitionis cum objecto, difformitas autem privatio, & carentia conformitatis.

Objicies 4. In peccato commiſſionis actus intelligitur malus in priori, quàm ſit privatio conformitatis cum lege: ergo malitia non eſt privatio.

Reſp. diſt. ant. Intelligitur malus cauſaliter, fundamentaliter, & effectivè, concedo; formaliter, nego. Duo quippe ſpectanda in actu commiſſionis, entitas, quæ realis eſt, & cauſat, refundítque malitiam in voluntatem. Deinde malitia ipſa, quæ eſt in actu negativè, & efficienter, privativè in voluntate tamquam in ſubjecto inhæſionis.

Inſt. In eo eſt malitia formaliter, quod vetatur lege. Actus, qui eſt malus, vetatur lege: ergo in actu eſt malitia formaliter.

Reſp. diſt. maj. Quod vetatur primariò, concedo: ſecundariò tantùm, nego. At actus vetatur tantùm ſecundariò: nam lex negativa prohibet primò, & per ſe privationem conformitatis cum lege, ſecundariò autem actum poſitivum. Quare actus eſt tantùm contra legem conſequenter, & ſecundariò; ipſa autem malitia formalis primariò, & per ſe. Certè Deus ſe ſummè amat: ergo amat ſummè amorem ſui: ergo amat ſe diligi à nobis. Vnde præceptum, diliges Deum, &c. Et quia amori ſummè opponitur odium; hinc Deus ſummè odit odium ſui; & quia ſummè odit odium ſui, vetat illud

Digitized by Google

odium, & negationem amoris ſui. Et quia privatio illa inducitur ab actu poſitivo, ſequitur prohibitio actus, qui niſi odium cauſaret formaliter ſumptum, id eſt, niſi induceret illam privationem conformitatis, cum lege vetante, non prohiberetur.

Inſt. 2. Odium Dei eſt peccatum formaliter, abſtrahendo à privatione conformitatis.

Reſp. nego. Non enim eſt peccatum formaliter, niſi cùm intelligitur fieri contra iſtud præceptum, ne oderis Deum.

Inſt. 3. Lege poſitiva jubetur primariò actus bonus: ergo lege negativâ vetatur primariò actus malus.

Reſp. nego ant. Iubetur enim primariò lege poſitivâ conformitas cum lege jubente; ſecundariò verò actus bonus tamquam radix, vnde fluit ipſa conformitas.

Objicies 5. Sequeretur nullum eſſe diſcrimen inter peccatum commiſſionis, & omiſſionis, quod abſurdum. Prob. Ea non differunt in eſſentia, quæ per eamdem formam conſtituuntur: per eamdem formam conſtituerentur peccata commiſſionis, & omiſſionis, nempe per eamdem privationem: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Quæ per eamdem formam conſtituuntur tam genericam, quàm ſpecificam, concedo maj. Per eamdem formam genericam, & diverſam ſpecificam, nego maj. At peccata commiſſionis, & omiſſionis, licèt habeant eamdem formam genericam, nempe privationem conformitatis, vt ſic, habent tamen diverſam ſpecificam, qua conſtituuntur in ratione talis peccati. Nam commiſſio eſt actus inferens privationem conformitatis cum lege vetante: omiſſio verò dicit difformitatem cum

Digitized by Google

lege jubente. Sicut equus, & homo, licèt in ratione generica animalis conveniant, differunt tamen in ratione talis animalis, quia conſtituitur homo tale animal per vim ratiocinandi, equus autem per vim hinniendi.

Objicies 6. Saltem omnia peccata eſſent æqualia; privarent enim conformitate cum lege: ergo conſtituerentur per privationem. At privatio eſt indiviſibilis.

Reſp. nego ſequel. ad probationem diſt. Privatio formæ indiviſibilis eſt in indiviſibili poſita, concedo: privatio formæ diviſibilis, nego. At conformitas cum lege eſt forma diviſibilis, quæ ſuſcipit magis, aut minùs: ergo privatio illius eſt quoque diviſibilis. Ratio à priori eſt, quia privatio ſequitur naturam formarum, quarum eſt privatio.

Objicies 7. Nullum poteſt aſſignari ſubjectum privationis. Non actus, quia dantur actus intrinſecè mali, vt odium Dei, voluntas mentiendi, in quibus nulla eſt aptitudo honeſtatis recipiendæ. Non voluntas, quia omiſſio laudis divinæ æquè grave peccatum foret, ac blaſphemia.

Reſponſio 1. Vel privationem eſſe in ipſo actu tamquam in ſubjecto inhæſionis ſecundùm genus, non ſecundùm differentiam ipſius actus: ſicut talpa, ex Ariſtotele, viſu privata dicitur, licèt non ſit apta ad recipiendam viſionem, ſecundùm differentiam vltimam talpæ, quia ſecundùm genus proximum, nempe animal, capax eſt. 2. & noſtra eſt, voluntatem eſſe ſubjectum privationis, actum verò cauſam illius, qui idcirco dicitur cauſaliter, & negativè malus. Vnde peccat voluntas peccato commiſſionis, quando habet actum, quem lex ipſa vetat; peccato verò omiſſionis, quando non habet actum, quem

lex jubet. Voluntas itaque eſt ſubjectum immediatum privationis, dicitúrque mala formaliter, & intrinſecâ denominatione.

Inſt. 1. Actus dicitur malus: ergo eſt ſubjectum malitiæ.

Reſp. diſt. anteced. Cauſaliter, & negativè, concedo: formaliter, nego ant. & conſequentiam.

Inſt. 2. Idem eſt ſubjectum formæ, & ejus privationis. Actus eſt ſubjectum honeſtatis, quæ eſt forma: ergo & privationis.

Reſp. nego min. Nam actus eſt tantùm cauſaliter bonus, & honeſtus; voluntas autem formaliter bona, & honeſta.

Objicies 8. contra ſecundam aſſertionem. Sublatâ omni lege adhuc manet peccatum: ergo peccatum eſt formaliter ante legem.

Reſp. diſt. ant. Manet peccatum formaliter, concedo; formaliter, nego. Nam quamdiu non eſt debitum, tamdiu non eſt peccatum formaliter. At omne debitum eſt à lege.

Inſt. 1. Sublatâ lege homo adhuc haberet debitum non mentiendi.

Reſp. Nego, ſi præcisè, & formaliter ſumitur debitum, quia vt tale, eſt à lege. Vel diſt. haberet debitum remotè, & radicaliter, ſeu materialiter, concedo: proximè, & formaliter, nego.

Inſt. 2. Odium Dei eſt formaliter malum ante legem. Ergo eſt formaliter peccatum.

Reſp. Negant conſeq. multi Theol. tréſque diſtinguunt gradus in odio Dei. Primus eſt poſitivus actus voluntatis, qui eſt malus radicaliter, & efficienter ſaltem remotè. 2. qui eſt malus formaliter, ſed nondum peccatum formaliter, quia infert tantùm negationem boni. 3. denique eſt privatio recti-

Digitized by Google

tudinis debitæ, quæ eſt peccatum formaliter, quatenus eſt contra legem. Quare diſtinguunt malum formaliter, à peccato formaliter ſumpto. At Reſp.2. Nego eſſe formaliter malum, ſaltem Morale & Theologicum, ante legem, ſed tantùm materialiter, & Phyſicè.

Inſt. 3. Quod eſt intrinſecè malum, eſt malum ante legem.

Reſp. diſt. Ante legem poſitivam, eſto: naturalem, nego. Nam lex naturalis id habet, vt neceſſariò vetet odium.

Inſt. 4. In priori, quàm Deus videat legem, cognoſcit eſſe malum, & peccatum formaliter.

Reſp. nego ant. Quia vt odium Dei eſt malum moraliter intrinſecè, ita debet dari in Deo lex illud prohibens neceſſariò. Sed hæc ad Theologos.

ARTICVLVS II.

De cauſis mali extrinſecis.

DISCVSSIS mali tum naturæ, tum culpæ, cauſis intrinſecis, diſcutiendæ ſuperſunt extrinſecæ, efficiens nempe, & finalis; & quoniam finalis prima eſt ordine intentionis, ideo de ea primò agendum.

§. I. *An ſit cauſa finalis mali.*

I. ASSERT. NVLLA per ſe eſt cauſa finalis mali formaliter ſumpti. Probatur. Id, quod non poteſt per ſe intendi à cauſa efficiente, non poteſt habere per ſe cauſam finalem: malum formaliter ſumptum non poteſt per ſe intendi à cauſa efficiente: ergo non poteſt per ſe habere cauſam finalem. Minor patet ex dictis; cùm enim malum

formaliter ſumptum in privatione conſiſtat; privatio autem ſit non ens, malum per ſe appeti, & intendi non poteſt juxta illud axioma, nemo intendens in malum operatur. Sed quia in malo culpæ duo diſtingui poſſunt; primum, malitia formalis, ſecundum, permiſſio ipſius mali: ideo ſit

II. Assert. Malum culpæ formaliter ſumptum non poteſt ab ordinata voluntate intendi. Probatur. Vel enim intenderetur, vt finis, vel vt medium: non vt finis, quia vt tale nullam rationem boni habet; non vt medium, quia non ſunt facienda mala, vt eveniant bona.

III. Assert. Malum culpæ ab inordinata voluntate poteſt intendi, ſaltem vt medium, & ita poteſt habere cauſam finalem. Probatur, poteſt aliqua ratio boni in malo culpæ apparere; vt ſi quis peccatum ſuum referat ad vindictam injuriæ ſibi illatæ.

IV. Assert. Permiſſio mali culpæ ordinatè intendi poteſt. Probatur. Permiſſio mali culpæ de ſe non eſt mala: ergo poteſt in bonum finem referri à permittente; ſic Deus permittit peccata propter aliquod bonum, nempe gloriam ſuam: novit quippe Deus ex malis, ſi fiant, multa elicere bona; teſte D. Auguſtino in Enchirid. *Neque ſineret*, inquit, *bonum malè fieri, niſi omnipotens etiam de malo poſſet facere bonum bene*; hinc etiam mala naturæ permittit in orbe fieri ad pulchritudinem, & varietatem vniverſi, ex D. Dionyſ. c. 4. de divin. nomin. aut etiam ad conſervationem, quod enim vni malum eſt, alteri etiam bonum eſt; hinc Auguſt. lib. 3. de Geneſ. ad litteram, c. 17. *Nam, & noxia animantes, aut pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercent, aut vtiliter probant, aut ignoranter docent.*

V. Asser.

V. Assert. Malum medicinale, adeóque malum pœnæ, poteſt non tantùm quoad permiſſionem, ſed etiam quoad effectionem appeti ab operante propter bonum finem. Probatur. Abſcinditur enim brachium, vt vita conſervetur. Deinde ad ordinem vniverſi ordo juſtitiæ pertinet ex D. Thoma, 1. p. q. 49. a. 2. At ordo juſtitiæ exigit, vt peccatori pœna inferatur: ergo Deus poteſt intendere malum pœnæ, in vindictam culpæ. Ideóque illius eſſe author.

§. 2. *Quænam ſit cauſa efficiens mali.*

I. Observatio. Causa efficiens, alia eſt Phyſica, alia Moralis. Phyſica effectum producit per realem influxum. Sic ſol eſt cauſa phyſica luminis: Moralis movet virtute ſuâ cauſam Phyſicam ad producendum effectum, nempe vel imperando, vel conſulendo, vel minando, &c. ita rex eſt cauſa Moralis obedientiæ ſubditorum per authoritatem ſuam.

II. Observ. Vtraque cauſa poteſt agere vel per ſe, vel per accidens. Phyſica per ſe agit, cùm ſecundùm naturam ſuam, & non ſecundùm aliquid, quod ei accidit, producit effectum: per accidens, cùm non ſecundùm naturam ſuam, ſed ſecundùm aliquid, quod ei accidit, producit effectum, ſic Muſicus per ſe canit, per accidens ædificat: Moralis per ſe agit, cùm per ſe intendit effectum, ad quem movet cauſam Phyſicam; per accidens verò, cùm non intendit per ſe effectum, qui ſequitur. His obſervatis ſit

I. Assertio. Datur aliqua cauſa efficiens mali Phyſica. Probatur. Nullum eſt ens, cui per ſe, & ab intrinſeco ratio mali conveniat: ergo accidit

ei ab aliqua cauſa extrinſeca; non alia certè quàm efficiente Phyſica: ergo datur cauſa efficiens Phyſica mali. Confirmatur, res dicitur mala, quatenus deficit à perfectione ſibi debita; non deficit autem, niſi ob aliquam cauſam, quæ vel agat, vel impediat.

II. Asser. Nulla eſt per ſe cauſa Phyſica mali formaliter ſumpti, ſed tantùm per accidens. Probatur 1. Omnis cauſa per ſe efficiens Phyſica agit propter finem: malum formaliter ſumptum non poteſt eſſe per ſe finis actionis, quia per ſe appeti non poteſt: ergo nulla per ſe eſt cauſa efficiens mali formaliter ſumpti; at aliunde datur aliqua cauſa efficiens Phyſica mali, ex prima aſſertione: ergo ſupereſt, vt detur cauſa per accidens. Probatur 2. Omne malum rebus accidit vel per efficientiam perfectam cauſæ agentis, cùm cauſa efficiens perfecta producit formam, ad quam ſequitur privatio alterius formæ, v. g. cùm ignis producit calorem in aqua, ad quem ſequitur privatio frigoris, quæ mala eſt aquæ: vel ex imperfectione, & defectu cauſæ, cùm malum effectui, aut formæ à cauſa efficiente intentæ annexum eſt, ſic claudicatio annexa eſt actioni virtutis motricis debilis: vel ex ſola ſubtractione efficientiæ, ſeu influxus bonitatis, quem cauſa non communicat, vel non conſervat, vt dum ſol lumen ſuum aëri ſubducit, ſequitur privatio lucis: atqui in his caſibus malum habet cauſam Phyſicam tantùm per accidens. In primo quidem, quia cauſa agens intendit primò ſe communicare, non deſtruere: in ſecundo malum oritur à cauſa, vt deficiens eſt, non vt efficiens: in tertio malum eodem ferè modo accidit, quo in primo, & ſequitur privatio lucis ex ſubtractione ſolis: ergo mali, vt

Digitized by Google

malum eſt, non eſt cauſa efficiens, niſi per accidens.

Porrò defectus in cauſa agente neceſſaria oritur vel ex eo, quòd cauſa malè affecta ſit, vt ſi oculus pravè ſit diſpoſitus, vel ex conjunctione cauſæ impedientis; in cauſa verò libera ex dominio, quod habet in actus ſuos abſque vllo extrinſeco impedimento, cùm enim ſit ſui juris, non ſemper agit, quantum poteſt, & quantum debet, ideóque poteſt à regula rationis deflectere, ac proinde peccare.

III. Assert. Deus non poteſt eſſe cauſa Moralis, aut Phyſica efficiens peccati, ſeu mali culpæ formaliter ſumpti. Probatur 1. prima pars. Si Deus eſſet cauſa moralis peccati, vel præcipiendo, vel conſulendo. Non præcipiendo, nam Deus *nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit ſpiritum peccandi,* Eccleſ. 15. Deinde qui præcipit peccatum, inducit in peccatum, vúltque fieri voluntate efficaci: Deus non poteſt velle fieri peccatum voluntate efficaci, quia nulla in eo ratio boni apparet. Nec dicas voluntatem illam in Deo honeſtari ex fine, ad quem peccata dirigit, quæ eſt ipſius gloria; nam medium, quod per ſe malum eſt, non poteſt honeſtari ex fine bono, alioqui homo licitè poſſet ordinare medium malum ad finem bonum. Non conſulendo, & ſuadendo. *Perſuaſio, quæ non eſt ex Deo, qui vocat vos,* ad Gal. 5. & Iſaiæ 3. *Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non me.* Accedit D. Auguſtinus, lib. 2. de lib. arb. c. 4. *Deus omnia, quorum in ſe eſt author, præſcit; non tamen omnium, quæ præſcit, author eſt: quorum autem non eſt author, juſtus eſt vltor.* Atqui vltor eſt peccati; igitur illius non eſt author.

Probatur 2. ratione. Voluntas efficax, vt peccata fiant, pugnat cum alia efficaci, vt eadem non fiant; velle enim efficaciter idem objectum fieri, & nolle efficaciter ſe mutuò deſtruunt: Deus habet voluntatem efficacem, vt peccata non fiant: ergo non poteſt habere voluntatem efficacem, vt fiant.

Probatur minor. Deus enim quà minis, quà pœnis à peccatis deterret; ad virtutem quà exhortationibus, quà præmiis propoſitis excitat; auxilia, vt illa fugiamus, hanc vt colamus, & gratias vberrimas offert, vt patet legenti ſacras paginas.

Probatur 3. Repugnat infinitæ Dei bonitati ſe ipſum odiſſe, ſe enim ipſum amat neceſſariò: ſi Deus eſſet cauſa Moralis peccati, ſe ipſum odiſſet: ergo Deus non poteſt eſſe cauſa Moralis peccati.

Probatur minor. Ille ſe odit, qui jubet averſionem à ſe ipſo: Deus, ſi eſſet cauſa Moralis peccati, jubendo peccatum, aut conſulendo, juberet, aut conſuleret averſionem à ſe ipſo, quia peccatum, ex D. Thoma, 1. 2. q. 79. a. 1. eſt receſſus, & averſio à Deo, vt ab vltimo fine, & converſio ad creaturam.

Denique homo idem eſſet ſimul juſtus, & injuſtus: ſimul mereretur, & demereretur: juſtus, quia ageret conformiter ad divinam voluntatem, quæ juberet peccatum, adeóque mereretur: injuſtus, quia faceret contra Dei voluntatem, quæ peccatum prohibet; & ita demereretur, &c.

Probatur 2. pars. Illud agens non poteſt eſſe cauſa Phyſica peccati formaliter ſumpti, cujus virtus non ordinatur ex natura ſua, aut ex propria determinatione ad peccatum formaliter ſumptum: Dei virtus nec ex natura ſua, nec ex propria determi-

Digitized by Google

natione ordinatur ad peccatum formaliter ſumptum; Deus enim eſt ſumma ſanctitas; ſumma ſanctitas habet ſummam repugnantiam cum peccato formaliter ſumpto, vt probatum eſt paragrapho 3. art. 1. at quod habet ſummam repugnantiam cum alio, ad illud nec ex natura, nec ex propria determinatione ordinari poteſt, aliter ſe ipſum deſtrueret: ergo Dei virtus nec ex natura ſua, nec ex propria determinatione ad peccatum formaliter ſumptum ordinari poteſt. Confirmatur, quia Deus, quando concurrit ad actionem peccaminoſam, determinatur à creatura, vt oſtendemus, lib. 2. Phyſic. diſp. de concurſu: Denique ex principiis noſtris peccatum formaliter ſumptum eſt non ens.

§. 3. *Diluuntur objecta.*

OBIICIES 1. Deus juſſit Abrahamum filium interficere. 2. legem tulit per Moyſem, vt abundaret delictum, ex D. Paulo: ergo Deus eſt author peccati.

Reſp. ad 1. concedo ant. At nullum ibi eſt peccatum, quia Deus vt abſolutus vitæ dominus poteſt cuilibet vitam per ſe, vel per alterum, etiam parentem eripere. Ratio eſt, quòd duplex genus mali ſit, alterum intrinſecè malum, alterum tantùm in certis circumſtantiis. In iis, quæ ſunt mala intrinſecè, Deus numquam diſpenſat, nec poteſt diſpenſare, aut eadem jubere; in aliis verò poteſt vt dominus vel diſpenſare, vel jubere, quia per præceptum Dei vt Domini ſupremi, vel per diſpenſationem fiunt licita. Sic olim tranſtulit opes Ægyptiorum in Iſraëlitarum dominium. Ad ſecundum Reſp. particulam, vt, eò

loci non ſignificare intentionem Dei, ſed eventum rei, ita vt ſenſus ſit, ex D. Chryſoſtomo; Deus per Moyſem legem tulit, ita vt abundaret delictum.

Objicies 2. Sæpe Deus in ſcripturis dicitur præcipere, & impellere homines ad malum. Sic oramus Deum in dominica oratione, ne nos inducat in tentationem. 2. Deus dicitur præcepiſſe Semeï, vt malediceret Dauid. 3. Dicitur immiſiſſe ſpiritum mendacii in ora falſorum Prophetarum. 4. Induraſſe cor Pharaonis, & convertere corda populi ad odium: atqui hæc omnia præſtare non poteſt, niſi ſit author peccati: ergo, &c.

Reſp. ad 1. Quod reſpondet D. Auguſt. de bono perſev. cap. 6. *Quod Deo*, inquit, *dicimus, ne nos inferas in tentationem, quid aliud dicimus, niſi ne nos inferri ſinat?* Ad alia loca Reſp. eſſe intelligenda vel de voluntate permittente, non præcipiente, vel de patientia Dei, quòd nempe patienter tolerando peccata, impiis præbeat occaſionem peccandi liberiùs. Sic herus dicitur eſſe veluti cauſa criminum à ſeruis admiſſorum, dum nimiâ vtitur indulgentiâ.

Inſt. 1. Deus dicitur indurare per potentiam à D. Paulo: ergo eſt cauſa Moralis, immò & Phyſica illius indurationis, & quidem per ſe.

Reſp. Quatuor modis indurat Deus. 1. permiſſivè. 2. per patientiam. 3. negativè ſubtrahendo potentiores gratias in vltionem peccatorum, quas ſi largiretur, à peccato vtique revocaret. 4. Poſitivè, quòd ſæpe res faciat ex ſe bonas, & honeſtas, quas tamen ex perverſa voluntate impii in malum ſuum, & exitium convertunt. Sic Pharaoni potentiſſimam conſervandi regni cogitationem immittebat per ſe indifferentem, ſed ex qua ipſe Pha-

Digitized by Google

rao propter depravatam voluntatem Iudæos ſervitute premendos concludebat.

Inſt. 2. Qui permittit malum, quod poteſt impedire, vult malum: Deus permittit malum, quod poteſt impedire: ergo Deus vult malum.

Reſp. diſt. maj. Si tenetur impedire, concedo: ſi non tenetur, nego: at Deus non tenetur impedire.

Inſt. 3. Qui præcognoſcit effectum infallibiliter eventurum ex cauſa aliqua, & vult cauſam, cùm poſſit impedire, cenſetur velle moraliter effectum: Deus præcognovit peccata infallibiliter eventura, ſi crearet liberum arbitrium, & tamen creavit, cùm poſſet non creare: ergo, &c.

Reſp. nego maj. vel potiùs diſt. Si tenetur effectum impedire, concedo: ſi non tenetur, nego. An armorum opifex tenetur abſtinere à fabricandis armis, licèt prævideat cædes per arma patrandas? An cenſetur velle homicidia inde ſecutura?

Inſt. 4. Qui vult potentiam peccandi, vult peccatum: Deus vult potentiam peccandi: ergo vult peccatum.

Reſp. diſt. maj. Qui vult potentiam peccandi formaliter, vt eſt potentia peccandi. C. maj. Qui vult potentiam peccandi tantùm materialiter, & ſpecificè, nego: at Deus vult potentiam peccandi, ſeu liberum arbitrium, non vt eſt principium peccandi, ſed vt eſt principium honeſtæ actionis.

Objicies 3. Qui producit quidquid reale eſt in peccato, eſt author peccati: Deus producit quidquid eſt reale in peccato: ergo Deus eſt author peccati.

Reſp. diſt. maj. Qui producit vt cauſa particularis, contra debitum, vt determinans, & ex-

lex jubet. Voluntas itaque eſt ſubjectum immediatum privationis, dicitúrque mala formaliter, & intrinſecâ denominatione.

Inſt. 1. Actus dicitur malus: ergo eſt ſubjectum malitiæ.

Reſp. diſt. anteced. Cauſaliter, & negativè, concedo: formaliter, nego ant. & conſequentiam.

Inſt. 2. Idem eſt ſubjectum formæ, & ejus privationis. Actus eſt ſubjectum honeſtatis, quæ eſt forma: ergo & privationis.

Reſp. nego min. Nam actus eſt tantùm cauſaliter bonus, & honeſtus; voluntas autem formaliter bona, & honeſta.

Objicies 8. contra ſecundam aſſertionem. Sublatâ omni lege adhuc manet peccatum: ergo peccatum eſt formaliter ante legem.

Reſp. diſt. ant. Manet peccatum formaliter, concedo; formaliter, nego. Nam quamdiu non eſt debitum, tamdiu non eſt peccatum formaliter. At omne debitum eſt à lege.

Inſt. 1. Sublatâ lege homo adhuc haberet debitum non mentiendi.

Reſp. Nego, ſi præcisè, & formaliter ſumitur debitum, quia vt tale, eſt à lege. Vel diſt. haberet debitum remotè, & radicaliter, ſeu materialiter, concedo: proximè, & formaliter, nego.

Inſt. 2. Odium Dei eſt formaliter malum ante legem. Ergo eſt formaliter peccatum.

Reſp. Negant conſeq. multi Theol. tréſque diſtinguunt gradus in odio Dei. Primus eſt poſitivus actus voluntatis, qui eſt malus radicaliter, & efficienter ſaltem remotè. 2. qui eſt malus formaliter, ſed nondum peccatum formaliter, quia infert tantùm negationem boni. 3. deniquę eſt privatio recti-

tudinis debitæ, quæ eſt peccatum formaliter, quatenus eſt contra legem. Quare diſtinguunt malum formaliter, à peccato formaliter ſumpto. At Reſp. 2. Nego eſſe formaliter malum, ſaltem Morale & Theologicum, ante legem, ſed tantùm materialiter, & Phyſicè.

Inſt. 3. Quod eſt intrinſecè malum, eſt malum ante legem.

Reſp. diſt. Ante legem poſitivam, eſto: naturalem, nego. Nam lex naturalis id habet, vt neceſſariò vetet odium.

Inſt. 4. In priori, quàm Deus videat legem, cognoſcit eſſe malum, & peccatum formaliter.

Reſp. nego ant. Quia vt odium Dei eſt malum moraliter intrinſecè, ita debet dari in Deo lex illud prohibens neceſſariò. Sed hæc ad Theologos.

ARTICVLVS II.

De cauſis mali extrinſecis.

DISCVSSIS mali tum naturæ, tum culpæ, cauſis intrinſecis, diſcutiendæ ſuperſunt extrinſecæ, efficiens nempe, & finalis; & quoniam finalis prima eſt ordine intentionis, ideo de ea primò agendum.

§. 1. *An ſit cauſa finalis mali.*

I. ASSERT. NVLLA per ſe eſt cauſa finalis mali formaliter ſumpti. Probatur. Id, quod non poteſt per ſe intendi à cauſa efficiente, non poteſt habere per ſe cauſam finalem: malum formaliter ſumptum non poteſt per ſe intendi à cauſa efficiente: ergo non poteſt per ſe habere cauſam finalem. Minor patet ex dictis; cùm enim malum

formaliter ſumptum in privatione conſiſtat; privatio autem ſit non ens, malum per ſe appeti, & intendi non poteſt juxta illud axioma, nemo intendens in malum operatur. Sed quia in malo culpæ duo diſtingui poſſunt; primum, malitia formalis, ſecundum, permiſſio ipſius mali: ideo ſit

II. Assert. Malum culpæ formaliter ſumptum non poteſt ab ordinata voluntate intendi. Probatur. Vel enim intenderetur, vt finis, vel vt medium: non vt finis, quia vt tale nullam rationem boni habet; non vt medium, quia non ſunt facienda mala, vt eveniant bona.

III. Assert. Malum culpæ ab inordinata voluntate poteſt intendi, ſaltem vt medium, & ita poteſt habere cauſam finalem. Probatur, poteſt aliqua ratio boni in malo culpæ apparere; vt ſi quis peccatum ſuum referat ad vindictam injuriæ ſibi illatæ.

IV. Assert. Permiſſio mali culpæ ordinatè intendi poteſt. Probatur. Permiſſio mali culpæ de ſe non eſt mala: ergo poteſt in bonum finem referri à permittente; ſic Deus permittit peccata propter aliquod bonum, nempe gloriam ſuam: novit quippe Deus ex malis, ſi fiant, multa elicere bona; teſte D. Auguſtino in Enchirid. *Neque ſineret*, inquit, *bonum malè fieri, niſi omnipotens etiam de malo poſſet facere bonum bene*; hinc etiam mala naturæ permittit in orbe fieri ad pulchritudinem, & varietatem vniverſi, ex D. Dionyſ. c. 4. de divin. nomin. aut etiam ad conſervationem, quod enim vni malum eſt, alteri etiam bonum eſt; hinc Auguſt. lib. 3. de Geneſ. ad litteram, c. 17. *Nam, & noxia animantes, aut pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercent, aut vtiliter probant, aut ignoranter docent.*

V. Asser.

V. Assert. Malum medicinale, adeóque malum pœnæ, poteſt non tantùm quoad permiſſionem, ſed etiam quoad effectionem appeti ab operante propter bonum finem. Probatur. Abſcinditur enim brachium, vt vita conſervetur. Deinde ad ordinem vniverſi ordo juſtitiæ pertinet ex D. Thoma, 1. p. q. 49. a. 2. At ordo juſtitiæ exigit, vt peccatori pœna inferatur: ergo Deus poteſt intendere malum pœnæ, in vindictam culpæ. Ideóque illius eſſe author.

§. 2. *Quænam ſit cauſa efficiens mali.*

I. Observatio. Cavsa efficiens, alia eſt Phyſica, alia Moralis. Phyſica effectum producit per realem influxum. Sic ſol eſt cauſa phyſica luminis: Moralis movet virtute ſuâ cauſam Phyſicam ad producendum effectum, nempe vel imperando, vel conſulendo, vel minando, &c. ita rex eſt cauſa Moralis obedientiæ ſubditorum per authoritatem ſuam.

II. Observ. Vtraque cauſa poteſt agere vel per ſe, vel per accidens. Phyſica per ſe agit, cùm ſecundùm naturam ſuam, & non ſecundùm aliquid, quod ei accidit, producit effectum: per accidens, cùm non ſecundùm naturam ſuam, ſed ſecundùm aliquid, quod ei accidit, producit effectum, ſic Muſicus per ſe canit, per accidens ædificat: Moralis per ſe agit, cùm per ſe intendit effectum, ad quem movet cauſam Phyſicam; per accidens verò, cùm non intendit per ſe effectum, qui ſequitur. His obſervatis ſit

I. Assertio. Datur aliqua cauſa efficiens mali Phyſica. Probatur. Nullum eſt ens, cui per ſe, & ab intrinſeco ratio mali conveniat: ergo accidit

Digitized by Google

ei ab aliqua cauſa extrinſeca; non alia certè quàm efficiente Phyſica: ergo datur cauſa efficiens Phyſica mali. Confirmatur, res dicitur mala, quatenus deficit à perfectione ſibi debita; non deficit autem, niſi ob aliquam cauſam, quæ vel agat, vel impediat.

II. Asser. Nulla eſt per ſe cauſa Phyſica mali formaliter ſumpti, ſed tantùm per accidens. Probatur 1. Omnis cauſa per ſe efficiens Phyſica agit propter finem: malum formaliter ſumptum non poteſt eſſe per ſe finis actionis, quia per ſe appeti non poteſt: ergo nulla per ſe eſt cauſa efficiens mali formaliter ſumpti; at aliunde datur aliqua cauſa efficiens Phyſica mali, ex prima aſſertione: ergo ſupereſt, vt detur cauſa per accidens. Probatur 2. Omne malum rebus accidit vel per efficientiam perfectam cauſæ agentis, cùm cauſa efficiens perfecta producit formam, ad quam ſequitur privatio alterius formæ, v. g. cùm ignis producit calorem in aqua, ad quem ſequitur privatio frigoris, quæ mala eſt aquæ: vel ex imperfectione, & defectu cauſæ, cùm malum effectui, aut formæ à cauſa efficiente intentæ annexum eſt, ſic claudicatio annexa eſt actioni virtutis motricis debilis: vel ex ſola ſubtractione efficientiæ, ſeu influxus bonitatis, quem cauſa non communicat, vel non conſervat, vt dum ſol lumen ſuum aëri ſubducit, ſequitur privatio lucis: atqui in his caſibus malum habet cauſam Phyſicam tantùm per accidens. In primo quidem, quia cauſa agens intendit primò ſe communicare, non deſtruere: in ſecundo malum oritur à cauſa, vt deficiens eſt, non vt efficiens: in tertio malum eodem ferè modo accidit, quo in primo, & ſequitur privatio lucis ex ſubtractione ſolis: ergo mali, vt

malum eſt, non eſt cauſa efficiens, niſi per accidens.

Porrò defectus in cauſa agente neceſſaria oritur vel ex eo, quòd cauſa malè affecta ſit, vt ſi oculus pravè ſit diſpoſitus, vel ex conjunctione cauſæ impedientis; in cauſa verò libera ex dominio, quod habet in actus ſuos abſque vllo extrinſeco impedimento, cùm enim ſit ſui juris, non ſemper agit, quantum poteſt, & quantum debet, ideóque poteſt à regula rationis deflectere, ac proinde peccare.

III. ASSERT. Deus non poteſt eſſe cauſa Moralis, aut Phyſica efficiens peccati, ſeu mali culpæ formaliter ſumpti. Probatur I. prima pars. Si Deus eſſet cauſa moralis peccati, vel præcipiendo, vel conſulendo. Non præcipiendo, nam Deus *nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit ſpiritum peccandi*, Eccleſ. 15. Deinde qui præcipit peccatum, inducit in peccatum, vúltque fieri voluntate efficaci: Deus non poteſt velle fieri peccatum voluntate efficaci, quia nulla in eo ratio boni apparet. Nec dicas voluntatem illam in Deo honeſtari ex fine, ad quem peccata dirigit, quæ eſt ipſius gloria; nam medium, quod per ſe malum eſt, non poteſt honeſtari ex fine bono, alioqui homo licitè poſſet ordinare medium malum ad finem bonum. Non conſulendo, & ſuadendo. *Perſuaſio, quæ non eſt ex Deo, qui vocat vos*, ad Gal. 5. & Iſaiæ 3. *Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non me.* Accedit D. Auguſtinus, lib. 2. de lib. arb. c. 4. *Deus omnia, quorum in ſe eſt author, præſcit; non tamen omnium, quæ præſcit, author eſt: quorum autem non eſt author, juſtus eſt vltor.* Atqui vltor eſt peccati; igitur illius non eſt author.

Probatur 2. ratione. Voluntas efficax, vt peccata fiant, pugnat cum alia efficaci, vt eadem non fiant; velle enim efficaciter idem objectum fieri, & nolle efficaciter ſe mutuò deſtruunt: Deus habet voluntatem efficacem, vt peccata non fiant: ergo non poteſt habere voluntatem efficacem, vt fiant.

Probatur minor. Deus enim quà minis, quà pœnis à peccatis deterret; ad virtutem quà exhortationibus, quà præmiis propoſitis excitat; auxilia, vt illa fugiamus, hanc vt colamus, & gratias vberrimas offert, vt patet legenti ſacras paginas.

Probatur 3. Repugnat infinitæ Dei bonitati ſe ipſum odiſſe, ſe enim ipſum amat neceſſariò: ſi Deus eſſet cauſa Moralis peccati, ſe ipſum odiſſet: ergo Deus non poteſt eſſe cauſa Moralis peccati.

Probatur minor. Ille ſe odit, qui jubet averſionem à ſe ipſo: Deus, ſi eſſet cauſa Moralis peccati, jubendo peccatum, aut conſulendo, juberet, aut conſuleret averſionem à ſe ipſo, quia peccatum, ex D. Thoma, 1. 2. q. 79. a. 1. eſt receſſus, & averſio à Deo, vt ab vltimo fine, & converſio ad creaturam.

Denique homo idem eſſet ſimul juſtus, & injuſtus: ſimul mereretur, & demereretur: juſtus, quia ageret conformiter ad divinam voluntatem, quæ juberet peccatum, adeóque mereretur: injuſtus, quia faceret contra Dei voluntatem, quæ peccatum prohibet, & ita demereretur, &c.

Probatur 2. pars. Illud agens non poteſt eſſe cauſa Phyſica peccati formaliter ſumpti, cujus virtus non ordinatur ex natura ſua, aut ex propria determinatione ad peccatum formaliter ſumptum: Dei virtus nec ex natura ſua, nec ex propria determi-

natione ordinatur ad peccatum formaliter ſumptum; Deus enim eſt ſumma ſanctitas; ſumma ſanctitas habet ſummam repugnantiam cum peccato formaliter ſumpto, vt probatum eſt paragrapho 3. art. 1. at quod habet ſummam repugnantiam cum alio, ad illud nec ex natura, nec ex propria determinatione ordinari poteſt, aliter ſe ipſum deſtrueret: ergo Dei virtus nec ex natura ſua, nec ex propria determinatione ad peccatum formaliter ſumptum ordinari poteſt. Confirmatur, quia Deus, quando concurrit ad actionem peccaminoſam, determinatur à creatura, vt oſtendemus, lib. 2. Phyſic. diſp. de concurſu: Denique ex principiis noſtris peccatum formaliter ſumptum eſt non ens.

§. 3. *Diluuntur obiecta.*

OBIICIES 1. Deus juſſit Abrahamum filium interficere. 2. legem tulit per Moyſem, vt abundaret delictum, ex D. Paulo: ergo Deus eſt author peccati.

Reſp. ad 1. concedo ant. At nullum ibi eſt peccatum, quia Deus vt abſolutus vitæ dominus poteſt cuilibet vitam per ſe, vel per alterum, etiam parentem eripere. Ratio eſt, quòd duplex genus mali ſit, alterum intrinſecè malum, alterum tantúm in certis circumſtantiis. In iis, quæ ſunt mala intrinſecè, Deus numquam diſpenſat, nec poteſt diſpenſare, aut eadem jubere; in aliis verò poteſt vt dominus vel diſpenſare, vel jubere, quia per præceptum Dei vt Domini ſupremi, vel per diſpenſationem fiunt licita. Sic olim tranſtulit opes Ægyptiorum in Iſraëlitarum dominium. Ad ſecundum Reſp. particulam, vt, eò

Digitized by Google

loci non ſignificare intentionem Dei, ſed eventum rei, ita vt ſenſus ſit, ex D. Chryſoſtomo; Deus per Moyſem legem tulit, ita vt abundaret delictum.

Objicies 2. Sæpe Deus in ſcripturis dicitur præcipere, & impellere homines ad malum. Sic oramus Deum in dominica oratione, ne nos inducat in tentationem. 2. Deus dicitur præcepiſſe Semeï, vt malediceret Dauid. 3. Dicitur immiſiſſe ſpiritum mendacii in ora falſorum Prophetarum. 4. Induraſſe cor Pharaonis, & convertere corda populi ad odium: atqui hæc omnia præſtare non poteſt, niſi ſit author peccati: ergo, &c.

Reſp. ad 1. Quod reſpondet D. Auguſt. de bono perſev. cap. 6. *Quod Deo, inquit, dicimus, ne nos inferas in tentationem, quid aliud dicimus, niſi ne nos inferri ſinat?* Ad alia loca Reſp. eſſe intelligenda vel de voluntate permittente, non præcipiente, vel de patientia Dei, quòd nempe patienter tolerando peccata, impiis præbeat occaſionem peccandi liberiùs. Sic herus dicitur eſſe veluti cauſa criminum à ſeruis admiſſorum, dum nimiâ vtitur indulgentiâ.

Inſt. 1. Deus dicitur indurare per potentiam à D. Paulo: ergo eſt cauſa Moralis, immò & Phyſica illius indurationis, & quidem per ſe.

Reſp. Quatuor modis indurat Deus. 1. permiſſivè. 2. per patientiam. 3. negativè ſubtrahendo potentiores gratias in vltionem peccatorum, quas ſi largiretur, à peccato vtique revocaret. 4. Poſitivè, quòd ſæpe res faciat ex ſe bonas, & honeſtas, quas tamen ex perverſa voluntate impii in malum ſuum, & exitium convertunt. Sic Pharaoni potentiſſimam conſervandi regni cogitationem immittebat per ſe indifferentem, ſed ex qua ipſe Pha-

Digitized by Google

rao propter depravatam voluntatem Iudæos ſervitute premendos concludebat.

Inſt. 2. Qui permittit malum, quod poteſt impedire, vult malum: Deus permittit malum, quod poteſt impedire: ergo Deus vult malum.

Reſp. diſt. maj. Si tenetur impedire, concedo: ſi non tenetur, nego: at Deus non tenetur impedire.

Inſt. 3. Qui præcognoſcit effectum infallibiliter eventurum ex cauſa aliqua, & vult cauſam, cùm poſſit impedire, cenſetur velle moraliter effectum: Deus præcognovit peccata infallibiliter eventura, ſi crearet liberum arbitrium, & tamen creavit, cùm poſſet non creare: ergo, &c.

Reſp. nego maj. vel potiùs diſt. Si tenetur effectum impedire, concedo: ſi non tenetur, nego. An armorum opifex tenetur abſtinere à fabricandis armis, licèt prævideat cædes per arma patrandas? An cenſetur velle homicidia inde ſecutura?

Inſt. 4. Qui vult potentiam peccandi, vult peccatum: Deus vult potentiam peccandi: ergo vult peccatum.

Reſp. diſt. maj. Qui vult potentiam peccandi formaliter, vt eſt potentia peccandi. C. maj. Qui vult potentiam peccandi tantùm materialiter, & ſpecificè, nego: at Deus vult potentiam peccandi, ſeu liberum arbitrium, non vt eſt principium peccandi, ſed vt eſt principium honeſtæ actionis.

Objicies 3. Qui producit quidquid reale eſt in peccato, eſt author peccati: Deus producit quidquid eſt reale in peccato: ergo Deus eſt author peccati.

Reſp. diſt. maj. Qui producit vt cauſa particularis, contra debitum, vt determinans, & ex-

Digitized by Google

primaria intentione, concedo: qui producit, vt cauſa vniverſalis, ex debito cauſæ primæ, vt determinata à cauſa ſecunda, & contra primariam intentionem, nego: at Deus, cùm producit actum malum, 1. producit tantùm vt cauſa vniverſalis, cujus eſt efficere quidquid efficit cauſa ſecunda ſaltem connaturaliter, 2. non producit contra debitum morale, quia lex non eſt poſita Deo, 3. producit determinatus à cauſa ſecunda ſaltem ad ſpeciem actus, 4. contra primariam intentionem, quia dum præbet concurſum cauſis liberis, intendit quantum eſt ex ſe, vt eo vtantur ad bonum, dátque eo fine. Hinc queritur Iſaiæ c. 43. *Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

Inſt. 1. Deus eſt author per ſe boni actus. Ergo & mali.

Reſp. Diſpar ratio eſt, quia Deus concurrit ad bonum actum vt motor particularis, gratias, & offerendo, & largiendo, & ex inclinatione ſua, ideóque propoſitis præmiis ad actus honeſtos excitat: ad malum autem, vt cauſa vniverſalis, & contra propriam inclinationem, ideóque propoſitis pœnis deterret à peccato.

DISPVTATIO TERTIA.

De fine.

AGIMVS hîc de fine, quatenus ad mores, & beatitudinem ſpectat, hoc eſt, quatenus appetitum cujuſque agentis ex ratione movet, & excitat ad ſui proſecutionem. Videndum itaque primò, quid ſit finis. Deinde, an omne agens agat propter

finem. Tertiò, an detur finis aliquis vltimus, & quis ille porrò ſit.

ARTICVLVS PRIMVS.

De natura finis.

TRIA hîc examinanda. Primum, Quotuplex ſit finis. Secundum, Quid ſit. Tertium, An bonum, & finis convertantur.

§. I. *Quotuplex ſit finis, & quid ſit.*

PRIMA diviſio eſt in finem intrinſecum, & proximum: extrinſecum, & remotum. Intrinſecus eſt, quem primò, & per ſe ſpectat agens, non mediante altero: externus, & remotus, quem mediante interno intendit, & aſſequitur. Sic finis artis ædificatoriæ internus, & proximus, eſt ipſa domus conſtructa: externus, commoda habitatio.

Secunda eſt in finem operis, qui coincidit cum interno, & finem operantis, qui poteſt eſſe arbitrarius; ſic artifex domus poteſt ſibi proponere pro fine lucrum, aut gloriam.

Tertia in finem, cujus gratiâ, & in finem cui. Primus eſt propter quem aliquid expetitur: ſecundus eſt perſona, ſeu ſubjectum, cui bonum per actionem procuratur. Sic homo eſt finis, cui appetitur ſanitas; ſanitas autem finis qui, ſeu cujus gratiâ.

Quarta in finem formalem, & objectivum. Objectivus eſt res ipſa, quæ eſt objectum potentiæ, & expetitur propter ſe. Ita Deus eſt finis objectivus beatorum. Formalis, eſt ratio, quâ finis objectivus poſſidetur, vt viſio intuitiva reſpectu Dei: primus dicitur finis qui: ſecundus finis quo.

Quinta in vltimum, & non vltimum. Vltimus eſt, cujus gratiâ ita fit actio, vt nihil vltrà expetatur: non vltimus, cujus gratiâ ita fit actio, vt tamen vlterius quidpiam quæratur. Ita dum aliquis largitur eleemoſynam, non habet pro fine vltimo ſublevationem alienæ miſeriæ, ſed æternam mercedem.

Sexta finis vltimi, in vltimum ſimpliciter, ſive totius, & vltimum ſecundùm quid, ſive partis tantùm. Vltimus ſimpliciter eſt ille, ad quem vltimò tendunt omnia, ſeu qui propter ſe expeti debet, & omnia propter ipſum: vltimus ſecundùm quid eſt, ad quem agens per ſe vltimò tendit, vt ad finem particularem. Sic imperator per ſe tendit ad victoriam.

Septima finis vltimi ſimpliciter in finem ex natura rei, & per accidens. Finis ſimpliciter vltimus ex natura rei eſt, qui propter ſe, & ex natura ſua debet expeti, & omnia propter ipſum, iſque ſolus eſt Deus: Finis vltimus ſimpliciter per accidens eſt, qui non ex natura ſua, ſed ex perverſa hominum voluntate propter ſe expetitur, reliqua propter ipſum; ſic avarus divitias, vt finem ſimpliciter vltimum ſibi conſtituit.

VNICA ASSERTIO. Finis vt ſic, de quo hîc agimus, ab Ariſtotele definitur, lib 2. Phyſ. cap. 3. Id, cujus gratiâ fit aliquid. Sic ſanitas eſt finis medicinæ, quia propter ſanitatem fit, & amatur medicina. Quamquam finis ſpectari poteſt, vel vt principium actionis, & ſic definitur id, cujus gratiâ fit aliquid: vel vt ejuſdem terminus, & ita definitur id, quo adepto quieſcit agens. Ex vtraque definitione hæc integra concinnatur. Finis eſt id, cujus gratiâ aliquid fit, & quo adepto quieſcit agens.

Digitized by Google

Hinc profluxit axioma. Finis eſt primus in intentione, & vltimus in executione; quia finem antè reſpicimus intendimúſque, quàm quidpiam agamus, ne temeraria, & fortuita ſit actio, ideóque dicitur primus in intentione.

Hinc alterum axioma. Primus amor cæteris amoribus dominatur; quia primus amor eſt finis, alii verò amores mediorum, qui imperantur ab amore finis. At vltimus eſt in executione finis, quia illum non aſſequimur, niſi per media. Sic ſanitas prima eſt in ægroti intentione, at medicina prima in executione. Quare ordo intentionis opponitur ordini executionis, quia in ordine intentionis primò eſt finis, deinde media propter ipſum finem: in ordine verò executionis primò ſunt media, deinde finis. Vnde primum amabile vltimò acquiritur.

§. 2. *An finis, & bonum convertantur.*

I. ASSERT. BONVM, & finis non ſunt formaliter idem.

Prob. 1. Quia diverſæ ſunt vtriuſque definitiones. 2. Quia non omne bonum eſt finis; nam bonum vtile non eſt finis, licèt omnis finis ſit bonum vel verum, vel apparens. Quare

II. ASSERT. Bonum, & finis non convertuntur.

Probatur. Bonum latiùs patet, quàm finis: ergo bonum, & finis non convertuntur. Prob. antec. Medium, vt medium, eſt bonum vtile, quia quà tale expetitur propter aliud, nec tamen convertitur cum fine, quia finis expetitur propter ſe: ergo bonum latiùs patet fine.

Confirmatur ex Ariſtotele, qui docet jucundum,

Digitized by Google

& honeſtum eſſe tantùm amabilia ſicut fines; vtile autem, vt medium.

Objicies 1. Avari ponunt aliquando finem in divitiis, quæ ſunt bonum vtile: ergo bonum vtile idem eſt, ac finis.

Reſp. diſt. ant. in divitiis cognitis vt bono jucundo, aut honeſto, concedo: cognitis vt bono tantùm vtili, nego.

Objicies 2. Medium eſt tantùm bonum bonitate ſibi extrinſeca, nempe ipſius finis: ergo nullam habet bonitatem præter bonitatem finis: ergo bonum dicitur converſim cum fine. 2. Ariſtoteles ait 2. Phyſic. bonum, & finem idem eſſe.

Reſp. ad 1. nego antec. Aliter enim quodlibet medium perinde valeret ad finem quemlibet acquirendum. Quorſum enim pharmacum potiùs adhibetur ad ſanitatem, quàm venenum, niſi quòd pharmacum ex natura ſua virtutem habet ſibi intrinſecam, corpori humano ſalubriorem, quàm venenum? ergo bonitas medii eſt intrinſeca bono vtili. Ad 2. Ariſtoteles ibi ſumit bonum ſtrictiùs pro jucundo, & honeſto. Nos hîc ſumimus in tota latitudine.

Inſt. 1. Sublatâ finis bonitate tollitur bonitas, & appetitio mediorum: ergo bonitas mediorum, non eſt alia à bonitate finis. Prob. ant. Media vt media non expetuntur, niſi propter finem.

Reſp. nego conſeq. Nam hoc argumentum nimis probat. Nempe terminum relationis eſſe ipſam relationem formaliter, quia ſublato termino tollitur relatio. Quare reſp. hinc tantùm ſequi, quòd bonitas mediorum non eſt abſoluta, ſed relativa. Vt ergo ſublato termino tollitur relatio, nec tamen inde ſequitur relationem non diſtingui à ter-

Digitized by Google

mino: ita ſublato fine, & bonitate illius, tollitur medium, ejúſque bonitas, nec tamen inde inferri debet bonitatem medii non eſſe diſtinctam à bonitate finis.

ARTICVLVS II.

An omnia agant propter finem, & quomodo.

CVM res aliæ ſint cognitionis expertes, aliæ participes; hinc quæſtio duplex naſcitur. 1. an res ſive cognitione ſenſitiva, ſive intelligentia præditæ agant propter finem. 2. an res etiam inanimatæ. Vtrique vt ſatisfaciam, ſit

§. 1. *An res intelligentiæ participes agant propter finem formaliter.*

I. OBSERVATIO. AGENS poteſt agere propter finem vel materialiter, vel formaliter. Tunc agit materialiter, cùm agit propter finem ſibi non cognitum ſub ratione finis. Agit formaliter, cùm fertur in finem ſibi cognitum. Quamquam

II. OBSERV. Agens poteſt tendere in finem formaliter perfectè, vel imperfectè. Perfectè tendit in finem formaliter, dum finem ſibi proponit per certa media obtinendum, quorum convenientiam cum fine, proportionémque novit, ſeu cùm determinat ſe potiùs ad quærendum, quàm non quærendum talem finem; vel certè ad vſum hujus potiùs medii, quàm alterius, vt talis finis obtineatur: hinc intentio finis, ex D. Thoma, 1. 2. quæſt. 1. a. 2. importat determinationem, quæ

ſit ab ipſo intendente, non ab alio; imperfectè autem, cùm neceſſaria, & naturali quadam determinatione fertur in finem aliquomodo ſibi cognitum, ſed non attingendo proportionem illius cum mediis. His poſitis ſit

I. Assertio. Homines, & Angeli agunt propter finem formaliter perfectè.

Probatur. Omne agens agit propter finem formaliter perfectè, quod cognoſcit 1. finem, 2. media, 3. mediorum proportionem ad finem, & ex illa cognitione finem intendit. Homines, & Angeli ſunt ejuſmodi, quia agunt ex intelligentia: ergo ſe reflectunt ſupra proportionem mediorum cum fine, norúntque finem, quatenus finis eſt. Deinde determinant ſe potiùs ad quærendum, quàm non quærendum talem finem; ad vſum hujus potiùs, quàm alterius medii, vt talis finis obtineatur: at hoc eſt finem perfectè intendere, ex ſecunda obſervatione: ergo, &c.

Confirmatur. Quia agens ex ratione non tantùm ipſum opus intendit, ſed finem etiam operis, quatenus finis eſt. Ita dum ambulo, non deambulationem tantùm volo, ſed ipſam ſanitatem, vt finem deambulationis.

Nota, quod ad Deum pertinet, operationes Dei alias eſſe immanentes, & internas, cujuſmodi ſunt volitio, & intellectio divina, quæ dicuntur actiones ad intra: alias externas, & tranſeuntes, vt productio mundi, & creatio Angelorum, quæ dicuntur actiones ad extra. Primæ Deo identificantur, quia Deus quidquid eſt in ipſo, propter infinitam ſimplicitatem ſibi identificat: Secundæ diſtinguuntur realiter, & extra Deum tranſeunt. His poſitis

II. Assert. Deus in actionibus ad intra, ſeu

Digitized by Google

in emanationibus divinis non agit propter finem.

Probatur. Omnis actio immanens in Deo eſt ipſe Deus realiter : ſed Deus non poteſt habere cauſam finalem : ergo nec actio ejuſdem immanens.

Probatur min. Quidquid habet cauſam finalem, habet etiam efficientem, quia omnis cauſa finalis movet efficientem ad agendum : atqui Deus non poteſt habere cauſam ſui efficientem ; eſt enim ens à ſe, & prima omnium cauſa : ergo non poteſt habere cauſam finalem.

Confirm. Quia habere cauſam, arguit imperfectionem in cauſato, ex D. Thoma, 1. part. qu. 19. art. 1. & 1. contra gentes. Atqui in Deum non cadit imperfectio ; hinc ex mente S. Doctoris divinæ voluntatis ratio dari poteſt, ſed non cauſa. Quare dum dicitur Deus nos amare propter ſuam bonitatem, particula, propter, non ſignificat cauſalitatem, ex D. Thoma, ſed rationem, bonitatis perfectiſſimam, & expertem dependentiæ, quamvis in creatis dicat cauſalitatem.

Objicies 1. Deus dicitur finis ſui ipſius. Reſp. diſt. Poſitivè, nego: negativè, concedo. Sicut dicitur eſſe à ſe non poſitivè, quaſi ſeipſum producat, ſed negativè, quia nullam habet cauſam ſui effectricem.

Inſt. 1. Deus ad intra non agit propter finem: ergo agit temerè.

Reſp. nego conſeq. Licèt enim agens non agat temerè, non ideo conſequens eſt, vt agat propter finem, & viciſſim ; ſed ſatis eſt, ſi ſciens, prudénſque agat.

Inſt. 2. Si creaturæ non agunt temerè, rectè infertur : ergo agunt propter finem. Reſp. nego parit. Diſpar ratio eſt, quia actiones creatæ poſſunt, & debent habere cauſam finalem : ergo ſi non ha-

bent, fiunt temerè: at internæ Dei actiones non habent finalem cauſam.

Objicies 2. Decreta divina ſunt actiones immanentes: ſed decreta divina habent finem, nam Deus decrevit mundum creare propter ſe.

Reſp. diſt. ant. Sunt actiones immanentes ſimpliciter, & adæquatè, nego: ſecundùm quid, & inadæquatè, concedo: ſunt enim actiones immanentes tendentes ad creaturarum productionem, vnde dici poſſunt tranſeuntes terminativè. Alii ſic diſt. Decreta ſunt actiones immanentes ſecundùm ea, quæ dicunt intrinſecè in Deo, concedunt: ſecundùm ea, quæ dicunt extrinſecè, negant. At non habent finem, niſi ratione extrinſecorum.

Inſt. 1. Decreta illa habent finem, licèt Deo identificentur.

Reſp. diſt. Habent finem virtualiter, quatenus divina voluntas ad decreta ordinatur quodammodo virtualiter à divina bonitate, quæ ſit idem cum decretis, concedo: habent finem actualiter, quaſi divina voluntas mota ſit à fine diſtincto ab ipſis decretis, nego Nempe vt obſervat D. Thomas, 1. part. quæſt. 19. art. 5. *Cùm voluntas*, inquit, *conſequatur intellectum: eodem modo contingit eſſe cauſam alicujus voluntatis, vt velit, & alicujus intelligentis, vt intelligat. In intellectu autem ſic eſt, quòd ſi ſeorſim intelligat principium, & ſeorſim concluſionem, intelligentia principii eſt cauſa ſcientia concluſionis: ſed ſi intellectus in ipſo principio inſpiceret concluſionem, vno intuitu apprehendens vtrumque: in eo ſcientia concluſionis non cauſaretur ab intellectu principiorum, quia idem non eſt cauſa ſui ipſius: ſed tamen intelligeret principia eſſe cauſas concluſionis. Similiter eſt ex parte voluntatis, circa quam*

Digitized by Google

ſic ſe habet finis ad ea, quæ ſunt ad finem, ſicut in intellectu principia ad concluſiones. Vnde ſi aliquis vnico actu velit finem, & actu alio, quæ ſunt ad finem, velle finem erit ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem. Sed ſi vno actu velit finem, & ea, quæ ſunt ad finem, hoc eſſe non poterit; idem enim non poteſt eſſe cauſa ſui ipſius. Et tamen verum erit dicere, quòd velit ordinare ea, quæ ſunt ad finem, in finem. Deus autem, ſicut vno actu omnia in eſſentia ſua intelligit: ita vno actu vult omnia in ſua bonitate. Vnde ſicut in Deo, intelligere cauſam non eſt cauſa intelligendi effectus, ſed ipſe intelligit effectus in cauſa: ita velle finem non eſt ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem. Vult ergo hoc eſſe propter hoc; ſed non propter hoc vult hoc, quod eſt velle Deum propter finem virtualiter, non actualiter. Hæc nota.

III. Assert. Deus in actionibus ad extra agit propter finem, & quidem perfectiſſimè.

Prob. 1. Deum eſſe cauſam finalem ſuarum actionum ad extra, eſt perfectio, quæ nihil habet imperfectionis; Eſt enim melior ipſa, quàm non ipſa, quia eſt agere ex perfectiſſima providentia: ergo Deo concedenda eſt.

2. Deus maximè agit ex ratione: ergo agit propter finem.

3. Agit ex perfectiſſima providentia: ergo agit propter finem; hinc Proverb. 16. dicitur Deus operari vniverſa propter ſemetipſum. Vbi particula, propter, ſignificat cauſalitatem. Deinde vt actiones illæ fiunt à Deo tamquam cauſa efficiente, ita fiunt propter ipſum, vt cauſam finalem. Porrò finis, quem Deus ſibi proponit, dum agit ad extra, eſt manifeſtatio potentiæ, & bonitatis ipſius. Quidquid enim extra ſe Deus producit, producit

Digitized by Google

ex intuitu, & amore ſuæ bonitatis. Vnde productio ad extra reſpicit Deum vt omnipotentem, & vt ſummum bonum, quia eſt principium, & finis rerum omnium: α & ω. Nempe id habet ex eminentia ſuæ bonitatis infinitæ, vt omnia ad ipſum ordinari debeant, ſéque eminenti quodam modo liberè inclinet ad ſuam bonitatem aliis propter ſe communicandam.

Objicies 1. Deus agit propter finem in actionibus ad extra: ergo habet cauſam finalem.

Reſp. nego conſeq. Multùm enim hæc duo diſcrepant, habere cauſam finalem, & agere propter finem. Habet cauſam finalem id omne, quod exiſtit propter aliud. Agit autem propter finem, cujus actiones habent finem aliquem, propter quem fiant.

Inſt. 1. Quidquid agit propter finem, habet cauſam finalem. Reſp. diſt. Sui ipſius, nego: Operis, ſive actionis ſuæ, concedo. Sic actio Dei tranſiens habet pro cauſa finali gloriam Dei externam.

§. 1. *An brutæ animantes agant propter finem formaliter.*

I. Assert. Brutæ animantes agunt propter finem formaliter imperfectè.

Prob. Quidquid agit propter finem ſibi aliquomodo cognitum, agit propter finem formaliter imperfectè: Brutæ animantes agunt propter finem ſibi aliquomodo cognitum; nam canis evolat ad prædam ſibi objectam, & apprehenſam, quam ſuam faciat: ergo brutæ animantes agunt propter finem formaliter imperfectè.

Objicies. Omne agens propter finem formaliter,

debet cognoſcere finem, & media; deinde mediorum proportionem cum ſuo fine: brutæ animantes, licét cognoſcant finem, & media, mediorum tamen proportionem cum fine non cognoſcunt: ergo brutæ animantes non agunt propter finem formaliter.

Reſp. diſt. maj. Omne agens propter finem formaliter perfectè, debet cognoſcere finem, & media, deinde mediorum proportionem ad finem, concedo majorem: omne agens formaliter imperfectè, nego: brutæ porrò animantes agunt propter finem formaliter imperfectè tantùm, quatenus agunt propter rem, quam ſibi convenientem apprehendunt; apprehenſo enim bono, quod ſibi conveniens eſt, naturali quodam inſtinctu feruntur in illud, appetúntque tum finem, tum media confusè per modum vnius apprehenſa, non autem diſtinctè cognita in ratione finis, & mediorum; at non agunt perfectè, quia nec ſe determinant ad agendum, nec ex cognitione perfecta finis, vt finis eſt, eligunt media apta ad illum finem, ac congruè diſponunt.

II. Assert. Brutæ animantes non agunt propter finem formaliter perfectè. Ita D. Thomas, 1. 2. quæſt. 1. a. 2. Ratio illius eſt, quòd omne agens propter finem formaliter perfectè non tantùm moveri à fine, ſed ſe movere ad finem debeat; agens enim, vt agens, ſe ipſum movet, non movetur: agit, non agitur: Brutæ animantes non poſſunt ſe movere in finem, quia ex ſancto Doctore illud agens ſe tantùm movet in finem, quod habet dominium ſui actus per liberum arbitrium: brutæ animantes non habent dominium ſui actus, quia carent libero arbitrio: ergo brutæ animantes non agunt propter finem formaliter perfectè; hinc *nihil*

Digitized by Google

in finem ordinare poſſunt, ſed ſolùm in finem ab alio ordinantur: nam tota irrationalis natura comparatur ad Deum, ſicut inſtrumentum ad agens principale: & ideo proprium eſt naturæ rationalis, vt tendat in finem, quaſi ſe agens, vel ducens in finem: natura verò irrationalis, quaſi ab alio acta, vel ducta, ſive in finem apprehenſum, ſicut bruta animalia: ſive in finem non apprehenſum, ſicut ea, quæ omnino cognitione carent. Hactenus D. Thomas, qui ſupponit in brutis nullam eſſe libertatem, & rationem.

Probatur 2. Agere propter finem formaliter perfectè, eſt cognoſcere 1. finem, 2. media, 3. habitudinem, & proportionem mediorum cum fine; 4. ex illa cognitione movere ſe ad finem, vt finis eſt, & ordinare media ad illum finem: Brutæ animantes, licèt cognoſcant finem, & media, non tamen cognoſcunt proportionem mediorum cum fine, nec ordinare poſſunt: ergo brutæ animantes non poſſunt agere propter finem formaliter perfectè. Probatur minor. Proportio eſt relatio; relatio eſt quid inſenſibile, ac proinde vnâ ratione percipi poteſt, quæ brutis non ineſt, deinde ordinare eſt actus rationis; ſapientis quippe eſt ordinare: hinc pronuntiat Philoſophus 12. Metaphyſ. *Ordinem non eſſe, ſi non ſint aliæ ſubſtantiæ præter ſenſibiles:* quia vbi eſt ordo, ibi eſt prius, & poſterius, & quidem cognitum vt prius, & poſterius, quod non poteſt fieri ſine operatione reflexa, quæ partus eſt rationis.

Reſpondent recentiores quidam Philoſophi, poſt Epicureum Celſum apud Origenem, brutis animantibus ineſſe vim ratiocinandi, nec aliud diſcrimen hominem inter, & brutas animantes eſſe vo-

ſunt, quàm quod ingenioſum inter, & ſtupidum intercedit. Charontius, lib. 1. de Sapient. c. 8. & Demontagnes, lib. 2. experimentorum, c. 12. multa congerunt argumenta ex Plutarcho in Gryllo, & Porphyrio, lib. 3. de abſtin. deprompta, quibus non ſine gravi naturæ noſtræ probro, & religionis Chriſtianæ injuria hominem ad naturam brutarum animantium abjiciunt. Contrà ſit

II. Assert. Brutis animantibus nulla ratio ineſt, adeóque nec diſcurſus. Ita Ariſtoteles multis in locis, præſertim in libris de anima: Brutis, inquit, nullis ineſt aſſenſus, & ratio. 2. de anima, tex. 157. Bruta, quia rationis expertia ſunt, phantaſiis aguntur. 1. de anima tex. 162. Bruta phantaſiam habent, deliberationem non habent, quia deliberare, vtrum hoc, aut illud agas, opus rationis eſt, quæ non eſt in brutis. 3. de anima tex. 57. conſentit D. Thomas loco citato. Origenes, lib. 4. contra Celſum poſt medium, vbi regulam tradit, quâ quid ex inſtinctu naturæ, quid ex ratione, & libero arbitrio fiat, facilè dignoſci poſſit. Vt autem ratione agam, quædam obſervare juvat.

Primum ſit. Inſtinctus, vt hîc ſumitur, eſt inclinatio naturæ orta ex cognitione boni convenientis, aut mali diſconvenientis, neceſſariò determinans animal ad bonum proſequendum, aut malum fugiendum. Duas itaque partes complectitur inſtinctus, 1. cognitionem æſtimativæ; hinc D. Thomas in 3. diſtinct. 26. quæſt. 1. a. 1. ad 4. vocat naturæ æſtimationem illum inſtinctum, cenſétque oriri à ſpeciebus inſenſatis, hoc eſt, non ſenſibus hauſtis, ſed cuilibet animali ab authore naturæ ad ſui conſervationem in ortu inditis. 2. inclinationem appetitus, qui à ſpeciebus ejuſmodi neceſſa-

Digitized by Google

riò determinatur, vel ad bonum proſequendum, vel ad malum fugiendum, ſtatim atque objicitur ſenſibus. Sic ovis viſo lupo ſtatim fugit.

Ratio cur iſtiuſmodi inſtinctus admitti debeat, hæc potiſſima eſt, quòd res reſpectu animalis ſit vel conveniens, vel diſconveniens, vel indifferens. Sic canis amicus ovi, lupus inimicus, capra indifferens. Quin etiam res eadem conveniens eſt vni animalium ſpeciei, & diſconveniens alteri: ergo debuit natura ſolers, & provida iis ſpeciebus quamlibet animalium ſpeciem inſtruere, quæ bonum eidem congruum, vt appetendum; malum noxium, vt fugiendum repræſentarent, & quaſdam in appetitu affectiones excitarent, quæ vt impetus naturæ raperent ad boni proſecutionem, & mali fugam. Nam ſi objectum ſit indifferens, putem ego nullam ſui notitiam in æſtimativa brutorum progignere, in quo æſtimativa brutorum à vi intelligente hominis diſcrepat, quæ tum rationem boni & mali, tum rationem indifferentiæ percipit; hinc

Secundum. Agens ex ratione aliter agit, quàm agens ex inſtinctu. 1. Agens ex ratione paulatim ſe perficit; hinc poſt aliquot annos longè perfectiùs homo operatur, quàm initio, peritiórque in dies evadit; novas identidem artes invenit, & inventas excolit: agens ex inſtinctu eodem modo in iiſdem circumſtantiis agit, nec progreſſu temporis opus ſuum perfectiùs molitur. 2. Agens ex ratione vim ſuam exerit in qualibet materia. Vnde nulla planè eſt ars, in qua ſi homo diutiùs elaboret, ſeipſum perficere aliquatenus non queat: agens ex inſtinctu determinatam habet, ac definitam materiam, in qua induſtriam ſuam probet. Ratio à priori eſt,

Digitized by Google

quia ratio eſt vniverſalium, & qui diſcurrit rationem vniverſalem deprehendit, ideóque de ſe non alligatur vlli ſubjecto ſingulari; ſecus autem agens ex inſtinctu. 3. Agens ex ratione in eodem opere non eodem modo verſatur, ſed alia, atque alia ratione ipſum peragit, provt per diſcurſum aliter, atque aliter faciendum colligit; ideóque data eſt homini manus, quæ *inſtrumentum ante alia inſtrumenta*, vt obſervat Ariſtoteles 4. de partibus animalium, & rationis adminiſtra, vt quam proportionem hujus, vel illius motionis, vel operis cum variis vſibus, quibus apta ſunt opera artefacta, ratio ſua ſagacitate detegit, manus exequi poſſit; agens ex inſtinctu vno tantùm modo, aut altero opus peragit ſuum. 4. Agens ex ratione moderatè agit, & tranquillè. Patet in homine, qui in bivio conſtitutus ignorat, cui viæ ſe committat; ſuſpendit enim gradum, omnia circumſpicit, oculos in viam jam confectam retorquet, vt ſigna omnia colligat, ex quibus vnam potiùs, quàm alteram viam ſibi ineundam concludat. Ratio eſt, quia opus eſt deliberatione agenti ex ratione, quæ reflexiva eſt, atque adeò tempus requirit: agens ex inſtinctu fertur præceps, & abripitur à ſpecie neceſſariò determinante; atque adeò agitur potiùs, quàm ſe agit, & naturâ inſtigante ducitur, vt jam ex D. Thoma obſervavi. His ita conſtitutis,

Probatur aſſertio. Agentia, quibus ineſt ratio, agunt ex ratione; fruſtra enim eſt facultas, quæ non exit in actum: brutæ animantes non agunt ex ratione: ergo brutis non ineſt ratio. Probatur minor. Quidquid agunt brutæ animantes, agunt ex inſtinctu: ergo non agunt ex ratione. Patet conſequentia; rationis ſiquidem, & inſtinctus oppo-

Digitized by Google

ſitæ ſunt agendi rationes, ex ſecunda obſervatione. Confirmatur. Quæcumque ex inſtinctu naturali agimus, ſine ratiocinatione vtique agimus, v. g. cùm primis principiis debitè applicatis aſſentimur, ſine ratiocinatione aſſentimur, quia mens evidentiâ objecti rapitur, & determinatè natura aſſenſum format. Item quia naturali impetu in beatitudinem tendimus, nemo noſtrûm circa beatitudinis intentionem deliberat. Denique cùm ad aſpectum ſerpentis, qui nobis nec opinantibus in via occurrit, inhorreſcimus, licèt ratione nihil tum nobis timendum eſſe perſuaſum ſit, horrorem illum excutere ægrè poſſumus. Quid ita? quia horror ille ex inſtinctu naturali, quem ſui conſervandi causâ animali natura impreſſit, oritur, nec noſtræ ſpontis eſt ille motus. Quare hanc æſtimationem ratione corrigere vtcumque nitimur, dolemúſque nos ita affici, patimúrque motum illum inviti: ergo multò minùs brutæ animantes agere ex ratione dicendæ ſunt, quæcumque ex inſtinctu agunt. Probatur itaque antecedens. In brutis animantibus, dum agunt, deprehendere tantùm eſt indicia agentis ex inſtinctu: ergo quæcumque agunt bruta, ex inſtinctu tantùm agunt. Probatur antecedens. Indicia agentis ex inſtinctu quatuor præcipua ſunt, ex obſervatione ſecunda. Primò non ſe, opúſque perficit paulatim. Secundò materiam habet determinatam. Tertiò opus ſuum vno, aut altero tantùm modo agit. 4. præceps agitur in opere, nec tam ſe agit, quàm agitur: brutæ animantes nec ſe, opúſque perficiunt paulatim, determinatam habent materiam, opus ſuum vno, aut altero modo peragunt, & præcipites feruntur: ergo in brutis animantibus, dum agunt, deprehendere tantùm eſt indicia

indicia agentis ex inſtinctu.

Probatur minor inductione. Nam 1. hirundo quælibet nidum eodem modo conſtruit, nec perfectiùs centeſimum nidum perficit, quàm ſecundum. Apes favos ſuos eâdem prorſus, ac ſimili ratione ſtipant, nec extra certam materiam excurrit ipſarum induſtria, ſed vno, aut altero, alverarii nempe, & condiendi mellis, aut nidi conſtruendi opere circumſcribitur. Aranea telam contexit quidem, ſed nihil vltrà agit; & ſtatim ac natæ ſunt ſingulæ, antequam ab aliis diſcere, vel experientiâ doceri potuerint, habilitatem ad certas actiones probant ſuam, quod argumento eſt eas naturali quodam impetu rapi, nec ex cognitione proportionis agere; cùm ne ipſe quidem homo proportionem mediorum cum fine attingat, niſi poſt aliquam experientiam, & inductionem, quibus artes comparantur, ex Ariſtotele initio Metaph. ideóque nullam exercet artem, niſi ab aliis doctus, vel experimentis eruditus. *Omnis quippe doctrina ex praexiſtenti cognitione fit*, ex 1. Poſter. & 6. Ethic. c. 3. Vt ergo infans recens ab ortu non agit ex ratione, & arte, dum appetit vbera, ſuíſque membris motum imprimit, vt quæ profutura ſunt, anquirat; quæ obfutura, fugiat: ita nec illæ beſtiolæ. Elephantus ſaltationem quidem diſcit, ſed vnam, aut alteram tantùm, & quidem eodem modo repetendam ad vocem magiſtri tali modo formatam. Pſittacus voces edere aliquas, ſed paucas admodum edocetur. Nec vllum eſt animal præter hominem, quod artem exprimendi quidlibet per voces artificiales hactenus calluerit. Ratio eſt, quòd homo non moveatur tantùm ab objecto ſenſibili, aut certis naturæ impulſibus; ſed ab innumeris cognitionibus ratiocinando con-

ſectis, ex quibus colligit hunc, vel illum linguæ motum fore vtilem, vel noxium ad multos fines, quos ipſe ſibi præſcribit, præſertim ad commercium; hinc profluxit ars mirabilis in homine exprimendi mutuò per voces artefactas modos omnes concipiendi; quibus rem eamdem attingit, cum in brutis ſint tantùm mœſti, & jucundi indices, vt obſervat Ariſtoteles 1. Politic. c.2. Denique dum canis feram inveſtigat, præceps fertur, provt determinatur ab odore illius, nec cùm init tertiam ſemitam in bivio ſine odoratu, cum deliberatione init, ſed ſtatim atque ipſi per æſtimativam objicitur bonum quærere feram, conſequenter æſtimat bonum eſſe ſemitam hanc odorari, deinde aliam, & demum tertiam ingredi; ita vt tres ejuſmodi æſtimationes ſeſe invicem conſequantur citra vllam reflexionem in primam, & ſecundam, vt ex iis tertiam formet apprehenſionem: at hoc non eſt diſcurrere. Nam ad diſcurſum requiritur illatio vnius ex alio, quæ reflexionem mentis in ipſos actus ſaltem virtualem requirit, vt probatum eſt in Logica. Certè non magis dici debet canis diſcurrere, dum ſic aliam poſt aliam apprehenſionem format, quàm puer, dum plures verſus memoriter recitat, alióſque aliis ſubnectit, provt à ſpeciebus inter ſe ordinatis repræſentantur: at dum puer verſus ita recitat, id vnâ vi phantaſiæ agit, aut ſi agit vnà intellectus, per ſimplices apprehenſiones agit, idque vel ex eo patet, quòd memoria hæreat, ſi quæ aberratio mentis, aut alius caſus ordinem interturbet.

Probatur 2. Si quæ ratio probaret, ejuſmodi brutas animantes ex ratione agere, maximè operum, quæ edunt, admirabilitas: atqui non probat, tum

Digitized by Google

quia ab imperfectioribus animalibus fiunt, quæ ſunt in infimo vitæ gradu, cujuſmodi ſunt apes, & formicæ, & in quibus minùs eſt elaborata, ac perfecta organorum ſuppellex; tum quia in arboribus opera elucent, quæ favis apum, aut hirundinum nidis nihil, aut parum inferiora videntur, nempe ſuccorum è terra attractio, ſuperfluorum ejectio, partium ſpirituoſarum in ſemen ſecretio, fructus denique adeo affabrè, & concinnè efformati, vt ne pictores quidem peritiſſimi imitando exprimere valeant, tum quia quæcumque fiunt ab animantibus, quibus ineſt docilitas, eadem ab amentibus, & morionibus etiam perfectiùs factitari videmus, quibus tamen rationis vſus deeſt. In furorem vi morbi, & rabiem aguntur canes; aguntur, & moriones. Porrò furor non tam eſt rationis, quàm ſenſus communis defectio, quo etiam brutæ animantes valent. Saltare diſcit elephantus; ſaltare diſcit, & morio. Canis, & felis verberibus excepti ab objecto ſibi cibo abſtinent, ad quem, antequam vapulaſſent, toto ferebantur impetu; abſtinet, & morio verberibus exceptus. Ex quibus ſic arguo. Nemo prudens arboribus, fatuis, & morionibus vſum rationis conceſſerit ob ejuſmodi opera: ergo nec brutis animantibus concedere poteſt, niſi naturam ſuam infra belluarum ſortem velit turpiter abjicere.

Denique cur brutæ animantes, ſi valent ratiocinio, non perinde acquirunt artes, eáſque promovent, ac ipſe homo? cur eas, quas edocentur quaſi artes, numquam diſcunt, niſi vi verberum compulſæ, aut voluptate illectæ? nempe ad artes excogitandas opus eſt pluribus experientiis, quæ ſunt vna inductio, deinde pluribus inductionibus,

Digitized by Google

ex quibus ars coaleſcit, ex Ariſtotele 1. Metaphyſ. c. 1. quatenus animus ſe ſupra experientiam multiplicem, & inductionem reflectens, cauſas, cur res ita ſe habeat, inquirit, formátque dictamina practica numquam fallentia, ad quæ ſe ipſum dirigat. Cur plura non inveniunt remedia morbis ſuis ſanandis opportuna, peræquè ac homines, qui alia, atque alia in dies excogitant? hanc rationem vrget Origenes contra Celſum. *Eſto*, inquit, *habeant & aliæ animantes remediorum notitiam, non ſtatim ſequitur, vt eorum inventionem rationi potiùs, quàm innatæ ſagacitati debeant. Nam ſi ea inveniſſent rationis beneficio, non contentæ fuiſſent vno, aut altero, nec alio ſerpentes, aquilæ alio, & ſic de cæteris, ſed tam multa inveniſſent, quàm homines. Nunc quando videmus ſingulis animalibus naturam attribuiſſe certa quadam remedia, ſatis apparet non eſſe id rationis, & ſapientiæ, ſed naturam ingenioſam parentem ſic eorum incolumitati proſpexiſſe.*

Denique ſi datur in brutis vis ratiocinandi, dabitur etiam cognitio boni honeſti; dabitur, & libertas, quæ eſt principium meriti; itáque laudabiliter agere, adeóque mereri laudem poterunt: quæ omnia quàm ſint à vero aliena, nemo non videt.

III. Assert. Agens ex ratione perfectiùs agit, quàm agens ex inſtinctu naturali. Hæc aſſertio eſt contra quoſdam Philoſophos, qui cùm rationem brutis aſſerere ſe poſſe deſperent, modum agendi ex inſtinctu, modo agendi ex ratione anteponere non dubitant. Probatur 1. Agere nobilius eſt, quàm agi; quia agere perfectionis eſt, agi verò imperfectionis: agens ex ratione agit, non agitur: agens ex inſtinctu agitur potiùs, quàm agat. Ille quippe ſe determinat, quia actionis ſuæ

Digitized by Google

dominus; hic determinatur ab inſtinctu quaſi ſervus: ergo perfectius eſt agere ex ratione, quàm ex naturali inſtinctu. 2. Ratio melior eſt quacumque facultate rationis experte: ergo agere ex ratione nobilius, quàm ex irrationali inſtinctu. Denique pugnant SS. Patres ideo hominem Dei imaginem dici, & eſſe, quòd factus ſit à Deo rationis compos, ac ſuæ ſpontis. *Liberum*, inquit Tertullianus, lib. 2. adverſus Marc. c. 5. *& ſui arbitrii, & ſuæ poteſtatis invenio hominem à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem, & ſimilitudinem Dei in illo animadvertens, quàm ejuſmodi ſtatus formam, &c.*

§. 3. *Diluuntur objecta.*

DVo genera objectorum ſolvenda hîc occurrunt. Alia, quæ bruta propter finem agere formaliter perfectè, adeóque ex ratione agere. Alia quæ modum agendi ex inſtinctu nobiliorem modo agendi ex ratione pugnant. Vt ſingulis fiat ſatis, hæc principia ſolutionum accipe.

Primum. Quidquid ex inſtinctu naturali fit, non fit ex ratione. Patet ex modo vtriuſque agendi oppoſito, de quo §. ſecundo, obſervatione ſecundâ.

Secundum. Omnia brutarum animantium opera ritè explicari poſſunt vel per inſtinctum, vel per memoriam, & aſſuetudinem; hinc elephanti flectunt genua, ſimiæ ſaltitant, luduntve latrunculis, quia ad præſentiam objecti, vocémque magiſtri tali modo formatam ſpecies in memoria ſuperſtites excitantur, quarum ductum ſequuntur.

Tertium. Ad ratiocinationem non ſufficit multas cogitationes ordine quodam ſe conſequi, ſecus

Digitized by Google

dum puer memoriter verſus recitat, ratiocinari diceretur, quod falſum. Deinde dum brutum animal cognoſcit per ſenſus externos aliquod objectum; tum per phantaſiam phantaſma procudit, diceretur ratiocinari. 3. infantes, amentes, & moriones vtique diſcurrerent, dum alias, atque alias continua ſerie apprehenſiones formant. Itaque ratiocinari eſt vnum ex alio inferre, ſuóſque adeò actus quaſi recenſere, in ſe redire, ſe ipſum in operationes reflectere. Tolle hanc reflexionem in antegreſſas cogitationes, & in dictum de omni, ac de nullo, ratiocinium tollis, vt oſtendimus in Logica ſubtiliori.

Quartum. Stupenda, quæ à brutis animantibus eduntur opera ex impulſu naturæ, non fiunt ſine authore intelligente, qui eadem tum ad finem operantis proprium, tum ad vniverſi finem, nempe pulchritudinem, & ornatum illius, ſapientiâ ſuâ ordinet, & referat. Probatur, quia apparet in illis ordo quidam planè mirabilis. Nam hirundo, v. g. nidum ex paleis, & luto compingit affabrè, aditum illius vento ſalubriori excipiendo aperit, multa lanugine ſternit, in qua pulli molliùs generentur, & cubent. Deinde ex ſtupenda illa operum varietate vniverſi præſtantia, & dignitas maximè effloreſcit: ergo opus eſt aliquâ mente, & quidem ſagaciſſimâ, multúmque providâ, quæ finem illum geminum intendat; media ad vtrumque aſſequendum accommodata præſcribat.

Quintum. Non alius eſt ejuſmodi author intelligens, quàm ipſe Deus. Ratio eſt, quia vt Deus vnus mundum condidit potentiâ ſuâ, ita ejus ſapientiæ eſt ſingulas illius partes ad finem ſibi vni cognitum diſponere, & ordinare. Et verò vnus habet ideam tanti operis mente informatam; vnus

partium ſingularum conſonantiam, conſpirantémque ordinem novit: ergo pertinet ad illius providentiam, quæ eſt ratio ordinis rerum in fines, ex D. Thoma, 1. p. q. 22. a. 2. creaturas vt inſtrumenta ad finem dirigere.

Objicies 1. Omne agens, quod aſſumit medium vtilius ad finem, relicto minùs vtili, agit propter finem formaliter perfectè: brutæ animantes aſſumunt medium vtilius ad finem, relicto minùs vtili: ergo agunt propter finem formaliter perfectè. Probatur major. Agens, quod aſſumit medium vtilius ad finem, relicto minùs vtili, agit ex cognitione proportionis mediorum cum fine: ergo agit propter finem formaliter perfectè. Probatur minor 1. ex D. Thoma, 1. p. q. 78. a. 4. avis colligit paleam non quia delectet ſenſum, ſed quia vtilis ad nidificandum. 2. Probatur inductione. Palea, & lutum ſunt materia maximè idonea ad conſtruendum nidum; hirundo aſſumit: ſuccus ex floribus expreſſus aptior eſt ad mel conficiendum, quàm aliis ex rebus; apes ex floribus exprimunt, ac delibant: grana germine arroſo non progerminant, & ſoli expoſita non putreſcunt; apes germina granorum arrodunt, ac ſoli identidem exponunt: atqui hoc eſt aſſumere medium vtilius ad finem, relicto minùs vtili: ergo brutæ animantes aſſumunt medium vtilius ad finem, relicto minùs vtili.

Reſp. diſtinguo majorem. Agens quod aſſumit medium vtilius, quà vtilius reduplicativè, & formaliter, concedo majorem: vtilius ſpecificativè, & materialiter, nego majorem. At brutæ animantes aſſumunt medium, quod vtilius quidem eſt, ſed non quà vtilius formaliter, quia relationem medii cum fine, vtpote inſenſibilem vna ratio attingere

poteſt; hinc non agunt ex proportione mediorum cum fine, quà proportio eſt, quia ad dignoſcendam duorum proportionem opus reflexione: at nulla potentia materialis ſe reflectit, quia nulla redit in ſe, vt pote extenſa. Itaque medium, & finem apprehendunt per modum vnius, non appetunt hoc propter hoc, ſed hoc, & hoc; non vnum propter aliud, ſed vnum cum alio, quatenus apprehendunt bonum jucundum, & medium ipſi acquirendo opportunum per modum vnius; aut certè vnum poſt aliud, v.g. hirundo vtilitatem aquæ pro luto faciendo, nec luti opportunitatem ad nidum conſtruendum cogitat; ſed tantùm hoc ſibi bonum eſſe, deinde alterum, & ita deinceps, provt à ſpecie determinatur. Ad authoritatem D. Thomæ: Reſpondeo 1. ſtare à nobis ſanctum Doctorem; docet enim loco jam à me citato ex profeſſo brutas animantes non tendere in finem formaliter perfectè, quare ſi quid alibi quaſi aliud agendo protulerit, mens ejus inde colligi non debet. Deinde vult tantùm, vt patebit legenti contextum, brutas animantes non percipere tantùm id, quod eſt ſenſui delectabile, ſed etiam quod ipſis vtile eſt.

Inſtabis 1. Brutæ animantes non tantùm cognoſcunt finem, ſed etiam medium: at medium eſt fini proportionatum: ergo cognoſcunt medium proportionatum.

Reſpondeo, diſtinguo majorem. Cognoſcunt medium, quà proportionatum eſt formaliter, nego majorem: proportionatum materialiter, & ſpecificativè, concedo majorem, & conceſſa minore diſtinguo conſequens: ergo cognoſcunt medium proportionatum formaliter, nego conſequentiam: pro-

Digitized by Google

portionatum materialiter, & ſpecificativè, concedo conſequentiam. Cognoſcunt itaque medium, ſed medii proportionem non cognoſcunt, nec proinde ex cognitione proportionis agunt.

Inſtabis 2. Medii, quod ad finem ordinatur, proportio ab agente aliquo cognoſci debet: ergo medii proportio à brutis animantibus, quæ ipſum adhibent, cognoſci debet, nego conſequentiam: ſed ſatis eſt ab authore naturæ proportionem cognoſci, cujus eſt finem vniverſi intendere, nec opus eſt ſingulas vniverſi partes, ordinem partium, & conſonantiam noſſe. Architectus noſſe quidem debet apprimè totius ædificii, partiúmque ſingularum proportionem, & conſenſum, non latomi, & operarii, quia illius eſt dirigere, horum dirigi: ille eſt artifex, hi plerumque tantummodo experti.

Inſtabis 3. Brutæ animantes bona aliqua non appetunt, niſi poſt experientiam eorumdem vtilitatis ad finem: nec declinant alia, antequam expertæ ſint ſibi eſſe noxia. Currunt ad aliquod objectum talis coloris, & figuræ, poſtquam ex illius comeſtione ſimilis objecti voluptatem perceperunt, & fugiunt à fovea, in quam ſemel cum dolore ceciderunt: ergo in illis caſibus agunt ex cognitione proportionis mediorum per experientiam, & diſciplinam parta, non ex naturæ inſtinctu.

Reſpondeo, Nego conſequentiam. Habent quidem brutæ animantes à natura, vt rapiantur inſtinctu ſtatim ab ortu ad objecta, quæ concipiunt vt bona, fugiántque ea, quæ concipiunt vt mala, quemadmodum obſervat Cicero, lib. 1. Offic. *Principio*, inquit, *generi animantium omni eſt à natura tributum, vt ſe, vitam, corpúſque tueatur, de-*

clinétque ea, quæ nocitura videantur, omniáque, quæcumque ad vivendum ſint neceſſaria, inquirat, & paret, vt paſtum, vt latibula, & alia ejuſmodi generis, &c. At duplicis generis ſunt accidentia, alia, quæ ſemper, aut ferè ſemper ex natura ſua cum objectis brutorum bonis, vel malis connexa ſunt, v. g. odor cum cibis, aſpectus lupi reſpectu agni: alia vtplurimùm non conjuncta, vt figura, & color panis, nec enim panis, vtpote compoſitum artificiale ſemper extitit in rerum natura, nec vbique eſt, immo potuit non eſſe. Porrò ad prima objecta ante omnem experientiam ſemper inſtinctu naturæ, vel proſequenda, ſi bona ſunt, vel fugienda, ſi mala, bruta ducuntur. Sic odore cibi ſuavi canis ante omnem experientiam determinatur ad cibi proſecutionem; ovis aſpectu lupi ad fugam: ad objecta autem ſecundi generis non feruntur naturæ inſtinctu, niſi poſt experientiam vel jucundam, vel moleſtam. Dedit quippe animantibus natura inſtinctum hunc generalem ad objecta ſecunda, vt proſequerentur ea, quæ ſibi jucunda expertæ fuiſſent; quæ verò moleſta, declinarent: nec aliter natura circa ejuſmodi objecta ipſis, vt pote ratione carentibus, potuit providere.

Inſtabis 4. Ergo ex cognitione objecti prioris ſibi notioris per experientiam movet ſe canis ad ſimile objectum, puta panem: at hoc eſt agere ex ratione, & cognitione proportionis: ergo, &c. Reſpondeo. Nego majorem: nec enim tam ſe movet, quàm movetur à ſpecie in memoria ſuperſtite, quæ à ſpecie conſimilis objecti excitatur, & radiat in appetitum, qui proſequitur objectum, ſi jucundum ſit; fugit autem, ſi moleſtum; hinc quia canis moleſtiam verberum expertus eſt aliàs, dum

cibum invaderet, ideo poſtea abſtinet ab eodem, ex memoria præteritæ moleſtiæ, ſimúlque ad fugam determinatur.

Objicies 2. Omne animal docile eſt rationis particeps: brutæ animantes ſaltem aliquæ ſunt dociles, vt elephas, & ſimia: ergo elephas, & ſimia ſunt rationis participes.

Reſpondeo, diſt. majorem. Omne animal docile ſtrictè, eſt rationis particeps, concedo majorem: docile tantùm latè, nego majorem. At elephas, & ſimia ſunt tantùm dociles latè, non ſtrictè. Docile ſtrictè voco animal, quod vbi ſemel quidpiam didicit à docente, ita nititur revocare in memoriam inquirendo, & conferendo ſpecies inter ſe, vt ex iis, quæ expertum aliàs eſt, aut nunc experitur, aliquid diverſum videatur inferre, & agere, quod ſub experientiam non cecidit, quod eſt proprium naturæ intelligentis, quæ per reminiſcentiam præterita revocat: docile autem latè appello, quod ſpecies hauſtas à ſenſibus aſſervat quidem in memoria, ſed quarum beneficio ſine inquiſitione, collatione, & recurſu in eaſdem præteritorum meminit, quòd excitentur ab aliquo extrinſeco: Brutæ animantes, vt elephas, & ſimia, dociles latè quidem ſunt, at non ſtrictè, ideóque nulli animali præterquàm homini conceſſa eſt reminiſcentia ex Ariſtotele, lib. de memor. & remin. cap. 2. quia reminiſcentia ſyllogiſmus quidam eſt; qui enim reminiſcitur, circa ea, quæ audiit, aut vidit, ratiocinari ſolet, διαφέρει δὲ τὸ μνημονεύειν τοῦ ἀναμιμνήσκεσθαι, οὐ μόνον κατὰ τὸν χρόνον, ἀλλ' ὅτι τοῦ μὲν μνημονεύειν, καὶ τῶν ἄλλων ζώων μετέχει πολλά. τοῦ δ' ἀναμιμνήσκεσθαι, οὐδέν, ὡς εἰπεῖν, τῶν γνωριζομένων ζώων, πλὴν ἄνθρωπος. αἴτιον δ', ὅτι τὸ ἀνα-

μιμνήσκεσθαι· ἔστιν οἷον συλλογισμός τις. ὅτι γὰρ πρότερον εἶδεν, ἢ ἤκουσεν, συλλογίζεται ὁ ἀναμιμνησκόμενος.

Objicies 3. Ratiocinari eſt vnam cognitionem inferre ex alio: brutæ animantes inferunt vnum ex alio: ergo brutæ animantes ratiocinantur. Probatur minor exemplo canis venatici cervum, aut leporem inſequentis. Cur enim in bivio conſtitutus ſemitam odoratus, alteram init, non odorando niſi quia ratiocinando colligit; cervus hanc ſemitam non eſt ſecutus: ergo alteram ſecutus eſt. Deinde cur poſt multam concurſationem in ripa, tandem inſilit in fluvium, etiam hyberno tempore, niſi quia videt trajectum fluminis viam eſſe magis compendioſam, adeóque prædæ capiendæ aptiorem? Cur hippopotamus, dum nimio ſanguine abundat, venam ſibi aperit fragmento junci marini, vt ſanguinem exoneret? Cur vulpes, vt trajiciat fluvium congelatum, propiùs aurem admovet, niſi vt colligat ex ſtrepitu aquæ ſubterfluentis glaciem ſuſtinendo corpori parem, aut imparem eſſe?

Reſpondeo, Nego minorem primi ſyllogiſmi. Ad probationem illius Reſpondeo canem venaticum determinari ab odore feræ, aut ab alio objecto ad hanc, aut illam ſemitam ineundam, vt jam explicui; tranationem verò illam fluminis non apprehendi ab eo ſeorſim, ſed junctam cum præda inſtar vnius objecti jucundi, non jucunditate, quæ ſit in aqua, ſed in præda, à qua determinatur ad trajectum. Hippopotamus apprehendit quoque in ſectione venæ rationem boni delectabilis illi non abſimilem, quam percipiunt, qui ſcabiem ſcalpunt, etiam vſque ad ſanguinem. Vulpes denique,

Digitized by Google

cùm ſit ad venationem à natura facta, ſpecies ab ortu inſitas habet, quibus periculum in his, aut ſimilibus caſibus ipſi repræſentatur, aut fortè, quia rupta alibi glacie dolorem lapſu aliàs experta, à ſimili lapſu poſtmodum ſibi cavet. Denique quidquid objici poteſt de induſtria, vocum varietate, & multiplici ſigno affectuum brutorum, idipſum in infantibus, ſtultis, & morionibus retorqueri poteſt, in quibus ratio ligata eſt.

Inſtabis 1. Canis, qui hæret in bivio ſuſpenſus cui viæ inſiſtat, idem præſtat, ac ſi valeret ratione: ergo reipſa ratione præditus eſt.

Reſpondeo, diſtinguo antecedens, idem præſtat quoad ſubſtantiam actionis, tranſeat antecedens: quoad modum, nego antecedens. Nam ſi ageret ex ratione, vtique ſe determinaret, deinde ageret ex cognitione proportionis, 3. non tam præceps ferretur, vt jam obſervatum à nobis eſt. At determinatur à ſpecie, & odore, quem fera impreſſit, vel ab alio objecto, fertúrque præceps.

Objicies 4. Omnis virtus ſupponit rationem: in brutis animantibus datur virtus: ergo ſupponit in illis rationem. Probatur minor. Canes temperantiam ſervant, quia juſſi ſervare cibos, etiam fame vrgente non edunt: in formicis prudentia quædam eſt, quâ provident ſibi in futurum, grana æſtate in horrea ſua deportando, immo & religio, quæ in curanda mortuorum ſepultura elucet.

Reſpondeo, diſtinguo majorem. Omnis virtus perfecta, & acquiſita ſupponit rationem, concedo majorem: omnis virtus imperfecta, & naturalis, nego majorem. At in brutis nulla eſt virtus perfecta, ſed imperfecta, & quaſi virtus, quæ eſt habilitas quædam à natura inſita, & ſimilitudo virtu-

Digitized by Google

tis, v. g. canis non ſervat cibos ex motivo temperantiæ, ſed ob annexum dolorem, quem ſenſit aliàs cùm cibos injuſſus attigit; prudentia verò naturalis eſt ſagacitas quædam, ſeu inſtinctus in apibus, & formicis, quæ impulſu quodam naturæ ea faciunt, ſaltem quoad ſubſtantiam actionis, quæ vir prudens faceret; hinc Ariſtoteles bruta excludit à beatitudine, lib. 1. Ethic. c. 9. quia nullum eſt particeps virtutis. *εἰκότως οὖν οὔτε βοῦν, οὔτε ἵππον, οὔτε ἄλλο τι τῶν ζώων οὐδὲν εὔδαιμον λέγομεν. Οὐδὲν γὰρ αὐτῶν οἷόν τε κοινωνῆσαι τοιαύτης ἐνεργείας.* & 7. Ethic. cap. 9. ait nec temperantiam, nec intemperantiam brutis ineſſe, niſi metaphoricè. Denique 7. Politic. cap. 13. poſtquam dixit homines bonos fieri naturâ, more, & ratione, ſubdit, *τὰ μὲν οὖν, ἄλλα τῶν ζώων μάλιστα μὲν τῇ φύσει ζῇ. μικρὰ δ' ἔνια καὶ τοῖς ἔθεσι*, cætera igitur animalia maximè vivunt ſecundùm naturam, quædam verò paululum ſecundùm mores.

Objicies 5. Varietas in operando arguit libertatem in agente: brutis animantibus ineſt magna varietas in operando. Nam mox facilè ambulant, mox ægrè ſtimulis aguntur. Canis idem alio latratu feram vicinam ſignificat, alio ſe veſtigia indicat amiſiſſe, alio blanditur hero, alio furem inſequitur: ergo brutis ineſt libertas, ac proinde ratio, quæ eſt poteſtas agendi ex ratione.

Reſpondeo, diſtinguo majorem. Varietas in diverſis circumſtantiis arguit ſemper libertatem in agente, nego majorem: varietas in operando in iiſdem circumſtantiis, concedo majorem. At brutæ animantes in iiſdem circumſtantiis, quæ ſunt evidenter ſimiles, eodem modo videntur operari, neque id tantùm contingit in vno, aut altero bru-

Digitized by Google

to, ſed in omnibus ejuſdem ſpeciei, & temperiei, vnde pronum eſt futuras earum operationes conjicere; humanas autem conjicere difficillimum. Habent quidem agentia inanimata aliquam in agendo varietatem, ſed non tantam, quantam habent bruta, quia illa determinantur tantùm à circumſtantiis immediatè proximis, loco, & tempore; hæc verò etiam à remotis vtroque modo, ſed quæ in ipſorum phantaſia per vicarias imagines exiſtunt, ipſámque movent. Porrò quia imagines illæ ſunt vel ſpecies à natura inſitæ, vel à ſenſibus hauſtæ, ideo operantur ſecundùm id, quod repræſentatur delectabilius, vel moleſtius per ejuſmodi ſpecies. Verùm longè major eſt in homine actionum varietas, vt patet ex varietate ſermonis, pro innumerabili varietate circumſtantiarum, operúmque infinitate, quæ ex arte edit; cur autem, niſi quia ex innumeris, iiſque diverſis cognitionibus ratiocinando partis variè ſe determinat?

Objicies vltimò in vltimam aſſertionem. Nobilius eſt agere ex inſtinctu naturali, quàm ex ratione, & libertate: ergo licèt bruta agant ex inſtinctu, non deſinunt nobiliùs agere, quàm ipſe homo. Probatur antecedens 1. ex parte finis. Perfectius eſt numquam deficere à fine, quàm identidem deficere: agens ex inſtinctu numquam deficit à fine, quantùm eſt ex ſe: agens ex ratione identidem deficit; hinc eſt, quòd homo ſæpius peccet, pluráque pariat monſtra in ordine gratiæ, quàm agens ex inſtinctu in ordine naturæ. 2. à pari. Modus operandi Dei perfectiſſimus eſt, quo operatur ad intra, cognoſcendo ſe, & amando: at modus agendi ex inſtinctu ſimilior eſt divino illi agendi modo, quàm modus agendi ex libertate: ergo, &c.

Reſpondeo 1. argumenta adverſariorum, ſi quid probant, nimis probare, quia probant bruta homini antecellere, quo nihil ineptius. Reſpondeo 2. ad primum, diſt. majorem. Perfectius eſt numquam à fine deficere quàm identidem deficere, ſi ſit eadem nobilitas, ac præſtantia finis agentis vtriuſque, concedo: ſecus nego. At longè præſtantior eſt finis hominis, quàm bruti: ergo licèt homo aberret aliquando à ſuo fine, non ideo ſequitur minùs perfectè agere, cùm liberè tendit in eum, quàm brutum, cùm ex inſtinctu in ſuum finem neceſſariò fertur. Quin etiam poſſe peccare perfectio eſt in homine relativè ad brutum, licèt comparativè ad Deum imperfectio ſit. Ratio eſt, quia privatio eſt carentia formæ in ſubjecto capaci, ac proinde potentia peccandi arguit in homine aptitudinem ad gratiam, & ſanctimoniam. Ad ſecundum Reſpondeo hominem Deum agendo imitari, ſive neceſſariò, ſive liberè operetur. Vt enim Deus vult quædam naturaliter, & neceſſariò, quædam liberè, ita, & homo; vult quippe beatitudinem ſuam naturaliter, & neceſſariò, & quæ media ad beatitudinem non neceſſaria, ſed vtilia tamen ſunt, liberè eligit.

§. 4. *An agentia naturalia cognitionis expertia agant propter finem.*

I. Assert. Agentia naturalia cognitionis expertia agunt propter finem materialiter tantùm. Quòd agant propter finem, probatur 1. ex Ariſtotele, lib. 2. Phyſic. c. 7. & 8. contra Anaxagoram, & Democritum, qui omnia

fortuitò fieri volebant, agente. Quæcumque fiunt ab agentibus naturalibus, non fiunt caſu, & temerè: ergo propter finem. Probatur antecedens. Quæ ſtabili, & conſtanti ratione eveniunt, caſu, & temerè non fiunt: quæcumque fiunt ab agentibus naturalibus, ſtabili, & conſtanti ratione eveniunt: itaque non caſu, & temerè fiunt. 2. Agentia naturalia, etiam ratione deſtituta ordinatè agunt: ergo propter finem; cuilibet enim ordini ſuus finis præſtituitur, vt patet etiam in operibus artis. Probatur antecedens. Natura enim ab imperfectioribus ſenſim ad perfectiora progreditur; nihil ſimul natum, & ſimul perfectum; ſed ſingula levioribus initiis ipſa natura prætexit, paulatímque perficit, & quidem cum ordine, quantum eſt ex ſe. Terra in venas à Deo artifice diſtributa, ſenſim in aurum, aliáque metalla tranſmutatur, & vt ait D. Auguſtinus, ſerm. 29. de verb. Domini. *Qui jam exiſtit pullus, olim ovum fuit, & qua ramos longè latéque diffundit arbor, olim exile ſemen erat, quod ſenſim, vbi radices egit, alimentum è terra viſceribus natura ſua vi exuctum in eam altitudinem, & fructuum vbertatem protruſit.*

Quòd agant tantùm materialiter, probatur. Quidquid tendit in finem ſibi non cognitum, agit tantùm materialiter propter finem: agentia, quæ cognitione carent, tendunt in finem non ſibi, ſed ſoli Deo cognitum, à quo diriguntur: ergo agentia, quæ cognitione carent, agunt tantùm materialiter propter finem. Dixi ſoli Deo cognitum, à quo diriguntur, quia dum agentia naturalia agunt, Deus vt author naturæ ſemper cum illis efficienter concurrit. Sic illuminatio ſolis eſt à ſole ſimul, & Deo, ſed diverſâ ratione. Nam vt à Deo eſt, diri-

Digitized by Google

gitur ab ipſo ad finem eidem cognitum, nempe ad ipſius gloriam; vt autem à ſole exit, non cauſatur propriè à fine, quia cauſalitas ſtricta finis ſupponit cognitionem, quæ nulla eſt in ſole. Vnde finis reſpectu ſolis illuminantis non habet propriè rationem principii, & cauſæ, ſed termini dumtaxat; hinc placitum in Morali. Agentia naturalia tendunt in finem, ſed non intendunt, quia feruntur in finem non ſibi, ſed ſoli Deo cognitum, ſicut ſagitta dirigitur, & collineat in ſcopum vni ſagittario cognitum; hinc & aliud D. Thomæ placitum. Opera naturæ ſunt opera intelligentiæ, quia Deus eadem dirigit, & deſtinat ad finem ſibi cognitum, concurrendo cum agentibus naturalibus.

II. Assert. Agentia naturalia aliter dicuntur tendere in finem, quàm ſagitta in ſcopum emiſſa. Probatur, quia per vires, & facultates proprias ſibi à Deo, vt authore naturæ juxta exigentiam inditas tendunt, ſic ignis ſurſum tendit per levitatem, terra deorſum per ingenitam ſibi gravitatem; ſagitta verò in ſcopum fertur per impetum ſibi à ſagittario præter exigentiam impreſſum, adeóque alienum.

Objicies 1. Vt agentia naturalia virtutem acceperunt à Deo, ita ſagitta à ſagittario: ergo perinde ſagitta agit propter finem.

Reſp. diſt. anteced. Acceperunt à Deo, vt ab authore naturæ, & ex naturali exigentiâ, concedo: præter exigentiam naturæ, ſicut ſagitta, nego. Nam ſagitta illam virtutem non exigit: agens autem naturale exigit vt connaturale inſtrumentum. Itaque illa non agit ex principiis propriè intrinſecis, hoc verò agit.

Objicies 2. Si agentia naturalia agunt Deo diri-

gente, & intendente finem, numquam errare debent, quia Dei intentio falli non poteſt: atqui ſæpe errant, & producunt monſtra, quæ ſunt naturæ peccata.

Reſp. diſt. Intentio Dei numquam fallitur, ſi ſit primaria, concedo: ſi ſecundaria, nego. Nam dum errant cauſæ ſecundæ, pariúntque monſtrum, monſtrum illud eſt tantùm à Deo ſe viribus naturæ accommodante, quæ aliquando vel ab agentibus contrariis, vel defectu naturæ præpediuntur, quominus perfectum finem in operando aſſequantur. At primaria Dei intentio non fallitur, quia intendit perfectionem vniverſi, quæ perinde ex monſtris effloreſcit, atque ex vmbris, ac receſſibus in picturis, id quod illuminatum eſt, extat magis, & eminet. Quare Reſp. 1. Exemplo monſtrorum aſſertionem firmari magis quàm infringi. Sic enim argumentor. Monſtrum eſt peccatum naturæ aberrantis à fine ſibi propoſito: ergo natura habet finem, à quo identidem deficit, dum monſtra parit. Non enim aberratur, niſi à fine propoſito. Sicut in artefactis peccata quædam ſunt, quæ deficiunt à regulis ipſius artis, & à fine, quem ſibi artifex in agendo proponit. Denique propriè nec prima, nec ſecunda Dei intentio fallitur; non prima, quia habet pro fine perfectionem vniverſi: non ſecunda, quia Deus hîc, & nunc concurrens cum tali cauſa taliter diſpoſita non debet alium effectum producere, hæc quippe intentio accommodat ſe non modò cauſis ſecundis, quæ agunt, ſed iis etiam rebus, quæ vim, & efficientiam cauſarum ſecundarum impediunt, ac perturbant.

Digitized by Google

Articvlvs III.

An detur actionum finis vltimus.

Tria hîc examino. Primum. An detur finis ſimpliciter vltimus. Secundum. Quis ille ſit, & an terminet appetitionem omnium agentium. Tertium. An aliquis poſſit habere plures fines totales ſimpliciter vltimos.

§. 1. *An detur finis vltimus.*

I. Observatio. Finis vltimus, alius eſt qui, éſtque forma boni: alius, cui, éſtque ſubjectum formæ, ſeu bonitatis: alius quo, nempe actio, quâ acquiritur ipſa bonitas.

II. Observ. Finis vltimus alius eſt ſimpliciter, quo vlterior nullus dari poteſt: alius ſecundùm quid, cùm in aliqua actionum, & mediorum ſerie datur aliquid, quod ita terminat actionem agentis, vt in ea mediorum ſerie vlteriùs non tendatur. Sic ſanitas eſt finis vltimus medici ſecundùm quid, in ſerie mediorum, quæ ad illam procurandam medicus adhibet, quia ſanitate obtentâ intentio medici conquieſcit.

I. Assert. Datur finis ſimpliciter vltimus actionum omnium.

Probatur 1. Si nullus daretur finis ſimpliciter vltimus, nullus eſſet omnino finis: ſed actionis cujuſlibet eſt finis aliquis: ergo datur finis ſimpliciter vltimus. Prob. maj. Sublato fine ſimpliciter vltimo, tollitur omnis alius finis: ergo ſi nullus datur finis ſimpliciter vltimus, nullus eſt omnino finis.

Prob. ant. Sublato eo, quod propter ſe expetitur, tolluntur omnia, quæ propter ipſum expetun-

Digitized by Google

tur : ſed finis ſimpliciter vltimus propter ſe expetitur, cætera propter ipſum: ergo ſublato fine ſimpliciter vltimo tolluntur omnes alii fines mediati, qui ſunt, & expetuntur propter ipſum; nam ſublato fine tollitur medium.

Probatur 2. poſitis tribus principiis. Primum ſit. Fines inter ſe ſubordinari, nectíque duplici ratione poſſunt, per eſſentiam, & per accidens. Fines eſſentialiter ſubordinati dicuntur illi eſſe, quorum vnus movet appetitum propter appetitionem alterius; ita prorſus, vt voluntatem non impelleret, niſi alter appeteretur, v. g. expetit ægrotus medicam potionem ad expurgandos corrigendóſque humores noxios; humorum expurgationem expetit ad valetudinem corporis reparandam; valetudinem demum vult, quòd in ea partem felicitatis aliquam conſtitutam putet.

Tres hi fines ſic nexi ſunt inter ſe, & ſubordinati, vt niſi moveret amor beatitudinis, non moveret amor ſanitatis; nec æger potionem vellet ſumere, niſi amor ſanitatis impelleret; ideóque hæc ſubordinatio dicitur eſſentialis. Fines ſubordinati, connexíque per accidens illi ſunt, quorum vnus afficit quidem, movétque voluntatem poſt alterum, ſed non ideo movet, quòd alter à voluntate expetatur; ideóque amor vnius finis non eſt ratio volendi alterius. Vt cùm quis appetit divitias, honores, voluptates; amor quippe voluptatis non eſt cauſa appetendi honoris.

Secundum. In finibus accidentaliter ſubordinatis poteſt dari proceſſus in infinitum. Probatur. In iis non eſt aliquid vltimum proviſis ſingulis, quod primam appetitionem moveat, quia vnus ab altero non pendet; vnus ab altero non pendet, quia vnus

clinétque ea, quæ nocitura videantur, omniáque, quæcumque ad vivendum ſint neceſſaria, inquirat, & paret, vt paſtum, vt latibula, & alia ejuſmodi generis, &c. At duplicis generis ſunt accidentia, alia, quæ ſemper, aut ferè ſemper ex natura ſua cum objectis brutorum bonis, vel malis connexa ſunt, v. g. odor cum cibis, aſpectus lupi reſpectu agni: alia vtplurimùm non conjuncta, vt figura, & color panis, nec enim panis, vtpote compoſitum artificiale ſemper extitit in rerum natura, nec vbique eſt, immo potuit non eſſe. Porrò ad prima objecta ante omnem experientiam ſemper inſtinctu naturæ, vel proſequenda, ſi bona ſunt, vel fugienda, ſi mala, bruta ducuntur. Sic odore cibi ſuavi canis ante omnem experientiam determinatur ad cibi proſecutionem; ovis aſpectu lupi ad fugam: ad objecta autem ſecundi generis non feruntur naturæ inſtinctu, niſi poſt experientiam vel jucundam, vel moleſtam. Dedit quippe animantibus natura inſtinctum hunc generalem ad objecta ſecunda, vt proſequerentur ea, quæ ſibi jucunda expertæ fuiſſent; quæ verò moleſta, declinarent: nec aliter natura circa ejuſmodi objecta ipſis, vt pote ratione carentibus, potuit providere.

Inſtabis 4. Ergo ex cognitione objecti prioris ſibi notioris per experientiam movet ſe canis ad ſimile objectum, puta panem: at hoc eſt agere ex ratione, & cognitione proportionis: ergo, &c. Reſpondeo. Nego majorem: nec enim tam ſe movet, quàm movetur à ſpecie in memoria ſuperſtite, quæ à ſpecie conſimilis objecti excitatur, & radiat in appetitum, qui proſequitur objectum, ſi jucundum ſit; fugit autem, ſi moleſtum; hinc quia canis moleſtiam verberum expertus eſt aliàs, dum

cibum invaderet, ideo poſtea abſtinet ab eodem, ex memoria præteritæ moleſtiæ, ſimúlque ad fugam determinatur.

Objicies 2. Omne animal docile eſt rationis particeps: brutæ animantes ſaltem aliquæ ſunt dociles, vt elephas, & ſimia: ergo elephas, & ſimia ſunt rationis participes.

Reſpondeo, diſt. majorem. Omne animal docile ſtrictè, eſt rationis particeps, concedo majorem: docile tantùm latè, nego majorem. At elephas, & ſimia ſunt tantùm dociles latè, non ſtrictè. Docile ſtrictè voco animal, quod vbi ſemel quidpiam didicit à docente, ita nititur revocare in memoriam inquirendo, & conferendo ſpecies inter ſe, vt ex iis, quæ expertum aliàs eſt, aut nunc experitur, aliquid diverſum videatur inferre, & agere, quod ſub experientiam non cecidit, quod eſt proprium naturæ intelligentis, quæ per reminiſcentiam præterita revocat: docile autem latè appello, quod ſpecies hauſtas à ſenſibus aſſervat quidem in memoria, ſed quarum beneficio ſine inquiſitione, collatione, & recurſu in eaſdem præteritorum meminit, quòd excitentur ab aliquo extrinſeco: Brutæ animantes, vt elephas, & ſimia, dociles latè quidem ſunt, at non ſtrictè, ideóque nulli animali præterquàm homini conceſſa eſt reminiſcentia ex Ariſtotele, lib. de memor. & remin. cap. 2. quia reminiſcentia ſyllogiſmus quidam eſt; qui enim reminiſcitur, circa ea, quæ audiit, aut vidit, ratiocinari ſolet, *διαφέρει δὲ τὸ μνημονεύειν τοῦ ἀναμιμνήσκεσθαι, οὐ μόνον κατὰ τὸν χρόνον, ἀλλ' ὅτι τοῦ μὲν μνημονεύειν, καὶ τῶν ἄλλων ζώων μετέχει πολλά. τοῦ δ' ἀναμιμνήσκεσθαι, οὐδὲν, ὡς εἰπεῖν, τῶν γνωριζομένων ζώων, πλὴν ἄνθρωπος. αἴτιον δ', ὅτι τὸ ἀνα-*

μιμνήσκεσθαί ἐστιν οἷον συλλογισμός τις. ὅτι γὰρ πρότερον εἶδεν, ἢ ἤκουσεν, συλλογίζεται ὁ ἀναμιμνησκόμενος.

Objicies 3. Ratiocinari eſt vnam cognitionem inferre ex alio: brutæ animantes inferunt vnum ex alio: ergo brutæ animantes ratiocinantur. Probatur minor exemplo canis venatici cervum, aut leporem inſequentis. Cur enim in bivio conſtitutus ſemitam odoratus, alteram init, non odorando niſi quia ratiocinando colligit; cervus hanc ſemitam non eſt ſecutus: ergo alteram ſecutus eſt. Deinde cur poſt multam concurſationem in ripa, tandem inſilit in fluvium, etiam hyberno tempore, niſi quia videt trajectum fluminis viam eſſe magis compendioſam, adeóque prædæ capiendæ aptiorem? Cur hippopotamus, dum nimio ſanguine abundat, venam ſibi aperit fragmento junci marini, vt ſanguinem exoneret? Cur vulpes, vt trajiciat fluvium congelatum, propiùs aurem admovet, niſi vt colligat ex ſtrepitu aquæ ſubterfluentis glaciem ſuſtinendo corpori parem, aut imparem eſſe?

Reſpondeo, Nego minorem primi ſyllogiſmi. Ad probationem illius Reſpondeo canem venaticum determinari ab odore feræ, aut ab alio objecto ad hanc, aut illam ſemitam ineundam, vt jam explicui; tranationem verò illam fluminis non apprehendi ab eo ſeorſim, ſed junctam cum præda inſtar vnius objecti jucundi, non jucunditate, quæ ſit in aqua, ſed in præda, à qua determinatur ad trajectum. Hippopotamus apprehendit quoque in ſectione venæ rationem boni delectabilis illi non abſimilem, quam percipiunt, qui ſcabiem ſcalpunt, etiam vſque ad ſanguinem. Vulpes denique,

Digitized by Google

cùm ſit ad venationem à natura facta, ſpecies ab ortu inſitas habet, quibus periculum in his, aut ſimilibus caſibus ipſi repræſentatur, aut fortè, quia rupta alibi glacie dolorem lapſu aliàs experta, à ſimili lapſu poſtmodum ſibi cavet. Denique quidquid objici poteſt de induſtria, vocum varietate, & multiplici ſigno affectuum brutorum, idipſum in infantibus, ſtultis, & morionibus retorqueri poteſt, in quibus ratio ligata eſt.

Inſtabis 1. Canis, qui hæret in bivio ſuſpenſus cui viæ inſiſtat, idem præſtat, ac ſi valeret ratione: ergo reipſa ratione præditus eſt.

Reſpondeo, diſtinguo antecedens, idem præſtat quoad ſubſtantiam actionis, tranſeat antecedens: quoad modum, nego antecedens. Nam ſi ageret ex ratione, vtique ſe determinaret, deinde ageret ex cognitione proportionis, 3. non tam præceps ferretur, vt jam obſervatum à nobis eſt. At determinatur à ſpecie, & odore, quem fera impreſſit, vel ab alio objecto, fertúrque præceps.

Objicies 4. Omnis virtus ſupponit rationem: in brutis animantibus datur virtus: ergo ſupponit in illis rationem. Probatur minor. Canes temperantiam ſervant, quia juſſi ſervare cibos, etiam fame vrgente non edunt: in formicis prudentia quædam eſt, quâ provident ſibi in futurum, grana æſtate in horrea ſua deportando, immo & religio, quæ in curanda mortuorum ſepultura elucet.

Reſpondeo, diſtinguo majorem. Omnis virtus perfecta, & acquiſita ſupponit rationem, concedo majorem: omnis virtus imperfecta, & naturalis, nego majorem. At in brutis nulla eſt virtus perfecta, ſed imperfecta, & quaſi virtus, quæ eſt habilitas quædam à natura inſita, & ſimilitudo virtu-

Digitized by Google

tis, v. g. canis non ſervat cibos ex motivo temperantiæ, ſed ob annexum dolorem, quem ſenſit aliàs cùm cibos injuſſus attigit; prudentia verò naturalis eſt ſagacitas quædam, ſeu inſtinctus in apibus, & formicis, quæ impulſu quodam naturæ ea faciunt, ſaltem quoad ſubſtantiam actionis, quæ vir prudens faceret; hinc Ariſtoteles bruta excludit à beatitudine, lib. 1. Ethic. c. 9. quia nullum eſt particeps virtutis. *εἰκότως οὖν οὔτε βοῦν, οὔτε ἵππον, οὔτε ἄλλο τι τῶν ζώων οὐδὲν εὐδαίμονα λέγομεν. Οὐδὲν γὰρ αὐτῶν οἷόν τε κοινωνῆσαι τοιαύτης ἐνεργείας.* & 7. Ethic. cap. 9. ait nec temperantiam, nec intemperantiam brutis ineſſe, niſi metaphoricè. Denique 7. Politic. cap. 13. poſtquam dixit homines bonos fieri naturâ, more, & ratione, ſubdit, *τὰ μὲν οὖν, ἄλλα τῶν ζώων μάλιστα μὲν τῇ φύσει ζῇ. μικρὰ δ' ἔνια καὶ τοῖς ἔθεσι*, cætera igitur animalia maximè vivunt ſecundùm naturam, quædam verò paululum ſecundùm mores.

Objicies 5. Varietas in operando arguit libertatem in agente: brutis animantibus ineſt magna varietas in operando. Nam mox facilè ambulant, mox ægrè ſtimulis aguntur. Canis idem alio latratu feram vicinam ſignificat, alio ſe veſtigia indicat amiſiſſe, alio blanditur hero, alio furem inſequitur: ergo brutis ineſt libertas, ac proinde ratio, quæ eſt poteſtas agendi ex ratione.

Reſpondeo, diſtinguo majorem. Varietas in diverſis circumſtantiis arguit ſemper libertatem in agente, nego majorem: varietas in operando in iiſdem circumſtantiis, concedo majorem. At brutæ animantes in iiſdem circumſtantiis, quæ ſunt evidenter ſimiles, eodem modo videntur operari, neque id tantùm contingit in vno, aut altero bru-

Digitized by Google

to, ſed in omnibus ejuſdem ſpeciei, & temperici, vnde pronum eſt futuras earum operationes conjicere; humanas autem conjicere difficillimum. Habent quidem agentia inanimata aliquam in agendo varietatem, ſed non tantam, quantam habent bruta, quia illa determinantur tantùm à circumſtantiis immediatè proximis, loco, & tempore; hæc verò etiam à remotis vtroque modo, ſed quæ in ipſorum phantaſia per vicarias imagines exiſtunt, ipſámque movent. Porrò quia imagines illæ ſunt vel ſpecies à natura inſitæ, vel à ſenſibus hauſtæ, ideo operantur ſecundùm id, quod repræſentatur delectabilius, vel moleſtius per ejuſmodi ſpecies. Verùm longè major eſt in homine actionum varietas, vt patet ex varietate ſermonis, pro innumerabili varietate circumſtantiarum, operúmque infinitate, quæ ex arte edit; cur autem, niſi quia ex innumeris, iíſque diverſis cognitionibus ratiocinando partis variè ſe determinat?

Objicies vltimò in vltimam aſſertionem. Nobilius eſt agere ex inſtinctu naturali, quàm ex ratione, & libertate: ergo licèt bruta agant ex inſtinctu, non deſinunt nobiliùs agere, quàm ipſe homo. Probatur antecedens 1. ex parte finis. Perfectius eſt numquam deficere à fine, quàm identidem deficere: agens ex inſtinctu numquam deficit à fine, quantùm eſt ex ſe: agens ex ratione identidem deficit; hinc eſt, quòd homo ſæpius peccet, pluráque pariat monſtra in ordine gratiæ, quàm agens ex inſtinctu in ordine naturæ. 2. à pari. Modus operandi Dei perfectiſſimus eſt, quo operatur ad intra, coguoſcendo ſe, & amando: at modus agendi ex inſtinctu ſimilior eſt divino illi agendi modo, quàm modus agendi ex libertate: ergo, &c.

Digitized by Google

Reſpondeo 1. argumenta adverſariorum, ſi quid probant, nimis probare, quia probant bruta homini antecellere, quo nihil ineptius. Reſpondeo 2. ad primum, diſt. majorem. Perfectius eſt numquam à fine deficere quàm identidem deficere, ſi ſit eadem nobilitas, ac præſtantia finis agentis vtriuſque, concedo: ſecus nego. At longè præſtantior eſt finis hominis, quàm bruti: ergo licèt homo aberret aliquando à ſuo fine, non ideo ſequitur minùs perfectè agere, cùm liberè tendit in eum, quàm brutum, cùm ex inſtinctu in ſuum finem neceſſariò fertur. Quin etiam poſſe peccare perfectio eſt in homine relativè ad brutum, licèt comparativè ad Deum imperfectio ſit. Ratio eſt, quia privatio eſt carentia formæ in ſubjecto capaci, ac proinde potentia peccandi arguit in homine aptitudinem ad gratiam, & ſanctimoniam. Ad ſecundum Reſpondeo hominem Deum agendo imitari, ſive neceſſariò, ſive liberè operetur. Vt enim Deus vult quædam naturaliter, & neceſſariò, quædam liberè, ita, & homo; vult quippe beatitudinem ſuam naturaliter, & neceſſariò, & quæ media ad beatitudinem non neceſſaria, ſed vtilia tamen ſunt, liberè eligit.

§. 4. *An agentia naturalia cognitionis expertia agant propter finem.*

I. Assert. AGENTIA naturalia cognitionis expertia agunt propter finem materialiter tantùm. Quòd agant propter finem, probatur 1. ex Ariſtotele, lib. 2. Phyſic. c. 7. & 8. contra Anaxagoram, & Democritum, qui omnia

fortuitò fieri volebant, agente. Quæcumque fiunt ab agentibus naturalibus, non fiunt caſu, & temerè: ergo propter finem. Probatur antecedens. Quæ ſtabili, & conſtanti ratione eveniunt, caſu, & temerè non fiunt: quæcumque fiunt ab agentibus naturalibus, ſtabili, & conſtanti ratione eveniunt: itaque non caſu, & temerè fiunt. 2. Agentia naturalia, etiam ratione deſtituta ordinatè agunt: ergo propter finem; cuilibet enim ordini ſuus finis præſtituitur, vt patet etiam in operibus artis. Probatur antecedens. Natura enim ab imperfectioribus ſenſim ad perfectiora progreditur; nihil ſimul natum, & ſimul perfectum; ſed ſingula levioribus initiis ipſa natura prætexit, paulatímque perficit, & quidem cum ordine, quantum eſt ex ſe. Terra in venas à Deo artifice diſtributa, ſenſim in aurum, aliáque metalla tranſmutatur, & vt ait D. Auguſtinus, ſerm. 29. de verb. Domini. *Qui jam exiſtit pullus, olim ovum fuit, & quæ ramos longè latéque diffundit arbor, olim exile ſemen erat, quod ſenſim, vbi radices egit, alimentum è terræ viſceribus naturæ ſuæ vi exuctum in eam altitudinem, & fructuum vbertatem protruſit.*

Quòd agant tantùm materialiter, probatur. Quidquid tendit in finem ſibi non cognitum, agit tantùm materialiter propter finem: agentia, quæ cognitione carent, tendunt in finem non ſibi, ſed ſoli Deo cognitum, à quo diriguntur: ergo agentia, quæ cognitione carent, agunt tantùm materialiter propter finem. Dixi ſoli Deo cognitum, à quo diriguntur; quia dum agentia naturalia agunt, Deus vt author naturæ ſemper cum illis efficienter concurrit. Sic illuminatio ſolis eſt à ſole ſimul, & Deo, ſed diverſâ ratione. Nam vt à Deo eſt, diri-

Digitized by Google

gitur ab ipſo ad finem eidem cognitum, nempe ad ipſius gloriam; vt autem à ſole exit, non cauſatur propriè à fine, quia cauſalitas ſtricta finis ſupponit cognitionem, quæ nulla eſt in ſole. Vnde finis reſpectu ſolis illuminantis non habet propriè rationem principii, & cauſæ, ſed termini dumtaxat; hinc placitum in Morali. Agentia naturalia tendunt in finem, ſed non intendunt, quia feruntur in finem non ſibi, ſed ſoli Deo cognitum, ſicut ſagitta dirigitur, & collineat in ſcopum vni ſagittario cognitum; hinc & aliud D. Thomæ placitum. Opera naturæ ſunt opera intelligentiæ, quia Deus eadem dirigit, & deſtinat ad finem ſibi cognitum, concurrendo cum agentibus naturalibus.

II. Assert. Agentia naturalia aliter dicuntur tendere in finem, quàm ſagitta in ſcopum emiſſa. Probatur, quia per vires, & facultates proprias ſibi à Deo, vt authore naturæ juxta exigentiam inditas tendunt, ſic ignis ſurſum tendit per levitatem, terra deorſum per ingenitam ſibi gravitatem; ſagitta verò in ſcopum fertur per impetum ſibi à ſagittario præter exigentiam impreſſum, adeóque alienum.

Objicies 1. Vt agentia naturalia virtutem acceperunt à Deo, ita ſagitta à ſagittario: ergo perinde ſagitta agit propter finem.

Reſp. diſt. anteced. Acceperunt à Deo, vt ab authore naturæ, & ex naturali exigentiâ, concedo: præter exigentiam naturæ, ſicut ſagitta, nego. Nam ſagitta illam virtutem non exigit: agens autem naturale exigit vt connaturale inſtrumentum. Itaque illa non agit ex principiis propriè intrinſecis, hoc verò agit.

Objicies 2. Si agentia naturalia agunt Deo diri-

gente, & intendente finem, numquam errare debent, quia Dei intentio falli non poteſt: atqui ſæpe errant, & producunt monſtra, quæ ſunt naturæ peccata.

Reſp. diſt. Intentio Dei numquam fallitur, ſi ſit primaria, concedo: ſi ſecundaria, nego. Nam dum errant cauſæ ſecundæ, pariúntque monſtrum, monſtrum illud eſt tantùm à Deo ſe viribus naturæ accommodante, quæ aliquando vel ab agentibus contrariis, vel defectu naturæ præpediuntur, quominus perfectum finem in operando aſſequantur. At primaria Dei intentio non fallitur, quia intendit perfectionem vniverſi, quæ perinde ex monſtris effloreſcit, atque ex vmbris, ac receſſibus in picturis, id quod illuminatum eſt, extat magis, & eminet. Quare Reſp. 2. Exemplo monſtrorum aſſertionem firmari magis quàm infringi. Sic enim argumentor. Monſtrum eſt peccatum naturæ aberrantis à fine ſibi propoſito: ergo natura habet finem, à quo identidem deficit, dum monſtra parit. Non enim aberratur, niſi à fine propoſito. Sicut in artefactis peccata quædam ſunt, quæ deficiunt à regulis ipſius artis, & à fine, quem ſibi artifex in agendo proponit. Denique propriè nec prima, nec ſecunda Dei intentio fallitur; non prima, quia habet pro fine perfectionem vniverſi: non ſecunda, quia Deus hìc, & nunc concurrens cum tali cauſa taliter diſpoſita non debet alium effectum producere, hæc quippe intentio accommodat ſe non modò cauſis ſecundis, quæ agunt, ſed iis etiam rebus, quæ vim, & efficientiam cauſarum ſecundarum impediunt, ac perturbant.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

An detur actionum finis vltimus.

TRIA hîc examino. Primum. An detur finis ſimpliciter vltimus. Secundum. Quis ille ſit, & an terminet appetitionem omnium agentium. Tertium. An aliquis poſſit habere plures fines totales ſimpliciter vltimos.

§. I. *An detur finis vltimus.*

I. OBSERVATIO. FINIS vltimus, alius eſt qui, éſtque forma boni: alius, cui, éſtque ſubjectum formæ, ſeu bonitatis: alius quo, nempe actio, quâ acquiritur ipſa bonitas.

II. OBSERV. Finis vltimus alius eſt ſimpliciter, quo vlterior nullus dari poteſt: alius ſecundùm quid, cùm in aliqua actionum, & mediorum ſerie datur aliquid, quod ita terminat actionem agentis, vt in ea mediorum ſerie vlteriùs non tendatur. Sic ſanitas eſt finis vltimus medici ſecundùm quid, in ſerie mediorum, quæ ad illam procurandam medicus adhibet, quia ſanitate obtentâ intentio medici conquieſcit.

I. ASSERT. Datur finis ſimpliciter vltimus actionum omnium.

Probatur 1. Si nullus daretur finis ſimpliciter vltimus, nullus eſſet omnino finis: ſed actionis cujuſlibet eſt finis aliquis: ergo datur finis ſimpliciter vltimus. Prob. maj. Sublato fine ſimpliciter vltimo, tollitur omnis alius finis: ergo ſi nullus datur finis ſimpliciter vltimus, nullus eſt omnino finis.

Prob. ant. Sublato eo, quod propter ſe expetitur, tolluntur omnia, quæ propter ipſum expetun-

tur : ſed finis ſimpliciter vltimus propter ſe expetitur, cætera propter ipſum: ergo ſublato fine ſimpliciter vltimo tolluntur omnes alii fines mediati, qui ſunt, & expetuntur propter ipſum; nam ſublato fine tollitur medium.

Probatur 2. poſitis tribus principiis. Primum ſit. Fines inter ſe ſubordinari, nectíque duplici ratione poſſunt, per eſſentiam, & per accidens. Fines eſſentialiter ſubordinati dicuntur illi eſſe, quorum vnus movet appetitum propter appetitionem alterius; ita prorſus, vt voluntatem non impelleret, niſi alter appeteretur, v. g. expetit ægrotus medicam potionem ad expurgandos corrigendóſque humores noxios; humorum expurgationem expetit ad valetudinem corporis reparandam; valetudinem demum vult, quòd in ea partem felicitatis aliquam conſtitutam putet.

Tres hi fines ſic nexi ſunt inter ſe, & ſubordinati, vt niſi moveret amor beatitudinis, non moveret amor ſanitatis; nec æger potionem vellet ſumere, niſi amor ſanitatis impelleret; ideóque hæc ſubordinatio dicitur eſſentialis. Fines ſubordinati, connexíque per accidens illi ſunt, quorum vnus afficit quidem, movétque voluntatem poſt alterum, ſed non ideo movet, quòd alter à voluntate expetatur; ideóque amor vnius finis non eſt ratio volendi alterius. Vt cùm quis appetit divitias, honores, voluptates; amor quippe voluptatis non eſt cauſa appetendi honoris.

Secundum. In finibus accidentaliter ſubordinatis poteſt dari proceſſus in infinitum. Probatur. In iis non eſt aliquid vltimum proviſis ſingulis, quod primam appetitionem moveat, quia vnus ab altero non pendet; vnus ab altero non pendet, quia vnus

alteri accidit tantùm per accidens, ideóque fines ſubordinati per accidens ejuſdem ſpeciei eſſe ſolent, vt plures voluptates, plures divitiæ, &c. contrà verò fines eſſentialiter ſubordinati ſunt ſpeciei, & generis omnino diſtincti, qualis eſt potio, humorum expurgatio, valetudo, &c.

Tertium. In finibus eſſentialiter ſubordinatis non poteſt dari proceſſus in infinitum. Probatur. Fines per ſe ſubordinati ita à ſe mutuò pendent, vt ſubordinati agere non poſſint, niſi virtus cauſandi derivetur actu à ſubordinante in ſubordinatos. Nam ſubordinati ſunt fines medij, itáque vera media: at media non cauſant actu, niſi finis actu cum illis cauſet, movendo voluntatem: vbi autem eſt proceſſus in infinitum, virtus à prioribus cauſis ad poſteriores, & ſubordinatas derivari, & transfundi non poteſt, alioqui exhauriretur infinitum. Deinde vbi nihil datur vltimum, non datur primum movens actionis, quia ſemper datur aliud, & aliud, quod indeterminatum eſt; indeterminatum autem eſt, quia quidquid determinatur, determinatur ab vltimo, vt patet in numeris, qui non determinantur, niſi ab vltima vnitate: at primum movens actionis debet eſſe determinatum, quia agens non movetur, niſi à cauſa determinata. Porrò dato proceſſu in infinitum in finibus eſſentialiter ſubordinatis nihil eſt vltimum, quia præter quodlibet expetendum eſt ſemper aliud, & aliud expetibile; hinc vanus erit, & inanis appetitus, vt ait Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 2. vanus autem erit, quia numquam poterit expleri; numquam poterit expleri, quia ad vltimum pervenire non poterit; ad vltimum pervenire non poterit, quia nullum planè erit admiſſo proceſſu in infinitum: at appetitus, præ-

ſertim ſi naturalis ſit, vanus eſſe non debet, & licèt in aliquo individuo deficere poſſit, in omnibus tamen deficere non poteſt, vt rectè obſervat Gualterus Burleus; ſecus natura ſe ipſam deſtrueret.

Confirmatur 1. In executione mediorum non poteſt dari progreſſus in infinitum à parte anteriore; aliàs numquam executio inciperet: nam ſi verum eſſet, quòd neque ab hoc medio, neque ab illo executio inchoari deberet, certè numquam executio incipere poſſet: ergo nec in intentione finis progreſſus in infinitum admitti debet. Probatur conſequentia. Vt ſe habet primum medium ad ſequentia in ordine executionis, ſic ſe habet finis vltimus ad fines ſubordinatos in ordine intentionis. Licèt enim in ordine executionis finis ille ſit quid vltimum; in ordine tamen intentionis eſt quid primum.

Confirmatur 2. Fines ſubordinati non poſſunt cauſare, niſi cognoſcantur; cauſant enim per amorem ſui: at nec ſimul, nec ſucceſſivè cognoſci poſſunt à nobis fines infiniti, infinitum enim cognoſci non poteſt: ergo nec cauſare poſſunt fines infiniti inter ſe ſubordinati ex natura ſua.

Confirmatur 3. Sumo enim totam mediorum, & finium collectionem, & ſic argumentor. Tota illa collectio vel appetitur propter aliud, vel propter ſe. Primum dici non poteſt, quia nihil ſupereſt, propter quod expetatur: ergo debet propter ſe expeti: ergo datur finis vltimus, nempe illa collectio, quæ propter ſe expetitur.

Probatur 3. Datur prima cauſa, & primum principium rerum omnium: ergo & finis ſimpliciter vltimus, qui perfectiſſimus, & vniverſaliſſimus ſit,

Digitized by Google

Antecedens probabitur in Phyſica, probatur conſeq. Vt enim in ordine efficientium ſumma eſt perfectio, quòd vnum agens perfectiſſimum ſit, & vniverſaliſſimum: ita in ordine finium ſumma eſt perfectio, quòd ſit finis vnus ſimpliciter vltimus, perfectiſſimúſque, qui proinde ſit quaſi centrum omnium appetitionum, & primum movens in eſſe intentionali, ſicut primum principium efficiens, eſt primum movens in eſſe reali. Denique ſublato fine vltimo tollitur ſupremum hominis bonum, quod eſt Deus, quia finis ſimpliciter vltimus, & ſupremum bonum idem ſunt.

II. Assert. Datur etiam finis vltimus ſecundùm quid in ſerie actionum, & mediorum, quæ propter aliquem finem fiunt, cui ſubordinantur.

Probatur 1. ex Ariſtotele 2. Metaph. & 8. Phyſ. textu 34.

2. Niſi detur finis in omni ſerie actionum ſubordinatarum, numquam poterit agens agere, quia actio debet moveri ab aliquo, quod ſit primum in intentione. Certè niſi medicina ſibi pro fine vltimo ſanitatem ægroti conſtituat, numquam medicus incipiet curationem ægroti, nec quieſcet reſtitutâ ſanitate, quod tamen experientiæ repugnat. Dixi in eadem ſerie actionum, quæ fini ſubordinantur, quia in iis, quæ per accidens tantùm junguntur, poteſt quilibet ad libitum ſibi fines proponere. Ita ſanitas, quæ in ſeriè mediorum, quæ medicina præſcribit, eſt finis vltimus, poteſt tamen expeti à medico ob alios fines, putà gloriam, aut lucrum.

Objicies 1. Non repugnat proceſſus in infinitum: quidni enim hoc aliquis appetat propter illud, & iſtud propter aliud?

Reſpondeo 1. diſt. In iis, quæ accidentaliter ſubordinan-

nantur, C. in iis, quæ eſſentialiter ſubordinantur, N. 2. nego quia ſicut debet dari cauſa prima efficiens, cui reliquæ intermediæ ſubordinantur, quia non movent, niſi virtute primæ cauſæ. Sic intermedii fines non movent appetitum, niſi virtute finis vltimi. Deinde quia agens, vt dixi, non accederet ad mediorum executionem, quæ neceſſariò ſupponit finem in intentione aliquem conſtitutum, ac determinatum.

Objicies 2. Avarus plures divitias in infinitum appetit: ergo non habet finem vltimum in appetendo.

Reſp. nego conſeq. Nam 1. non tam habet divitias pro fine, quàm jucunditatem, aut honeſtatem, quam in illis apprehendit. Deinde habet pro fine vltimo maximam copiam opum, quam cùm putet ſe præ vitæ brevitate aſſequi non poſſe, ideo accumulandi finem non facit. 3. objectio probat tantùm in finibus accidentaliter ſubordinatis dari proceſſum in infinitum, quod non negat Ariſtoteles.

Probatâ vltimi finis exiſtentiâ, ſupereſt, vt nativas illius affectiones explicemus.

Prima ſit. Finis ſimpliciter vltimus ex natura ſua eſt primum amabile, & vltimum parabile. Eſt primum amabile, quia ſupra ipſum nihil eſt amabile, & quidquid infrà eſt, propter ipſum eſt amabile. Hanc notionem finis vltimi tradit D. Auguſt. lib. 19. de Civit. Dei, c. 1. *Finem boni noſtri dicimus, id propter quod expetenda ſunt cætera, ipſum autem propter ſe ipſum.* Eſt vltimum parabile, quia quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione.

Secunda. Vt primum amabile, primum volunta-

Digitized by Google

tis creatæ amorem ſibi vindicat, qui eſt omnium aliorum amorum princeps, & amor dominans à D. Thoma dicitur, tum quia eſt amor primi amabilis, tum quia ſecundos amores imperat, ſi ordinati ſunt, tum quia cæteris amoribus, ſi non apertè, at furtim ſaltem, & latenter ſeſe inſerit; ſingulis enim appetitionibus boni illigatur quodammodo amor felicitatis vniversè in omnium animis conſignatæ, vt poſtea oſtendam. Vt vltimum parabile, ſingulas actiones noſtras ſuo quodam jure poſtulat; hinc

Tertia. Eſt centrum cordis; centri quippe triplex affectio, 1. corpus mobile, ſi diſſitum ſit, trahit ad ſe, 2. ad ſe attractum quietat, 3. conſervat. Quare finis vltimi proprium eſt cor hominis ad ſe trahere, dum eſt in via; attractum, ſibíque appreſſum in patria quietare penitus, ac ſuaviter retinere, denique conſervare; ideóque debet eſſe pura bonitas, & omnis mali vacuitas, quæ ſatiet appetitus naturales hominis; hinc cordis humani agitatio perpetua, donec centrum illud attigerit.

Quarta. Eſt menſura, ad quam bonitas omnium mediorum, quæ hîc eligimus, exigenda eſt: vnde à Philoſopho, 7. Ethic. vocatur principium, ad quod intuentes, vnumquodque bonum, aut malum dicimus. Et verò quæcumque eligimus, debent eſſe via ad felicitatem, eorúmque bonitas tota, quanta eſt, continetur virtute, quam habent comparandi finis vltimi, ad quem ſi non juvant, bona vtique non ſunt. Ex quo principio ſequitur 1. in qualibet deliberatione hunc potiſſimùm finem reſpici oportere, 2. multa, quæ vocamus bona, ſæpe opinione tantùm, non reipſa eſſe; contrà verò in malis non eſſe numeranda pleraque eorum, quæ

homines numerant, cujuſmodi ſunt morbi, bonorum temporalium jactura, mors, &c. 3. vnum peccatum in malis ſimpliciter habendum eſſe, quia ſolum per ſe à fine ſimpliciter vltimo revocat.

§. 2. *Quis ſit finis vltimus, & an omnis appetitio in eum feratur.*

I. Observatio. Omnis appetitio fertur in finem vltimum ſub ratione boni cognitum, vt mox probatum eſt.

Observ. II. Quodlibet bonum creatum eſt aliqua boni increati particula, quæ ab eo ducta, ac propagata, ad idem, vt pars ad ſuum totum refertur; vnde fluxit pronunciatum: Omne bonum partiale tendit ad complementum boni totalis.

Observ. III. Innatus eſt cuilibet homini appetitus illius boni, quod omnem ſatiare, & explere ejus cupiditatem poteſt.

Observ. IV. Illud bonum, quod eſt par explendæ cupiditati hominis, excludit quodlibet malum, quia eſt veluti bonorum omnium cumulus, quæ animus exoptare poſſit, tanquam potentia vniverſalis. Porrò illud bonum appetimus, vt beati ſimus.

Observ. V. Duobus modis finis ille ſimpliciter vltimus appeti poteſt. 1. Expreſsè, explicitè, & formaliter. 2. Confusè, implicitè, & virtualiter. Illud explicitè appetitur, quod actu repræſentatur potentiæ cognoſcenti, movétque per ſuam bonitatem cognitam appetitum ad ſui proſecutionem. Sic æger expreſsè appetit ſanitatem, dum illam ſibi, vt convenientem apprehendit, appetítque. Implicitè, & virtualiter aliquid poteſt tri-

Digitized by Google

pliciter intendi. 1. Cùm bonum aliquod intendimus, quod alterius virtute, & participatione bonum eſt. Sic qui amat explicitè bonitatem effectus, cauſam illius virtualiter amat, cujus virtute, & participatione bonus eſt effectus. 2. Cùm explicitè aliquid intendimus, quod ex natura ſua ad aliud ordinatur, aut conjunctionem habet cum eo neceſſariam. Ita qui media vult explicitè, finem virtualiter intendit, & viciſſim qui vult finem explicitè, & efficaciter, media quoque vult virtualiter, propter eorum convenientiam cum fine. 3. Cùm ex expreſſa, & formali intentione alicujus boni, nos ad opus accingimus, & media cum fine connexa, licèt de fine actu non cogitemus, dum in illo opere perſeveramus. Dicitur enim prior intentio, quamdiu ſic agimus, perſeverare in ipſa operatione, quam ſuſcipimus determinati à fine, v. g. ſi quis intendat audire ſacrum, domóque exeat: ita tamen vt inter ambulandum non cogitet ampliùs expreſsè de audiendo ſacro, ejus ambulatio cenſetur virtualiter fieri ob ſacrum audiendum. His poſitis,

I. Assert. Deus ex natura ſua, & per ſe eſt ſimpliciter finis vltimus omnium appetitionum cujuſlibet creaturæ.

Probatur. Summum bonum, vt cauſa omnis bonitatis propter ſe ſimpliciter appetitur ab omnibus, cætera autem propter ipſum. Deus eſt ſummum bonum ſimpliciter, & cauſa omnis bonitatis: ergo Deus ſimpliciter vt finis vltimus appetitur ab omnibus. Prob. major. In finibus ſubordinatis ille ſolus per ſe ſimpliciter appetitur, ad quem omnes alii ex natura ſua referuntur, & cui ſubordinantur: atqui ſummo bono, nempe Deo omnia bona crea-

Digitized by Google

ta ſubordinantur eſſentialiter, & ad ipſum referuntur: ergo, &c.

2. Omnis actio vel eſt neceſſaria, vel libera. Actionis liberæ, & neceſſariæ ſolus Deus eſt per ſe finis vltimus ſimpliciter: neceſſariæ quidem, quia neceſſaria actio habet finem ab authore naturæ intentum, vt diximus. At finis ſimpliciter intentus ab authore naturæ eſt ipſe Deus, ſeu ipſius bonitas; liberæ verò, quia homo naturaliter appetit beatitudinem, eámque quærit in qualibet actione.

II. Assert. Nullum agens rationis expers expreſsè, & formaliter intendit in actionibus ſuis finem ſimpliciter vltimum.

Probatur. Omne agens eatenus agit propter finem, quatenus movetur in ipſum vt bonum ſibi conveniens: nullum agens rationis expers movetur explicitè in bonitatem finis ſimpliciter vltimi, ſaltem per motum intrinſecum, quatenus eſt ipſi conveniens: ergo, &c. Prob. minor. Quodlibet agens ratione deſtitutum intendit tantùm terminum actionis ſuæ, ſeu bonum particulare explicitè, vt ignis calorem, lapis centrum: atqui in particulari bono non continetur explicitè finis vltimus, ſed tantùm virtualiter, & implicitè vt cauſa in effectu: ergo agens ratione deſtitutum non tendit explicitè in vltimum finem.

III. Assert. Agens rationis particeps aliquando explicitè, & expreſsè tendit in finem ſimpliciter vltimum.

Prob. Sæpè homo refert ad Dei bonitatem ſibi cognitam, quidquid agit, non tantùm relatione habitudinis, ſed etiam relatione actionis: ergo explicitè tendit in finem vltimum.

Digitized by Google

IV. Assert. Agens ex ratione non ſemper explicitè, & formaliter finem ſimpliciter vltimum appetit.

Probatur. Finem ſimpliciter vltimum appetere explicitè, eſt tendere in ipſius bonitatem actu cognitam, & ex illa cognitione moveri, allicíque: at ſæpe agens ex ratione non cogitat de Dei bonitate, nec eam cognoſcit actu expreſſo: ergo non ſemper tendit explicitè in finem ſimpliciter vltimum.

V. Assert. Omne agens ſive agat ex cognitione, ſive non, ſemper tendit implicitè, virtualiter, & interpretativè in finem vltimum.

Probatur 1. Qui agit implicitè propter beatitudinem, agit implicitè propter finem vltimum ſimpliciter: Omne agens ſemper agit implicitè propter beatitudinem: ergo agit ſemper implicitè propter finem ſimpliciter vltimum. Major certa eſt, quia beatitudo objectiva, & finis vltimus idem ſunt. Prob. minor, 1. de homine, ex Aug. in Pſ. 101. *Beatum eſſe*, inquit, *tam magnum eſt bonum, vt hoc & boni velint, & mali. Nec mirum eſt quod boni proptereà ſunt boni; ſed illud eſt mirum, quod mali proptereà ſunt mali, vt ſint boni* (id eſt beati) *Nam quiſquis libidinibus deditus corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit, & ſe miſerum putat, cùm ad ſuæ concupiſcentiæ voluptatem non pervenerit.* Lib. 13. de Trinit. cap. 3. *Quidquid enim aliud homo latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus nota eſt, non recedit.* Accedit Boëtius, lib. 3. Conſolat. Proſa 2. *Hominum animus, etſi caligante memoriâ, tamen ſummum bonum repetit, ſed velut ebrius, quo tramite revertatur, ignorat.* 2. Satietas, & quies appetitus eſt beatitudo: at homo

Digitized by Google

ſemper agit ob ſatietatem, & quietem appetitus: ergo agit propter beatitudinem ſaltem implicitè, atque adeo propter Deum ipſum, in quo ex Auguſt. epiſt. 56. eſt requies appetendi, & fruendi ſecuritas.

Probatur 2. Etiam de quolibet ente. Quodlibet ens agit propter bonum: ergo vel propter bonum perfectum, & ita agit propter vltimum finem, vel propter bonum non omnino perfectum, & ſic in ordine ad perfectum appetit. Semper enim cujuſque rei inchoatio ad perfectionem ejus ordinatur, & imperfectum tam in moralibus, quàm in naturalibus, & artificialibus eſt inchoatio perfecti. Et verò ſicut qui amat effectum, amat virtualiter cauſam, à qua prodiit: ita qui amat bonum participatum, cenſetur amare virtualiter, & interpretativè bonum, cujus eſt participatio. Denique ita ſe habet finis vltimus in operabilibus, vt prima veritas in ſpeculabilibus ex Ariſtotele, lib. 2. Phyſ. ergo ſicut nihil concludi poteſt in demonſtratione, niſi dependenter à prima veritate; ita nihil poteſt fieri in actionibus humanis, niſi dependenter à fine vltimo, qui eſt primum amabile. Hinc Ariſtoteles, lib. 1. Rhet. cap. 5. docet nos omnia fugere, & proſequi propter felicitatem, vel aliquam ipſius particulam. Hinc amor quilibet particularis dicitur à D. Thoma imperari ab amore beatitudinis, quem idcirco nominat amorem dominantem.

Colliges Deum eſſe finem rerum omnium, etiam earum, quæ ſunt propter hominem, non quidem immediatè ab illis rebus poſſeſſum, ſed mediante tantùm homine, cui immediatè famulantur; juxta illud D. Iuſtini in Apologetico: *Hunc mundum non temerè conditum eſſe dicimus, ſed generis homi-*

num cauſâ, ipſum verò hominem, vt ſit Dei au-thoris.

§. 3. *Diluuntur objecta.*

OBiicies 1. contra primam aſſert. Si Deus eſſet finis ſimpliciter vltimus, influeret explicitè in omnes actus noſtros: Non influit explicitè, ex dictis, in omnes actus noſtros tamquam finis vltimus: ergo, &c. Probatur maj. Tam debet influere explicitè vt finis, quàm vt primum principium: Influit vt primum principium explicitè: ergo vt finis vltimus explicitè. Probatur major. Vt ſe habet primum principium in genere cauſæ efficientis: ita finis vltimus in genere cauſæ finalis: ſed primum principium influit explicitè in genere cauſæ efficientis: ergo & finis vltimus in genere cauſæ finalis.

Reſp. 1. nego parit. Quia implicat me agere abſque Dei concurſu explicitè influentis in actionem meam. At non teneor tendere ad Deum vt ad finem vltimum explicitè in ſingulis actionibus. 2. diſt. maj. Debet intendi finis vltimus explicitè ab aliquo agente, nempe à Deo, qui ſeipſum intendit in omnibus operibus, hoc eſt, bonitatem ſuam, concedo: ab agente creato, nego.

Objicies 2. Omnis actio in Deum relata virtualiter, eſt bona: ſed omnis actio noſtra refertur in Deum virtualiter, etiam peccaminoſa: ergo eſt bona.

Reſp. diſt. majorem. Actio in Deum virtualiter relata virtuali relatione, quæ orta ſit ex formali, & expreſſa intentione Deo placendi, concedo: orta ex ratione boni particularis, quod eſt participatio ſupremi boni, nego. Duplex quippe eſt intentio

Digitized by Google

virtualis. Prima orta ex intentione expreſſa, v. g. intendiſti ſacrum audire propter Deum; licèt dum templum adis, non cogites actu expreſſo de auditione ſacri, tamen confectio itineris bona eſt, quia in illam influit prior intentio virtualiter perſeverans. Secunda eſt, quâ bonum creatum ad increatum refertur, vt pars ad totum, quæ non eſt de ſe bona moraliter. Certè vt homo bene agat, debet bonum bene agere: at actio peccaminoſa vitiatur ſemper aliquâ circumſtantiâ. Vel ſi voles, diſt. Actio relata in Deum virtualiter, eſt bona, ſi adſint omnes circumſtantiæ, eſto; ſi deſint, nego.

Inſt. Saltem malum eſt bonum ſecundùm quid, ratione virtualis intentionis.

Reſp. nego, quia hæc virtualis intentio non ſufficit ad bonitatem moralem, v. g. qui furatur, vt beatus ſit, non peccat, quòd velit eſſe beatus, ſed quòd non quærat beatitudinem in objecto proprio, nec eo medio, quod ad beatitudinem conducit.

Objicies 3. Adulter, & blaſphemus non agunt propter finem vltimum, quia non referunt peccata ad Deum.

Reſp. diſt. non agunt propter finem vltimum genericè, & indeterminatè ſumptum, nego: ſpecificè & determinatè ſumptum, concedo. Nempe finis vltimus ſpectari poteſt vel genericè, vel ſpecificè. Genericè eſt cumulus bonorum, & quædam ſatietas appetituum, & quies, quam etiam improbi quærunt, abſtrahendo, quòd ſit Deus. Specificè verò eſt ipſe Deus tamquam ſupremum hominis bonum, quod appetitum ejus ſatiare poteſt. Porrò improbi in peccatis beatitudinem quærunt ſuam,

Digitized by Google

hoc eſt, cumulum bonorum, & ſatietatem appetituum, ſed ideo malè quærunt, quòd in regione mortis quærunt, in qua beata vita eſſe non poteſt, quia ne vita quidem eſt, vt notat idem Auguſt. lib. 4. Confeſſ. cap. 12.

Inſt. 1. Qui ſe ſimpliciter avertit à Deo, non tendit ad Deum virtualiter, vt finem vltimum: Qui peccat mortaliter, ſe ſimpliciter avertit à Deo, nam peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturas.

Reſp. diſt. maj. Qui ſe avertit à Deo tam genericè, quàm ſpecificè ſumpto, non tendit virtualiter ad Deum, concedo: qui ſe avertit à Deo ſpecificè ſumpto, & convertit ad Deum genericè ſumptum, nego. At quiſquis peccat, convertit ſe ad Deum genericè, & abſtractè ſumptum, quatenus intendit bonum, & beatitudinem, ſub quâ Deus quaſi ſub genere continetur. Verùm à Deo ſpecificè ſumpto ſimpliciter avertitur, hoc eſt, vt eſt bonum determinatum creaturæ rationalis proprium; quæ duo non repugnant. Sic poſſum odiſſe fortitudinem ſpecificè ſumptam, & eamdem amare genericè ſumptam, amando bonum, ſub quo continetur. Hinc vides finem ſimpliciter vltimum accipi poſſe. Primò in genere, & in communi, & ſic eſt cumulus omnium bonorum, & abſentia omnis mali ſatians hominis appetitum non conſiderando, an ſit in hac, vel illa materia particulari. Secundò in particulari, & quaſi in ſpecie, & ſic eſt res particularis, cujus poſſeſſione redditur homo beatus; illa autem res ſecundùm rectam rationem eſt Deus ipſe.

Inſt. 2. Semper peccatum avertit à Deo.

Reſp. diſt. defectu intentionis, nego: defectu

ordinationis rectæ in actu, concedo. Idem quippe peccanti contingit, quod viatori itineris ignaro. Vt enim viator ſemper intendit terminum viæ; ſed quia vel ignorat, vel negligit inquirere, ſæpe aberrat à via: Ita peccator ſemper beatitudinem intendit, ſed viâ plerumque ipſi contrariâ, vel quia ignorat eam, vel quia negligit inquirere, ideóque ebrio comparatur à Boëtio. 2. diſt. avertit à Deo ſpecificè ſumpto, C. genericè ſumpto, N.

Objicies 4. Si Deus eſſet finis vltimus rerum omnium, eſſet finis objectivus: Non poteſt eſſe finis objectivus, quia omnis finis objectivus per formalem poſſidetur. At Deus poſſidetur tantùm vt finis objectivus per viſionem ſui.

Reſp. nego minorem, & diſtinguo illius probationem. Omnis finis objectivus poſſidetur per formalem à natura intelligente, concedo: ab aliis naturis, nego. Nempe diverſi ſunt fines formales, quibus Deus, vt finis objectivus poſſideri poteſt. Homo & Angeli, v. g. Deum poſſident per meram cognitionem tamquam per finem formalem, aliæ verò naturæ Deum poſſident, vt finem objectivum ſuo modo, hoc eſt, perfectiones illius repræſentando. *In tantum*, inquit D. Thomas, *adipiſcuntur vltimum finem, in quantum habent aliquam ſimilitudinem Dei ſecundùm quod ſunt, vel vivunt, vel cognoſcuntur.*

Objicies 5. Odium Dei non fertur in Deum.

Reſp. diſt. In Deum genericè ſumptum, nego: ſpecificè ſumptum, concedo: ſeu, vt alii loquuntur, odium eſt averſio à Deo moraliter, & demeritoriè; converſio autem virtualiter, & phyſicè.

Objicies 6. Non omnes cognoſcunt finem vl-

Digitized by Google

timum: ergo non agunt propter ipſum.

Reſp. non cognoſcunt in abſtracto, & genericè, N. ſpecificè, & determinatè, eſto. Certè nemo eſt, qui non velit perfectè eſſe beatus, & qui aliquam beatitudinis rationem abſtractam non cognoſcat, in eo poſitam, quòd ſit ſatietas appetituum, licèt non clarè cognoſcat, in quo ſit poſita perfecta, & determinata ipſius beatitudinis ratio. 2. Non cognoſcunt finem vltimum formaliter, nego: materialiter, & objectivè, concedo: Porrò beatitudo formaliter eſt ſatietas appetituum, quam nemo non novit ſaltem implicitè. Objectivè verò ſumpta eſt objectum, quod illam ſatietatem afferre poſſit, & debeat.

§. 4. *Quomodo res creatæ tendant in Deum, & gloriam illius procurent.*

I. Observatio. DEus eſt finis cui primarius rerum creatarum: gloria ejuſdem, finis qui. Patet ex antè dictis, ſed probatur ampliùs. 1. Omne ens amat ſe multiplicare: ergo vel in eſſe reali per ſui ſimilis productionem, vel in eſſe intentionali per ſui cognitionem, quam aliis ingeneret: Deus eſt ens perfectiſſimum: ergo amat ſe multiplicare, etiam extra ſe, non in eſſe reali per productionem ſui ſimilis, quia alium extra ſe Deum producere non poteſt: ergo ſupereſt, vt ſe multiplicet extra ſe in eſſe intentionali per notitiam ſui, quam rebus creatis imprimat: illa notitia eſt gloria: igitur finis qui rerum creatarum, eſt Dei gloria. 2. Deus vt pote agens ex perfecta cognitione mundum condidit ob aliquod bonum: ergo vel propter vtilitatem ſuam, vel pro-

pter gloriam, non propter vtilitatem ſuam, quia perfici interiùs non poteſt, vtpote ſummè perfectus: nec vlla re indiget, vtpote ſummè dives: ergo propter gloriam ſuam primariò condidit. Dixi primariò: nam ſit

II. Observ. Finis ſecundarius, & minùs principalis eſt vtilitas hominis. Ratio eſt, quia homo ex nihilo eſt, itaque natura ſua indigens: igitur perfici interiùs, & creſcere poteſt; aliunde Deus eſt ſummè bonus; ſumma bonitas non poteſt ex ſe, niſi prodeſſe naturæ indigenti: ergo ſaltem ſecundariò Deus intendit vtilitatem hominis. Accedit quòd ſumma gloria Dei formalis, vt poſtea oſtendam, eſt cognitio, & amor Dei: cognitio, & amor Dei eſt noſtra beatitudo: ergo hoc ipſo, quòd Deus intendit gloriam ſuam, bonum quoque noſtrum, & commodum intendit ſaltem ſecundariò.

III. Observ. Deus ita eſt finis vltimus naturæ rationalis, & irrationalis, vt ſit finis proximus hominis, homo verò finis proximus naturæ irrationalis. Patet prima pars, quia nihil eſt infra Deum, ad cujus gloriam, aut commodum homo ordinari potuerit, vt jam confecimus. Probatur ſecunda. Nec Deus, nec Angelus per ſe immediatè natura corporea indigent, ſed vnus homo. 2. ex Pſalm. 8. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; hinc in prima mundi molitione idcirco hominem poſt omnia opera effinxiſſe dicitur Deus, vt mundi princeps, ac moderator, in mundum, ſic tamquam in regiam domum omni ornatam ſupellectile ingrederetur, vnde ſequitur hunc mundum corporatum non tendere in Deum, niſi mediante homi-

Digitized by Google

ne, cui ad finem ſuum conſequendum inſervit.

His obſervatis quæritur hîc, quomodo vtraque natura tum intelligens, tum irrationalis gloriam Dei procuret. Vt quæſtioni ſatisfaciam, videndum quid ſit gloria, & quotuplex. Ex his autem principiis intelliges.

1. Duplex eſt gloria, altera formalis, altera objectiva. Prima definitur à D. Auguſtino, lib. 83. quæſt. q. 31. clara cum laude notitia. Secunda eſt excellentia objectiva rei, quæ eſt objectum cognitionis, ac laudis. Ad formalem tria requiruntur, præſertim in creatis. 1. debet eſſe notitia objecti excellentis, alioqui non eſſet clara notitia, 2. affectuoſa, adeóque amorem excellentiæ in voluntate, deinde admirationem, ac venerationem parere, 3. in laudes objecti erumpere, vt quanti ipſum faciat, quiſquis glorificat, aliis indicet, & ad ipſius prædicationem nominis ſuo exemplo excitet.

2. Vtraque gloria vel eſt intrinſeca Deo, vel extrinſeca. Intrinſeca objectiva, eſt ſumma Dei perfectio, & excellentia, putà, natura divina, bonitas, ſapientia, omnipotentia, aliæque perfectiones, quæ ſunt objectum cognitionis divinæ, ipſíque adeo totius naturæ intelligentis creatæ cognitionem, amorem, ac laudem præcipuo quodam jure vindicant. Intrinſeca formalis, eſt plena perfectáque cognitio, quâ ſe ipſum non modò cognoſcit, ſed etiam comprehendit; ex qua mirabiliter exiſtit verbum, felix ille, ac divinus partus, ejuſdem naturæ conſors, Patri dignitate par, æqualis poteſtate: exiſtit quoque ex vtroque Spiritus ſanctus, amborum arctiſſimus nexus.

3. Extrinſeca objectiva, eſt excellentia creaturarum, in quam dum intuentur Angelus, & homo,

Digitized by Google

vtique excitantur ad formalem Dei gloriam extrinſecam; hinc gloria formalis extrinſeca, quam homo viator redhibet Deo, eſt cognitio perfectionum, quas Deus rebus creatis infudit cum laude ejuſdem authoris, quem ideo Angelus, & homo æſtimant, amant, ſuſpiciunt, venerantur, & colunt, vt obſervat Lactantius, lib. 7. *Sicut ergo mundum non propter ſe Deus fecit, quia commodis ejus non indiget, ſed propter hominem, qui eo vtitur: ita ipſum hominem propter ſe, &c. ſcilicet, vt eſſet, qui opera ejus intelligeret: qui providentiam diſponendi, rationem faciendi, virtutem conſummandi, & ſenſu admirari, & voce proloqui poſſet. Quorum omnium ſumma hæc eſt, vt Deum colat:* gloria formalis, quam homo comprehenſor Deo reddit, eſt ipſa creata Dei viſio, quâ Deum cognoſcit vt in ſe eſt, & ex qua amor Dei perfectiſſimus, gaudiúmque vt fructus conſequuntur. His poſitis, ſit

I. Assertio. Solus Deus ſibi reddit gloriam formalem intrinſecam per cognitionem ſui, ſeu per verbum. Probatur. Quia ſolum verbum eſt cognitio formalis intrinſeca Patris, Naturæ divinæ, ejúſque perfectionum infinitarũ abſolutiſſima notitia, vtpote naturalis, & συναΐδιος imago Patris, ac ſimilitudo Dei ſe intelligentis, quæ id ex propria, & nativa conditione originis ſuæ habet, vt eum referat.

Colliges hinc cur Verbum divinum dicatur gloria formalis, & infinita Patris, & à D. Paulo ſplendor gloriæ; procedit enim per cognitionem, quâ Pater ſe ipſum comprehendendo, producit Verbum ſuum, & quia illa cognitio adæquatur naturæ infinitæ, eámque cognoſcit, quantùm cognoſci poteſt, meritò dicitur formalis, & infinita. Rurſus quia verbum illud non eſt qualecumque verbum,

ſed verbum ſpirans amorem, eúmque neceſſarium, & infinitum, ideo illa gloria eſt abſolutiſſima 1. ex parte objecti, quod eſt excellentia Dei infinita, 2. ex parte modi, ſeu cognitionis, quæ objecto ſuo adæquatur, ideóque clariſſima. 3. ex parte termini, quia terminatur ad amorem infinitum.

II. Assert. Creaturæ tum intelligentiæ participes, tum rationis expertes Deum objectivè extrinſecè glorificant. Probatur. Gloria Dei objectiva eſt expreſſio, & repræſentatio perfectionum divinarum, quæ in creaturis elucet, tanquam in ſignis, veſtigiis, & imaginibus Dei, ex qua natura intelligens ad formalem Dei gloriam excitatur, hoc eſt, ad mundi ipſius authoris cognitionem, & laudem: creaturæ tum intelligentiæ participes, tum rationis expertes Deum in ſua entitate exprimunt, ſignificant, repræſentant, & quaſi indaganti oſtendunt, vt ſigna, ſpecula, veſtigia, & imagines, dum omnipotentiam Dei in ſui formatione, ſapientiam in tanta varietate, bonitatem in ſumma effuſione ſuo modo loquuntur, & prædicant juxta illud Pſalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum:* ergo Deum objectivè glorificant. Confirmatur ex D. Thoma, 1. parte, vbi docet finem intrinſecum creaturarum eſſe ſimilitudinem cum Deo, & quidem tantam, quanta à qualibet creatura pro ipſius natura, & indole haberi poteſt cum ipſo vt cauſa, & exemplari, quæ authoris excellentiam repræſentet. Rationem reddit, lib. 3. contra gentes, quòd perfectio ſigni, & imaginis conſiſtat in ſimilitudine cum re ſignificata, & exemplari, quæ ipſum indicet, & repræſentet. Vt ergo gloria externa Principis in ſplendore, & multitudine aulicorum, palatiorum, &

Digitized by Google

amplitudine ditionum, ac regionum conſiſtit: ita gloria Dei externa in perfectione, ac multitudine rerum creatarum, quarum aliæ alias Dei perfectiones in ſe exprimant, & tacito quodam præconio, ſui, vt loquitur author libri 2. de vocatione gentium, majeſtatem loquantur authoris. Quamobrem D. Athanaſius docet in oratione contra gentes per eas res, quæ corpore conſtant, quæ oculis contrectantur, ac reliquis ſenſibus, perveniri ad Dei notitiam oportere, quarum, inquit, in diſpoſitione, atque conventu, velut quibuſdam exaratus litteris ac deſcriptus, omnium ſignificatur, ac prædicatur Dominus, & artifex τῆς κτίσεως ὥσπερ γράμμασι διὰ τῆς τάξεως, καὶ ἁρμονίας τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην, καὶ ποιητὴν σημαινούσης, καὶ βοώσης. hinc ab aliis Patribus mundus dicitur liber, cujus partes ſunt quaſi paginæ, ad omnium oculos ſemper patentes, & authorem ſuum numquam tacentes; hinc denique ex Leſſio, lib. 14. de vltimo fine, cap. 4. duplex obſequium eſt mundi erga hominem, alterum pertinet ad corpus; eſt enim mundus inſtar domicilii, in quo commodè habitet: alterum ad animam, quippe qui velut tacitus Dei ipſius præco, notitiam ſui conditoris homini ingeneret.

III. Assert. Sola natura intelligens creata, formalem Dei gloriam externam procurat. Probatur. Formalis gloria Dei externa, eſt cognitio Dei ex rebus creatis, & perfectionibus ab eo ipſis inditis, ex qua ſequitur amor, veneratio, & cultus tam eximii artificis: ſola natura intelligens creata poteſt cognoſcere Deum ex rebus creatis, ipſúmq; cognitum amare, venerari, ſuſpicere, & colere: igitur ſola natura intelligens creata poteſt formalem Dei gloriam externam procurare. Quare Lactan-

tius, libro de ira Dei, cap. 14. ait hominem eſſe in mundo tamquam divini templi antiſtitem, ſpectatorem Dei operum vt eadem intelligat, admiretur, & laudet; ideo præter cæteras animantes corpore erectum à Deo, & quaſi porrecta manu allevatum ex humo, vt ad contemplationem ſui excitaret; ſermonem denique, & linguam cogitationis interpretem ideo accepiſſe, vt enarrare majeſtatem Domini ſui poſſet.

IV. ASSERT. Natura vtraque tum intelligens, tum rationis expers partim conveniunt in procuranda Dei gloria externa, partim diſcrepant. Patet ex 2. & 3. aſſertione. Conveniunt, quia cùm Deum in ſe repræſentent, ex 2. aſſertione, vtique Deum objectivè glorificant.

Diſcrepant 1. in modo repræſentandi. Atque vt exemplum ponam in homine; is haud dubiè Deum perfectiùs repræſentat, quàm reliqua entia corporata. Habent hæc quidem, vt authorem ſuum adumbrent, & vtcumque innuant; veſtigia ſunt ſupremæ illius bonitatis, ſed leviter impreſſa; vmbræ illius potentiæ, ſed quaſi fugientes: vnum hominem elegit Deus, in quo non vmbris contentus, non veſtigiis, quidquid in ſe præſtantius eſt, delinearet expreſſiùs, quem ad perfectam ſui ſimilitudinem effingeret. Quamobrem fundendis ex ſe aliis creaturis ad efformandam vnius hominis imaginem proludere voluit, poſtremúmque artifice ſapientiâ elaboravit ex D. Ambroſio, quaſi naturæ finem, & complementum, in quod cætera deſinerent: itaque magis Deum glorificat objectivè homo, quàm reliquæ res creatæ aſpectabiles; & vt quiſque inter homines ſanctiſſimus: ita gloriam Dei objectivam maximè promovet; vnde oritur

Digitized by Google

neceſſitas bonorum operum in Chriſtianis, vt cæteris ad virtutem exemplo præeant. Quin etiam homo ſui ipſius cognitioni magis ſtudere debet, quàm aliarum rerum creatarum, magiſque cognitioni animæ, quàm corporis, quia eò gloria formalis major, quò objectum perfectius, quod noſcitur.

Diſcrepant 2. quia ſolus Angelus, & homo Deum glorificant formaliter. Porrò gloria formalis perfectior eſt, quàm objectiva in creatis: quia illa eſt vitalis quædam operatio potentiæ nobiliſſimæ, nempe intellectus; viva, & quaſi ſpirans gloria: hæc languens, & quaſi emortua: laus, honor, & gloria Dei latent veluti ſub ipſis operum vmbris, & receſſibus; ſunt in potentia, ſed nondum in actu: at dum mentem hominis ſubeunt, ac cognitione ſui ſimul, & authoris veneratione implent; tunc enimverò laus, honor, & gloria excitantur quodammodo, & in actum educuntur. Denique formalis gloria naturam efficit beatam: objectiva nihil novi naturæ confert, cùm in ipſa rei entitate ſita ſit.

V. Assert. Ita Deus hunc mundum propter gloriam ſuam condidit, vt illam neceſſariò intendat, nec poſſit in creaturam transferre. Patet ex Iſaiæ 48. *Gloriam meam alteri non dabo.* Ratio petitur ex eminentia Dei infinita ſupra omnem naturam creatam. Cùm enim ſit primum, & eminentiſſimum principium; vltimus rerum omnium, & eminentiſſimus finis ex natura ſua, cujus gratiâ omnia procreavit; aliunde cùm gloria, & honor vtpote bonum inter externa præſtantiſſimum naturæ excellentiori debeatur; conſequens eſt, vt gloriam externam ſupremæ ſuæ debitam excellentiæ,

Digitized by Google

neceſſariò ſibi tribuat vni, nec cuiquam alteri concedat. Ad hæc, quæcumque Deus agit, vtique ordinatiſſimè agit, quia ipſa ſapientia eſt: at ordo poſtulat, vt bonum naturæ infinitæ debitum, naturæ, quæ ex nihilo facta ſit, adeóque finitæ perfectionis, tribui non poſſit, támque impoſſibile ſit Deum ſe gloriâ ſuæ debitâ excellentiæ, quàm ſuâ ſe ipſum excellentiâ exuere. Potuit quidem Deus hunc mundum non condere, quia ſuo ille arbitratu molitus eſt. At ex hypotheſi, quòd ipſum condiderit, gloriam ex tanti operis molitione, partiúmque ordine in ſe refuſam abdicare non poteſt. Ex dictis hoc paragrapho, ſex infero.

1. Ita commodum naturæ rationalis cum gloria ſui authoris eſt conjunctum, vt quantùm hanc promovet, tantùm & illud promoveat. Ratio eſt, quia gloria Dei formalis eſt ipſa beatitudo; hinc quò plus gloriæ ex ſuis operibus homo ſibi arrogat, eò magis minuitur, & decreſcit ipſius bonum; creatura quippe ex nihilo; itaque vacua in ſe, & egens: intrinſecè ergo perfici debet. At nemo perficitur intrinſecè per bonum purè externum, cujuſmodi eſt gloria externa. Meritò itaque D. Bernardus in Cantica. *Propter temetipſum*, inquit, *Deus feciſti omnia. & qui eſſe vult ſibi, & non tibi, nihil eſſe incipit inter omnia.*

2. Cùm bonum rerum creatarum ſpectari poſſit, vel vt rem creatam perficit, vel vt ad Dei gloriam confert, longè pluris æſtimandum eſt, quà conducit ad gloriam Dei, quàm quà perficit creaturam; bonum enim minimum Dei majus eſt quolibet bono creaturæ: hinc vbi agitur Dei gloria, & vita hominis, etiam cum vitæ diſpendio gloria Dei procuranda. Certè cùm homo vitam ſuam in cauſa

Dei profundit, tum maximè ſibi conſulit; amittit vitam temporalem, in Deo invenit æternam.

3. Ad gloriam Dei debuit mundus 1. condi ex nihilo, 2. vario, ac multiplici genere creaturarum diſtingui, 3. cum ordine diſponi. Ratio eſt, quia creatio potentiæ Dei infinitatem probat; varietas creaturarum excellentiam bonitatis, quæ non potuit, niſi multitudine propè infinita rerum creatarum adumbrari; ordo commendat ſapientiam.

4. Debuerunt quoque à Deo produci ſubſtantiæ tum corporeæ, tum ſpiritales interitus expertes, quià gloria Dei externa eſt præſtantiſſimum bonum: ergo par non fuit vnius temporis ſpatiis ipſam contineri, ſed ad ipſam æternitatem etiam pertinere: Debuerunt ergo à Deo produci ſubſtantiæ tum corporeæ, tum ſpiritales, quæ nuſquam interirent, & vtramque gloriam, objectivam ſcilicet, & formalem æternitati æquarent.

5. Summa Dei gloria externa tum formalis, tum objectiva eſt felicitas beatorum. Cognoſcitur enim Deus perfectiſſimè à beatis; *Videtur enim ſicuti eſt*, amatur ardentiſſimè, laudatur aſſiduè. 2. Cùm eos ſibi ſimillimos reddat, & deiformes, cognoſcitur in ipſis. 3. Cognoſcitur ex ipſis; nullum quippe opus, quod divina attributa commendet magis, quàm beatus, in quem ſe effundunt ſingula, ſive animi, ſive corporis dotes ſpectes.

6. Quiſquis gloriam ex creaturis Deo debitam ſibi quærit, in Deum ſimul, & creaturas maximè injurioſus eſt. In Deum quidem, quia illius excellentiam infra ſe deprimit. Nam audeo dicere cum D. Bernardo, quòd omnis ſuperbus etiam ſupra Deum quodammodo extollitur, aut ſaltem

ſibi attribuit vni; & ita ſe finem vltimum conſtituit; hæc quippe eſt perverſa celſitudo, ex D. Auguſtino: Deſerto eo, cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri, atque eſſe principium. In res creatas, quia homo quaſi lingua ipſarum publica, & mundi ſenſibilis interpres à Deo conſtitutus, vt gloriam ex iiſdem promanantem, vni Deo referat acceptam.

§.5. *An homo poſſit habere plures fines ſimpliciter vltimos totales, & adæquatos.*

QVAESTIO hîc tantùm eſt de agentibus liberis, non de neceſſariis, quæ ad vnum finem ſimpliciter vltimum determinata ſunt.

Certum 1. Quodlibet agens liberum poſſe eodem tempore plures vltimos fines partiales ſibi conſtituere, qui in vnum totalem coaleſcant.

Certum 2. Plures fines vltimos totales diverſis temporibus ſibi poſſe conſtituere. Sic avarus poteſt hodie ſibi pro fine vltimo totali aurum proponere: & cras, ſi reſipiſcat, Deum ſibi, vt finem ſimpliciter vltimum conſtituere.

I. ASSERTIO. Nemo ſimul, & conjunctim duos fines totales, ſimpliciter vltimos operantis, eodem tempore poteſt intendere. Ita D. Thomas, 1. 2. quæſt. 1. art. 5.

Probatur. Finis vltimus ſimpliciter operantis ille eſt, qui propter ſe expetitur, cætera omnia propter ipſum: atqui idem operans non poteſt ſimul, & conjunctim duos fines totales ſimpliciter vltimos operantis propter ſe appetere, & reliqua propter eoſdem: ergo nemo poteſt ſimul, & conjunctim duos fines ſimpliciter vltimos operantis

Digitized by Google

intendere. Probatur min. Vel enim vnum è duobus illius appetet propter alterum, vel non: Si primum, ergo deſinit alter eorum finis eſſe ſimpliciter vltimus, & totalis: Si ſecundum, id eſt, ſi ambos propter ſe appetit æquè primò. Ergo erunt fines ſimpliciter vltimi, & non erunt. Erunt, vt ſupponitur; non erunt, quia neuter erit objectum adæquatum appetitionis, ſed tantùm partiale.

Dixi operantis, non operis. Nam fines vltimos operis poſſe ſimul appeti nihil repugnat, ſi quidem plures res jucundæ gratiâ ſui appeti poſſunt, non referendo vnam ad alteram. Et verò ſicut poteſt intellectus in communi ſententia per plures ſimul cognitiones in multas veritates, ſeu objecta ferri: ita voluntas poterit in plures fines vltimos operis ſimul tendere.

Finis porrò operis vltimus eſt, in quem opus ita tendit, vt in eo quieſcat. Sic ſanitas eſt finis vltimus medicinalium operationum, quia non vlteriùs referuntur relatione operis. Hic autem finis non in omni actionis genere reperitur, ſed earum tantùm, quarum ſeries ad vnum aliquid refertur. Vnde dicitur finis ſecundùm quid. At finis vltimus operantis eſt, quem ſibi operans proponit, & ita expetit ſui gratiâ, vt ſe ſuáque omnia in eum referat.

Objicies 1. Multi putarunt plures eſſe Deos: at quilibet Deus eſt finis vltimus: ergo, &c.

Reſp. Voce tenus plures admiſiſſe Deos, reipsâ vnum, quem idcirco deorum parentem, & regem vocabant, putà ipſum Iovem; alios autem colebant, vt homines immortalitate donatos.

Objicies 2. Qui peccat mortaliter, finem vltimum in creatura ſtatuit: ſed aliquis poteſt vnica

actione duo peccata mortifera admittere, v. g. peccare propter amorem divitiarum, & amorem voluptatis: ergo poteſt appetere duos fines totales ſimpliciter vltimos.

Reſp. Qui peccat lethaliter eâdem actione multoties, non alium habere finem, quàm ſeipſum vnum, ad quem refert tùm honores, tùm divitias. Nam amat ſe, vt finem vltimum, ſibíque falsò arrogat amorem fini vltimo debitum, in quo eſt peccatum; hinc axioma D. Auguſtini; Duos amores ſibi duas civitates ædificare, nempe amorem proprium civitatem Babylonicam, amorem verò Dei civitatem cæleſtem; hinc alterum axioma; Hominem per peccatum mortale Deo vti tamquam medio, vt creaturâ fruatur, hoc eſt, ſeipſo, nam fruitio eſt circa finem, vſus verò circa media. Porrò qui peccat venialiter, non dicitur finem vltimum ponere in creatura, quia licèt creaturam magis amet intenſivè, quàm Deum, tamen minùs amat appretiativè, ideóque veniale peccatum non deſtruit ſubſtantiam charitatis, ſed ejus tantùm fervorem imminuit, hominémque retardat ab affectione finis vltimi. At

Quæres hîc, an qui lethaliter peccat, conſtituat finem ſuum in creatura. Reſp. Conſtituere ſaltem interpretativè, & virtualiter, ſeu æquivalenter. Quòd conſtituat, patet ex ſcriptura, vbi avaritia dicitur idolorum ſervitus; ideóque Chryſoſtomus *peccatorem vocat idololatram, & multorum deorum cultorem:* Gregorius Nyſſenus, ait *quemlibet loco Dei ponere id, quod perversè amat.* Quòd conſtituat interpretativè, patet quoque quia perinde ſe gerit, ac ſi finem alium vltimum non haberet, quàm creaturam; quid enim aliud ageret, ſi creatura eſſet finis

finis ipſius vltimus, niſi illam Deo præferret: at peccando mortaliter præfert creaturam Deo. Virtualiter denique, & æquivalenter conſtituit, quia creaturam appretiativè anteponit enti, quod virtualiter continet alia omnia; negligit enim Dei amicitiam ob amorem creaturæ, juxta illud Ieremiæ 2. *Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas.*

DISPVTATIO QVARTA.

De Beatitudine.

HIc finis eſt, ad quem tendit Philoſophia Moralis, perinde ac hominis animus. Homini quippe conſtitutum eſt beatè, feliciterque vivere; Morali verò Philoſophiæ ad eam beatitudinem ſuis præceptionibus ſenſim deducere. At cùm homo conſtet corpore, & animâ; illo mortali; hac immortali, & in duplici vitæ ſtatu poſſit ſpectari: altero, qui ſit inſtar viæ, & is eſt ſtatus vitæ præſentis, in quo anima jungitur corpori: altero, qui ſit inſtar termini, & is eſt ſtatus vitæ alterius, & aliunde vtrique vitæ ſua ſit beatitudo, idcirco de vtrâque beatitudine tùm naturali, tùm ſupernaturali agendum.

ARTICVLVS PRIMVS.

De beatitudine naturali hominis.

CVM beatitudo duplex ſit, objectiva, & formalis, examinandum hîc quæ ſit beatitudo

Digitized by Google

hominis in hoc præſenti ſtatu tùm objectiva, tùm formalis.

§. 1. *Prænotanda de beatitudine vt ſic.*

PRIMVM. Nomine beatitudinis objectivæ intelligitur bonum perfectiſſimum, quod ſeipſo naturæ rationalis appetitum perfectè poſſit explere. Nam beatitudo, ex Tullio 3. Tuſcul. eſt ſecretis malis omnibus cumulata bonorum complexio.

Secundum. In beatitudine duo diſtinguenda, eſſentia beatitudinis, & complementum.

Tertium. In homine quatuor ſpectanda. 1. Subſtantia corporis, 2. ſubſtantia animi, 3. facultates operandi tum naturales, vt intellectus, & voluntas, tum adventitiæ, vt virtutes. 4. operationes; hinc triplex ineſt homini vita, ſubſtantialis, potentialis, & actualis.

Quartum. Naturalem beatitudinem voco, quæ ſine præſidio mediorum ſupernaturalium viribus naturæ acquiri poteſt; ſupernaturalem verò quæ omnem naturæ ordinem excedit, ſeu quam ſolis viribus naturæ nemo adipiſci poteſt. Hæc iterum duplex, altera hujus vitæ, altera futuræ.

Quintum. Vtriuſque ſtatus duplex beatitudo. Prima, objectiva, nempe res poſſeſſa, quæ beatum efficit, & dicitur objectum beatitudinis: ſecunda formalis, quæ eſt actio, per quam poſſidemus objectivam beatitudinem, ſeu ſummi boni poſſeſſio. Prima dicitur propriè finis vltimus, ſecunda beatitudo, quia per illam beati dicimur. Vtramque porrò beatitudinem dari tam certum eſt, quàm certum eſt dari finem vltimum.

Digitized by Google

§. 2. *Quænam ſit beatitudo objectiva hominis.*

Tanta fuit veteres inter Philoſophos de objectiva hominis beatitudine opinionum varietas, vt Auguſtinus ex Marco Varrone ducentas octoginta octo, lib. 19. de Civit. Dei, c. 1. numerarit. Cauſa tam variæ, multiplicíſque ſententiæ eſt, quòd nemo alieno, ſed ſuo ſenſu beatus ſit: at varii ſunt hominum ſenſus de beatitudine, quia variæ ſunt eorum cupiditates, & vt quiſque variè afficitur, ita variè ſentit, in eóque beatitudinem conſtitutam putat, quod maximè deſiderat. Quare licèt de ratione communi beatitudinis omnes conveniant, quòd ſit quædam ſatietas appetitus, & vacuitas mali, tamen de re, in qua poſita ſit, inter ſe diſſentiunt, & confuſam, quam de felicitate habent ideam, huic, aut iſti rei pro ſuo affectu alligant. Amas plus juſto honores? in iis procul dubio beatitatem conſtitues: voluptatibus nimium indulges? iiſdem felicitatem definiès; hinc eſt, quòd populares in bonis ſenſibilibus, avari in divitiis, voluptuarii in voluptatibus corporis, ægroti in ſanitate, ſapientes in bono ſeparato reponant. Porrò cùm ſingulas ſententias refellere infinitum ſit, ideo ad tres claſſes revocant Philoſophi juxta triplicem bonorum partitionem, quæ fit in bona fortunæ, corporis, & animi. Rem vt definiam, ſit

Assertio vnica. Solus Deus eſt beatitudo objectiva hominis in hoc ſtatu. Hæc aſſertio, cùm excluſiva ſit, virtute duplex eſt, ideóque in duas propoſitiones reſolvi debet. Prima eſt, nullum

Digitized by Google

ens creatum eſt objectiva hominis beatitudo: ſecunda, Deus eſt objectiva hominis beatitudo.

Prima probatur poſitis hiſce principiis. Primum ſit, Beatitudo hominis ad nobiliorem partem ſpectat, ipsámque intrinſecè perficit. Secundum, nobilior pars hominis eſt anima, quæ ſpiritalis, & immortalis eſt. Tertium, intellectus & voluntas, quæ ſunt potentiæ rationalis animæ propriæ, licèt ex parte ſubjecti finitæ ſint, tamen ex parte objecti ſunt infinitæ, & naturali quodam impetu feruntur in omne verum, & bonum. Quartum, Bonum, quod hominem beatum reddit, debet eſſe illi conveniens, & maximè proprium; deinde melius ipſo: Nam *cùm beatus fueris*, inquit Auguſtinus, ſerm. 2. in Pſalm. 32. ad illud, *beata gens*, *melior vtique eris, quàm cùm miſer es. Fieri autem non poteſt, vt res deterior, te faciat meliorem.* 3. In noſtra poteſtate; niſi enim acquiri à nobis poſſet, inanis foret tendentia noſtri appetitus. 4. Stabile, & permanens; aliter metus amittendi illius boni perpetuò nos cruciaret. 5. Perfectum ex ſe, ac ſufficiens: Perfectum quidem, quia omnia ſunt propter ipſum, ipſum autem propter nullum ens: Sufficiens, quia ipſum ſolum, ſi habeatur, facit vitam ratione ſui eligibilem, & nullius alterius indigentem rei, deinde ex Philoſopho 1. Ethic. c. 7. felicitas nullius rei indiga eſt, ſed ſe ipsâ contenta. Ratio eſt, quòd appetitum ita explere debeat, vt nihil ampliùs cum anxietate appetat: Itaque finis vltimus, & ſummum bonum ſit, neceſſe eſt. His ita conſtitutis,

Sic argumentor. Quæcumque ſunt bona creata, ſive fortunæ, ſive corporis, ſive animi propria, non habent conditiones prærequiſitas ad beatitudinem hominis objectivam: ergo non ſunt beati-

tudo objectiva hominis. Probatur antecedens. 1. Bona creata ſunt finita, & corporata, ſaltem ex parte: ergo non poſſunt eſſe objectiva beatitudo animæ, quæ ſpiritalis eſt, & infinita appetit ex ſecundo, & tertio principio. 2. Bona creata fugacia ſunt ex D. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio. *Quæ nimirum*, inquit, *antequam ſint, non ſunt, & cùm ſunt, fugiunt, & cùm fugerint, non erunt; itaque cùm futura ſunt, nondum ſunt; cùm autem præterita ſunt, jam non ſunt: quomodo igitur tenebuntur, vt maneant, quibus eſt hoc incipere, vt ſint, quod eſt pergere, vt non ſint:* at beatitudo objectiva debet eſſe bonum permanens, & ſtabile ex 4. principio. 3. Beatitudo objectiva nullum malum refundere debet in poſſidentem, deinde ſufficiens eſſe debet, 3. melior nobis: at bona creata, etiam poſſeſſa, multa in nos mala refundunt, nec ſufficiunt per ſe, nec meliora nobis ſunt. 4. Beatitudo objectiva eſt ſummum bonum, & finis vltimus ex vltimo principio: nulla res creata eſt ſummum bonum, & finis vltimus. Non ſummum bonum, quia ſicut omnis res creata habet entitatem participatam ab alio, ita habet bonitatem participatam: at talis bonitas non eſt ſumma. Non finis vltimus, quia omnis res creata, ſicut habet cauſam efficientem, à qua eſt, ita & finalem, ad quam refertur; igitur non eſt finis vltimus. Deinde ex parte objecti beatifici ſic arguo, objectum beatificum ſumi poteſt, vel quà cognitum, vel quà volitum: quà cognitum, eſt verum omnium maximè perficiens intellectum; & quà volitum, eſt bonum omnium pleniſſimè voluntatem exſatians: at tale verum cognitum, non eſt res creata, quia habet veritatem tantùm participatam, quæ non eſt perfectio

vltima intellectus; & tale bonum volitum non eſt quoque res creata, quia habet bonitatem duntaxat participatam, quæ non plenè voluntatem ſatiat: hæc ratio eſt D. Thomæ, 1. 2. q. 2. a. vltim. & q. 3. a. 7. quæ ſupponit Deum eſſe cauſam omnis entitatis, veritatis, & bonitatis, quæ ſunt in creaturis, adeóque nullam creaturam eſſe ſummè veram, & ſummè bonam. Nam Deus eſt ſemper magis verus, & magis bonus juxta illud pronunciatum; Propter quod vnumquodque eſt tale, illud ipſum magis tale: at creaturæ ſunt veræ, & bonæ propter, & per Deum: itaque Deus ipſis magis verus eſt, & magis bonus.

3. Probatur idem antecedens per partes. Nec bona fortunæ, nec bona corporis, nec bona animi ſunt objectiva beatitudo hominis: ergo nullum bonum creatum poteſt beare hominem.

Non bona fortunæ, quæ quatuor numerantur, divitiæ, honores, fama, & poteſtas. 1. quia quidquid beatum hominem reddit, debet ipſum intrinſecè perficere, quia homo ordinatur ad beatitudinem ex principiis intrinſecis. Deinde in ejus poteſtate eſſe ex primo & quarto principio: at bona fortunæ oriuntur à cauſis extrinſecis, nec nos intrinſecè perficiunt; hinc dixit Ariſtoteles, beatitudinem noſtram non poſſe eſſe à fortuna; tum quia fortunæ tribuere id, quod eſt optimum, maximè pernicioſum eſt; tum quia quæ fiunt à fortuna, non fiunt optimo modo, fortuna enim eſt cauſa per accidens; tum quia felix, vt ait ipſe 7. Polit. c. 1. per ſe ipſum, & in ſe ipſo felix eſt; denique non ſunt in noſtra poteſtate, ſed ex alterius nutu, & voluntate pendent bona fortunæ. Mitto quòd communia ſint bonis, & malis, ita vt à

viris malis, & faciliùs obtineantur, & abundantiùs poſſideantur: at beatitudo non poteſt eſſe communis bonis, & malis; eſt enim præmium virtutis.

Non divitiæ: nam vel ſunt naturales, vt cibus; vel artificiales, vt pecuniæ: at neutræ poſſunt eſſe beatitudo, quia non ſunt propter ſe expetibiles ex 1. Ethic. c. 5. & 1. Polit. c. 5. & 6. Nam artificiales propter naturales comparantur, naturales verò ad vitæ ſuſtentationem referuntur, ambæ in gratiam hominis inſtitutæ. Quid quòd magno acquiruntur labore, majori cum timore conſervantur, maximo dolore amittuntur? ideóque Ariſtoteles earum amiſſionem, & conſervationem violentam appellat, lib. 1. Ethic. c. 5. aítque eos minùs rectè ſentire, qui beatitudinem in divitiis ponunt, quàm qui in bono delectabili. Denique divitiis bene aut malè vti poſſumus: at beatitudo eſt ſummum bonum, quo nemo malè vti poteſt, ex lib. 1. Ethic. c. 12. quia ex ſua natura non poteſt eſſe principium vllius mali.

Non honor: 1. quia honor quæritur propter virtutem, vt pote teſtimonium illius excellentiæ. 2. Honor eſt in honorante magis, quàm in honorato; licèt enim quis poſſideat omnis generis virtutes, non eſt in illiùs poteſtate, vt ob illas honoretur, ſed in poteſtate honorantis, qui ſi velit, ceſſabit ab actu honorandi: at ſummum bonum debet eſſe in poteſtate beati ex 4. principio. 3. Poteſt facilè eripi: at ſummum bonum debet eſſe ſtabile ex eodem principio.

Non gloria, & fama; quatenus ſignificat claram, & frequentem cum laude notitiam. 1. Laus, & fama conſiſtunt in paſſione, nempe in notitia

excellentiæ, quatenus denominat cognitum, non cognoſcentem; cognoſci autem paſſio quædam eſt, & qui laudat, cognoſcit alterius excellentiam, extollítque: qui laudatur, cognoſcitur: at beatitudo non eſt poſita in paſſione; nobilius enim eſt agere, quàm pati, & de ratione beatitudinis objectivæ eſt, vt per ipſam actionem beati comparetur poſſideatúrque. 2. Laus, & gloria non poteſt vniri cum beato, vtpote actio immanens, quæ in eo exiſtit, qui excellentiam, & cognoſcit, & laudat, nec eſt in laudato, niſi terminativè, & per denominationem extrinſecam.

Non potentia, & dominatus. 1. Omnis dominatus eſt ad finem ex natura ſua, dicit enim potentiam ad agendum, cujus actio refertur ad bonum populi. 2. inſtabilis ipſa per ſe ſe potentia, vt pote à fortunæ inconſtantia pendens. 3. bonis, & malis perinde, ac gloria, communis eſt: malos quippe promiſcuè cum bonis admittit; dignos, indignóſque confundit, non diſcernit, & meliores cum deterioribus ſæpè æquat dignitas, cùm præponere deberet. Denique potentia exiguis limitibus tum loci, tum temporis circumſcribitur.

Non bona corporis, quæ vel ſunt actus primi, ſanitas nimirum, robur, & pulchritudo: vel ſunt actus ſecundi, vt voluptas corporea, quæ ſenſibus percipitur. 1. Quia hæc omnia ex natura ſua ad bonum animæ, vt ad finem ſuum referuntur, ſicut ipſum corpus ad animam, cujus eſt quodammodo inſtrumentum conjunctum, 2. communia nobis ſunt cum belluis, in quibus ſæpe perfectiori modo reperiuntur; multa quippe animalia hominem ſuperant corporis viribus, velocitate motus, ſenſuum acumine: at beatitudo objectiva eſt bonum

Digitized by Google

homini proprium ex 4. principio, & ex Ariſtotele 1. Ethic. c. 7. 3. deeſt illis ſtabilitas; ſanitas enim morbis deperditur, robur corrumpitur ætate, pulchritudo caſibus variis defloreſcit. Probatur ampliùs de voluptate ſenſuum, 1. nulla voluptas ſenſus habet rationem finis ex natura ſua, quippe quæ ſit generatio, & acquiſitio alicujus boni, quod eſt naturæ ſentienti congruum; vel certè cum tali generatione, & motu connexa, ex Ariſt. 7. Ethic. c. 12. ideóque ſupponit in natura ſenſibili aliquod bonum deficere, quod generationem, & motum conſequitur. 2. ſummum hominis bonum nobiliorem hominis partem per ſe afficere debet, vtpote ipſi, quatenus homo eſt, conveniens: voluptates corporeæ afficiunt partem ſenſitivam dumtaxat; hinc Ariſtoteles, lib. 1. c. 3. & l. 7. c. 11. vitam voluptuariam vocat vitam mancipiorum, & pecudum, obſervátque ibidem voluptatis nomen nonniſi abuſivè voluptatibus corporis tribui, quas vult tantùm à veris, & germanis voluptatibus differre, quantùm homo pictus ab homine vero diſcrepat. Denique voluptate corporea nihil fugacius, inſtabilius nihil, teſte Seneca, lib. de brevitate vitæ, cap. 16. ad Paulinum. *Ipſa*, inquit, *voluptates eorum trepida, & variis terroribus inquieta ſunt, ſubitque cùm maximè exultantes ſollicita cogitatio, hæc quamdiu? Ab hoc effectu reges ſuam flevere potentiam, nec illos magnitudo fortuna ſua delectavit, ſed venturus aliquando finis exterruit.*

Non denique bona animi, quæ quatuor recenſentur; ſubſtantia animæ, potentiæ, habitus, & operationes. Non ſubſtantia animæ, quia ſi anima beare hominem poſſet, vt eſt forma dans eſſe humanum, quilibet homo eſſet beatus, quamdiu

eſſet, quo nihil abſurdius, 2. tum ſubſtantia animæ, tum facultates ſunt à natura inſitæ, & ad operationes referuntur: at beatitudo nemini eſt à natura inſita, nec aliò refertur: non habitus virtutum, quia habitus ordinantur ad actus; vt enim potentiæ ſunt propter operationem ſimpliciter, ita habitus propter operationem faciliorem. Adde poſſeſſionem virtutis eſſe propter vſum; nemo enim juſtus laudatur, niſi qui juſtitiam exercet, nec fortis habetur, niſi qui fortiter, cùm opus eſt, pugnat. Præterea qui præditus eſt virtute, dormire poteſt, inquit Ariſtoteles: ergo poteſt nihil agere: at qui dormit, & nihil agit, non eſt beatus: hinc Albertus habitum comparat ſomno, actionem vigiliæ: at vigilia melior eſt ſomno: igitur & actio habitu præſtantior. Denique virtus eſt inſtrumentum beatitudinis comparandæ: ergo non eſt ipſa beatitudo. Non operationes animæ intellectivæ. Nam omnis operatio animæ intelligentis vel eſt operatio intellectus ſpeculativi, vel intellectus practici, vel voluntatis: at nulla ex illis actionibus poteſt eſſe beatitudo objectiva hominis, quia non poteſt habere rationem finis; non poteſt autem habere rationem finis, quia eſt propter objectum; eſt enim inſtituta à natura actio tum intellectus vtriuſque, tum voluntatis, vt ſit quaſi vinculum, & nexus potentiarum, & objecti. Deinde actiones intellectus ſpeculativi ſubordinantur actionibus intellectus practici, & voluntatis, poſsúntque ex fine operantis aliò referri; actiones verò practicæ in ſpecie ſunt expetibiles propter aliud. Probátque Ariſtoteles, lib. 10. Ethic. c. 7. operationes Politicas, quibus commune bonum rectè conſtituitur; & bellicas, quibus idem bonum defenditur, eſſe

ad aliud. Sic finis actionum fortitudinis bellicæ, eſt victoria, & pax; virtutum moralium, vſus in vita humana, ſi circa res externas verſantur; bonum verò animæ intellectivæ, ſi circa affectus partis ſentientis moderandos occupantur.

Dices, licèt quodlibet ex bonis enumeratis, non poſſit eſſe beatitudo objectiva, tamen cumulum iſtiuſmodi bonorum poſſe conſtituere objectivam hominis felicitatem. Contrà 1. cumulus ille bonorum non eſt bonum vltimum, quia refertur ad Deum, nec ſufficiens eſt explendæ cupiditati animæ, quæ appetit ſummum bonum, nec in noſtra poteſtate, quis enim omnibus bonis creatis ſimul frui queat? Ad hæc, vt quis beatus ſit, non debet ejus appetitus ferri in oppoſita, & incompoſſibilia; quieſcere enim non poteſt facultas, quæ trahitur ad oppoſita: appetitus hominis fertur in bona oppoſita inter ſe, & incompoſſibilia, quamdiu hîc vivit, nempe in voluptatem corporis, & in bona animi, quæ ſunt inter ſe oppoſita; tum quia voluptates corporis ſæpe ſunt inhoneſtæ ob exuperantiam; bonum autem animi per ſe honeſtum; tum quia voluptates corporis nimiæ obtundunt mentis aciem, & ejus contemplationi officiunt; tum quia voluptas ex contemplatione orta morbos aliquando procreat; tum quia voluptates animi, ſi maximæ ſint, non ſe compatiuntur, 1. ob debilitatem organorum, 2. ob ſpirituum animalium inopiam; tum quia nemo poteſt ſimul exercere actus omnium virtutum, & rerum omnium aſſequi cognitionem; hinc Ariſtoteles, lib. 7. Ethic. c. 2. docet Deum vnum eſſe perfectè beatum, quia eſt perfectè ſimplex, ex quo fit, vt habeat vnum ſummum bonum nempe ſe ipſum, quod poſſidet per vnam ope-

rationem, quæ eſt realiter ipſe Deus.

Hinc homo fiet perfectè beatus in cœlo, quia divinam illam ſimplicitatem æmulabitur; Deum enim appetet, & in Deo omnia; corpus ſurget ſpiritale, ſenſúſque ipſi ſpiritales quodammodo evadent, non in ſubſtantia quidem, ſed in qualitate. Quare tunc non erit alius appetitus partis ſuperioris, & inferioris, ex quibus exiſtet mira conſenſio facultatum in vno Deo conquieſcentium. Contrà verò in damnatis maxima appetituum pugna radix erit omnium malorum; appetitu quippe naturali in Deum, vt finem vltimum citatiſſimè ferentur; appetitu verò elicito ex peccatis contracto eumdem, vt vindicem ſcelerum fugient, & averſabuntur.

Probatur ſecunda propoſitio, nempe quòd Deus ſit beatitudo objectiva hominis. Deus habet omnes conditiones ad beatitudinem objectivam hominis: ergo eſt beatitudo objectiva hominis. Probatur antecedens. 1. enim eſt finis vltimus, ad quem res omnes tendunt. 2. eſt ſummum bonum, & vt ait D. Thomas, lib. 1. contra gentes, c. 28. *Deus eſt vniverſaliter ens perfectum, cui non deeſt alicujus generis nobilitas.* Concinit D. Thomæ Auguſtinus, lib. 8. de Trinit. *Quid plura & plura? bonum hoc, & bonum illud: tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum, ſi potes; ita Deum videbis non alio bono bonum, ſed ipſum bonum.* Et verò nulla perfectio ipſi deeſt. Non phyſica, cùm ſit ens à ſe, & quidquid vel actu, vel potentiâ eſt, ab eo ſit, & in eo contineatur vel formaliter, vel eminenter. Non moralis, quia intellectus ejus, & voluntas ſunt regula omnis veritatis, & bonitatis. 3. nobiliorem hominis partem perficere poteſt, & qui-

dem intrinſecè, quia eſt purus ſpiritus, qui ſe ipſi cognoſcendum dat vt ſummè verum, & amandum vt ſummè bonum: at ſumma veritas maximè perficit intellectum, ſicut ſumma bonitas voluntatem. 4. maximè conveniens ob ſummam cum ipſo proportionem; non in ratione quidem entis, eſt enim infinitus, homo verò finitus; ſed in ratione potentiæ, & objecti: Deus quippe eſt maximè intelligibilis, juxtà, & amabilis; homo maximè intellectivus, & appetitivus. 5. ſufficientiſſimus eſt homini, cùm ſibi ipſe jam inde ab ipſa æternitate ſuffecerit; cui enim non ſufficiat fons totius bonitatis, & perfectionum omnium plenitudo? 6. in noſtra poteſtate eſt tale, ac tantum bonum facere noſtrum, & opulentam eam, ad quam nos ipſe deſtinat, adipiſci hæreditatem. 7. Deus eſt bonum ſtabile, nullíque obnoxium mutationi, quod ſemel poſſeſſum auferri numquam poteſt, & *gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*.

Ex his duabus propoſitionibus probatis patet veritas aſſertionis, nempe quòd ſolus Deus ſit beatitudo objectiva hominis: nam quidquid eſt, vel eſt creatura, vel Deus: nulla creatura habet conditiones requiſitas ad beatitudinem objectivam, vt confecimus prima propoſitione: Deus habet omnes conditiones requiſitas, vt patet ex ſecunda: ergo ſolus Deus eſt objectiva hominis beatitudo.

Confirmatur. Nec homo eſt ſua beatitudo objectiva, nec Angelus: ergo ſolus Deus. Probatur antecedens. Non homo eſt ſua beatitudo objectiva, quia eſſet ſui ipſius finis: at non poteſt eſſe ſui ipſius finis, quia cùm finis ſit cauſa, & id, quod propter finem, effectus; & omnis cauſa diſtinguatur ab effectu; ſanè homo non poteſt eſſe ſui finis.

Digitized by Google

Deinde prima omnium cauſa eſt finis vltimus : at homo eſt poſt efficientem, etiam quà poſſibilis: ergo nec ſui ipſius finis. Non Angelus, licèt enim perfectior ſit ipſo homine ſecundùm naturam, vtpote purus ſpiritus, tamen cùm perinde homo capax ſit beatitudinis ac Angelus, ratione finis non eſt Angelo inferior. Certè cùm vniverſa propter ſemet ipſum condiderit Deus, hinc conſequens eſt, vt homo intimam cum ipſo, tamquam cum prima cauſa, & fine vltimo conjunctionem habeat, quod ſatis probat cordis humani inquietudo, motúſque perpetuus, quo in Deum, tamquam in centrum fertur. Poſtremò ſi Angelus eſſet finis hominis, ex creatione hominis inferretur creatio Angeli: at hoc falſum; igitur Angelus non eſt finis hominis, nec proinde beatitudo objectiva: ergo ſolus Deus. Meritò itaque D. Auguſtinus, lib. 10. de Civit. Dei in has voces erumpit. *Animæ explendæ non ſufficit, niſi vnus Deus.* Et epiſt. 52. *Non facit hominem beatum quàm qui homines fecit. Nam qui bona tanta bonis, maliſque largitur, vt ſint vigentes ſenſibus, valentes viribus, opibúſque affluentes, ſe ipſum debet bonis, vt beati ſint.* Væ itaque animæ audaci, quæ ſperat, ſi à Deo receſſit, aliquid melius ſe habituram! Verſa, & reverſa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies. Ad hanc porrò quietem pervenire homo tantùm poteſt, aut Deo ſerviendo, aut fruendo. Primum pertinet ad hanc vitam, alterum ad futuram. Itaque finis hominis, & beatitudo eſt Deo obſequi in hac vita, vt aſſequatur in altera; aſſequitur autem amore potiſſimùm hoc tantum bonum, quod amat omne, quod poteſt amare, ſive ſciens, ſive neſciens: ſi neſcis, in vanum tendis; ſi

noſti, rectà tende, & ſic rende, vt poſſis aliquando pervenire. Auguſtinus, lib. 1. Soliloq. cap. 1.

§. 3. *Diluuntur objecta.*

OBIICIES 1. Felicitas humana in eo conſtituenda eſt, quod hominem optimum efficit: virtus hominem optimum efficit, præſertim ſi adulta, & corroborata ſit, aut certè meliorem reddit, quàm actio. Vt enim bonum dicimus Muſicum, non qui ſemel rectè modulatus ſit, ſed qui frequenter, & ex habitu rectè canat: ita probum dicimus, non qui vnam, aut alteram actionem proferat aliquando bonam, ſed qui ex firmata virtute iterum, ac ſæpius ſine labore laudabiliter agat: ergo magis à virtute boni dicimur, quàm ab actione virtutis. Reſpondeo conceſſa majore: nego minorem. Falſum enim eſt habitu virtutis ſolitariè, quàm actione virtutis hominem effici meliorem: habitu quidem cum actione conjuncto redditur magis bonus; at non habitu ſolo; immo ne redditur quidem bonus per habitum niſi ad actum referatur. Ad exemplum Muſici, Reſpondeo, id probare quidem nos ex actionibus externis ferre judicium de bonitate artis, aut morum, quia actiones internæ nos latent. Actio tamen externa virtutis non eſt certum bonitatis intimæ, & in animo hærentis ſignum; fictè ſiquidem agere poſſumus, & probitatem ementiri.

Objicies 2. Beatitudo objectiva eſt ſummè optabilis: divitiæ ſunt ſummè optabiles; nam ex lib. 1. Polit. c. 6. pecuniæ cupiditas infinita eſt. 2. beatitudo eſt ſtatus ex omnium bonorum complexione perfectus: divitiæ ſunt pars illius complexionis. Nam vi pecuniæ poſſideri videntur omnia, &

nummus, ex l. 5. Ethic. inventus eſt, vt eſſet quaſi vas, & ſponſor omnium rerum, quas quærimus. Ad primum diſtinguo minorem, divitiæ ſunt ſummè optabiles ex natura ſua, & per ſe, nego, per accidens, & ex pravitate hominis, C. deinde Ariſtoteles ait 1. Polit. divitiarum naturalium appetitionem eſſe finitam, quia naturæ indigentia limitibus certis continetur; artificioſarum autem cupiditatem eſſe infinitam per accidens, nempe ex perverſitate voluntatis immoderata, ex ſe enim ſubſerviunt naturalibus. Ad ſecundum, eſto, per pecuniam ea, quæ quærimus, comparemus, quid inde aliud ſequitur, niſi pecuniam ad aliud referri, adeóque non poſſe habere rationem finis? Deinde licèt pecuniâ multa ad vitæ præſidia comparare poſſimus, non ideo intima illa, in quibus ſita eſt felicitas, bona acquirere valemus, nec quiſquam nummo ſapientiam hactenus comparavit.

Objicies 3. Bonum jucundum eſt propter ſe expetibile: ergo poteſt eſſe beatitudo objectiva. Reſpondeo, nego bonum jucundum, ſeu voluptatem corpoream eſſe per ſe expetibilem, & vltimum finem, ſed tantùm per accidens, & ex depravatione voluntatis. Voluptas enim ex cibo, potúque percepta, ad vitam fovendam, & valetudinem conſervandam refertur; quæ ex connubio, ad liberorum procreationem, & perennem generis propagationem. Deinde jucunditas ſe habet ad beatitudinem, ſicut decor ad juventutem, éſtque ipſius beatitudinis appendix, & acceſſio quædam.

Objicies 4. Bona creata ſimul ſumpta poſſunt eſſe objectum beatitudinis humanæ, quia quod vni deeſt, ex alterius conſortio ſufficitur, & quaſi repræſentatur. Reſp. nego vnius boni creati defe-

Digitized by Google

ctum alterius conſortio corrigi, & ſuppleri poſſe. Numquam enim bona animi, & corporis efficient, vt bona fortunæ à cauſis exterioribus non oriantur, adeóque non ſint in noſtra poteſtate: nec bona fortunæ præſtabunt, vt bona corporis non ſint nobis cum brutis ipſis communia, & ad aliud non referantur. Denique bonorum corporis, & fortunæ communio non obtinebit vſquam, vt facultates, habitus, & actus non ſint propter animum, & objecta: ergo ſemper inerunt cuilibet bono creato ſua vitia quaſi domeſtica, quæ ab aliis bonis emendari numquam poterunt. Deinde cumulus bonorum creatorum, quantuſcumque ſit, pars erit ſemper minima objecti voluntatis, & inſtar guttulæ ad ipſius amplitudinem; occupare voluntatem poterit quidem, ſed non explere.

Objicies 5. Debet eſſe proportio inter potentiam, & objectum beatitudinis: nulla eſt Deum inter, & mentem noſtram proportio; Deus enim infinitus eſt, mens noſtra, & ejus actus quiddam finitum: ergo Deus non poteſt eſſe objectum noſtræ beatitudinis.

Reſpondeo diſt. majorem. Inter potentiam, & objectum beatitudinis debet eſſe proportio habitudinis, & ordinis, C. in ratione entis, N. at inter Deum, & mentem noſtram eſt proportio habitudinis, ſeu ordinis in eo poſita, quòd cùm Deus ſit ens ſummè intelligibile, & amabile, ab homine cognoſci, & amari poſſit; quòd Deus ſit perfectivus hominis, homo maximè perfectibilis. Deus quippe vel ſe cognoſcendum dat intellectui noſtro, vt eſt author naturæ in hoc vitæ ſtatu, per creaturam, in quo eſt beatitudo naturalis hominis: vel vt eſt author gratiæ per ipſam gratiam, habitus

Digitized by Google

ſupernaturales, & actus; & ſic nos elevat ad ſtatum ſupernaturalem, qui eſt viatoris proprius: vel in altero vitæ ſtatu, qui eſt proprius comprehenſoris, dat ſe cognoſcendum, vt authorem gloriæ per lumen beatificum, quo intellectum corroborat, & ita perficit vim inchoatam, & potentiam obedientialem, quam anima habet ad Deum clarè videndum. Præterea licèt intellectus, & voluntas ſint potentiæ finitæ ſubjectivè; ſunt tamen infinitæ objectivè, nec repleri poſſunt, niſi objecto infinito.

Objicies 6. Summum bonum debet eſſe in nobis, quia debet nos perficere intrinſecè, ſenſúſque pervadere intimos: at Deus non eſt in beatis, ſed extra: ergo non poteſt eſſe eorum beatitudo objectiva. Reſp. 1. diſt. maj. Debet eſſe in nobis objectivè, vt tabula in oculo, C. inhæſivè, & vt accidens in ſubjecto, N. Deus autem eſt in beatis objectivè, quia apprehenditur ab ipſorum intellectu, quem beatitudo formalis intrinſecè afficit perficítque. Huc adde, licèt Deus ſit extra beatum per immenſitatem, eſſe tamen totum intra illum, & ita ſufficienter illi præſentem eſſe, vt ab illo poſſideri queat.

Inſtabis. Summum viſibile, v. g. ſol non eſt ſummum bonum viſus: ergo nec ſummum intelligibile intellectus. Reſpondeo. Diſparem eſſe rationem, quòd ſummum viſibile lædat viſum lædendo organo: at ſummum intelligibile non lædit intellectum, nec ſummum appetibile appetitum rationalem, immo perficiunt compléntque, vt videbimus in libris de anima.

Objicies 7. Finis actuum humanorum eſt contemplatio Dei: ergo Deus non eſt finis eorum,

Digitized by Google

nec proinde beatitudo objectiva. Reſp. diſt. antecedens, finis quo, & formalis, C. finis qui, & objectivus, N: at Deus eſt finis qui, & objectivus. Contemplatio enim ex ſapientia oritur; ſapientia habet objectum ſupra ſe, nempe Deum, ejúſque perfectiones.

§. 3. *De beatitudine formali hujus ſtatus.*

QVIA homo ſpectari poteſt vel in ordine puræ naturæ, vel vt eſt in via ad finem ſupernaturalem; tendit enim ad cælum, vt viator ad terminum: quærendum hîc, quæ ſit beatitudo formalis hominis tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ. Cui quæſtioni vt ſatisfiat, ſit

OBSERVATIO I. Beatitudo formalis eſt in aliqua operatione perfectiſſima, eáque immanente; Perfectiſſima quidem, quia beatitudo formalis conjungit hominem objecto ſuo vltimo, & quidem perfectiſſimè: ergo per operationem perfectiſſimam; Immanente verò, quia beatitudo eſt vita hominis. At repugnat vivere hominem ſine aliqua operatione intrinſeca, quæ dicitur vita actualis: ergo debet eſſe immanens.

OBSERV. II. Operationes hominis perfectiſſimæ ſunt, intellectus, & voluntatis, quia ſunt propriæ hominis, vt homo eſt: ergo beatitudo formalis reponenda eſt in operatione vel intellectus, vel voluntatis, vel vtriuſque ſimul, quia eſt vnio potentiæ cum beatitudinis objecto: at vnio potentiæ cum objecto fit per operationem illius.

OBSERV. III. Iuxta Ariſtotelis principia duplex eſt naturalis beatitudo hominis, contem-

plativa, & activa, ſeu Politica. Ita Ariſtoteles, lib. 10. Ethic. cap. 8. *Ejus* . inquit, *quod ex corpore, & anima conflatum eſt, virtutes humanæ ſunt : ergo & vita ei conſentanea eſt beatitudo ; mentis autem beatitudo ſejuncta eſt.*

I. Assert. Naturalis beatitudo hominis, vt homo eſt, poſita eſt in cognitione abſtractiva Dei, id eſt, per ſpecies creaturarum cogniti, quamdiù hîc vitam degit.

Probatur. Beatitudo formalis naturalis hominis poſita eſt in Dei contemplatione, quia contemplatio eſt præſtantiſſima operatio, tum quia eſt facultatis præſtantiſſimæ, tum quia eſt aſſidua. Nam contemplari, inquit Ariſtoteles, aſſiduè magis, quàm operari aliquid poſſumus: ergo vel in intuitiva, vel in abſtractiva cognitione Dei conſiſtit. Non in intuitiva, quia eſt cognitio Dei, vt in ſe eſt, quæ non poteſt haberi per vires naturæ: ergo in abſtractiva, quæ eſt Dei mediatè, hoc eſt, per alienas ſpecies cogniti, nempe per creaturas, vt imagines divinæ bonitatis.

Quadruplex porrò eſt proprietas cognitionis abſtractivæ. 1. eſt mediata, quia mediis creaturis Deum attingit. 2. inadæquata, & ex parte tantùm, quia creatura quælibet repræſentat tantùm partem divinæ eſſentiæ. 3. obſcura, quia creaturæ repræſentant Deum obſcurè, quoad quid ſit. 4. non propria, quia eſt per ſpecies alienas. Ita Ariſtoteles, 1. Ethic. c. 8. ab initio ad finem, & 7. Polit. 1.

II. Assert. Beatitudo Politica eſſentialiter poſita eſt in actionibus prudentiæ; accidentaliter autem in aliis virtutibus, boniſque corporis, ſeu in geſtione muneris ex ratione, ac virtute Morali in vita perfecta, hoc eſt, in ætate perfecta, & anne-

Digitized by Google

xis fortunæ bonis, corporíſque integritate, vt inſtrumentis virtuti exercendæ idoneis.

Probatur 1. ex eodem ſic definiente beatitudinem Politicam. *Eſt actio animi ſecundùm virtutem optimam, & perfectiſſimam in vita perfecta.* Dicitur actio non habitus, 1. quia habitus eſt in dormientibus, 2. quia actus propter ſe expetitur, habitus propter actum, 3. quia per habitum homo eſt tantùm in potentia, vt perficiatur, actuetur, & finem conſequatur ſuum: at actio eſt actus ſecundus, quo vltimatè perficitur, & fini ſuo conjungitur. 2. In vita perfecta, id eſt, conſummata, & ſtabili. Nec enim vna actio facit hominem beatum, ſicut vna hirundo non facit ver, nec vna dies æſtatem. 3. Secundùm virtutem optimam, quia beatitudo actuoſa requirit prudentiam, ſicut contemplativa ſapientiam perfectam.

Probatur 2. Ariſtoteles activam beatitudinem requirit ad contemplativam, quia contemplatio, quæ beatum reddit animum, tranquilla eſſe debet: at tranquilla non poteſt eſſe ſine præſidio virtutum moralium. Nam paſſiones, & vitia turbant animum, & à contemplatione abducunt: ergo opus eſt actionibus virtutum moralium, quibus ſubigi, domaríque poſſint. Rursùs animus, quamdiù eſt in corpore, indiget ejus miniſterio ad operationes ritè obeundas: ergo bona corporis, ac fortunæ opus ſunt, ſine quibus corpori minùs bene ſit; hinc bona fortunæ conferunt non ad eſſe quidem ſummi boni, ſed ad bene eſſe, ſéque habent ad integritatem beatitudinis, ſicut manus ad integritatem corporis.

Porrò contemplativa nobilior eſt actuoſa, quia per eam magis accedit homo ad Dei beatitudi-

nem, qui ſcipſum ſemper contemplatur, 2. quia diuturnior, & tranquillior.

Objicies 1. Gratia in homine eſt quid perfectius cognitione Dei abſtractiva: ergo in ea reponenda eſt hominis beatitudo.

Reſp. nego conſeq. 1. Quia hîc agimus de beatitudine purè naturali: gratia autem eſt ordinis ſupernaturalis. 2. Beatitudo eſt in operatione: gratia eſt tantùm principium operationis.

Objicies 2. Contemplatio ſubſtantiarum ſpiritualium, v. g. Angelorum, poteſt conſtituere beatitudinem noſtram, quia ſunt ſubſtantiæ perfectæ.

Reſp. diſt. imperfectam, concedo: perfectam, nego. Rationem affert D. Thomas, 1. part. qu. 3. quòd Angelus ſit tantùm verus per participationem, ſicut eſt tantùm ens per participationem: at intellectus tamdiu inquietus eſt, quamdiu non attigerit verum per eſſentiam, quod eſt objectum illius proprium.

Objicies 3. Beatitudo naturalis hujus ſtatus non eſt continua: ergo nec perfecta.

Reſp. diſt. anteced. Non eſt perfecta abſolutè, concedo: reſpectivè ad hunc ſtatum, nego.

III. Assert. Beatitudo hominis viatoris conſiſtit eſſentialiter in actibus fidei, ſpei, & charitatis; integraliter verò in actibus virtutum moralium, cujuſmodi ſunt, religio, obedientia, miſericordia, &c.

Probatur prima pars. In eo conſtituenda eſt beatitudo hominis viatoris, per quod immediatè tendit ad beatitudinem ſupernaturalem alterius vitæ: per actus fidei, ſpei, & charitatis homo viator tendit immediatè ad beatitudinem ſupernaturalem

alterius vitæ: ergo beatitudo hominis viatoris conſiſtit eſſentialiter in actibus fidei, ſpei & charitatis.

Probatur ſecunda pars. Quia virtutes Morales tendunt ſaltem mediatè in Deum, & meritoriæ ſunt beatitudinis ſupernaturalis alterius vitæ, vt à charitate informantur; hinc Matth. 5. beati dicuntur miſericordes: beati mundo corde, &c.

Confirmatur vtraque pars aſſertionis. Deus cultum, & venerationem hominis exigit præſertim, vt primum principium vitæ naturalis, & moralis; vt ſupremus creaturæ ſuæ Dominus; vt principium veritatis; vt finis vltimus, & author beatitudinis noſtræ; denique vt pater amantiſſimus, & amicus, quàm qui maximè benevolus. Vt primum principium vitæ naturalis, & moralis, colitur religione: vt ſupremus creaturæ Dominus, obedientiâ: vt principium veritatis, fide: vt finis vltimus, & author beatitudinis, ſpe: vt pater, & amicus, charitate. Per religionem recognoſcimus excellentiam primi principii: per obedientiam, ſupremæ illius poteſtati nos vltro ſubjicimus: per fidem, ejus veracitati acquieſcimus: per ſpem, vt nobis bonum amamus: per charitatem, vt in ſe, ſibíque bonum vnicè diligimus, nos ipſi, vt amico, ipsúmque nobis arctiſſimè conjungimus. Nam qui Deum amat, in Deo manet, & Deus in eo.

Compendiaria itaque via ad cælum, eſt charitas. Primò, quia eſt principium meriti; veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimáque juſtitia. Secundò, quia viatori opus eſt alâ, quâ ad terminum faciliùs juxtà, & citiùs avolet; charitas autem eſt ala animæ, ex Auguſtino, quâ in cælum ſubvolat; hinc facilè expli-

cabis D. Anſelmum, dum ait lib. 2. cur Deus homo, creaturam rationalem factam eſſe à Deo, vt amet; ibi enim loquitur de hominis beatitudine, quæ in actibus charitatis potiſſimùm ſita eſt, ideóque amorem reſpicit quaſi finem; non autem de beatitudine patriæ, quæ eſſentialiter in viſione poſita eſt, atque adeò amorem, vt complementum, non vt finem ſpectat.

IV. Assert. Beatitudo hominis viatoris poteſt amitti. Probatur. Fides amitti poteſt per infidelitatis actum, ſpes per deſperationem, charitas per peccatum. Idem dixeris de beatitudine naturali, ſiquidem per graves morbos, aliáſque neceſſarias vitæ operationes à contemplatione ſapientiæ ſæpius abducimur.

Articvlvs II.

De beatitudine ſupernaturali hominis comprehenſoris.

Qvaestio hæc licèt Theologorum ſit, quia tamen Philoſophum Moralem, eúmque Chriſtianum inſtituendum ſuſcepimus, cui vnius Dei poſſeſſio, vt præmium laborum proponitur, hanc ideo quæſtionem à Theologia ad Philoſophiam traducimus.

§. 1. *De beatitudine objectiva ſupernaturali hominis in altera vita.*

I. Assertio. Obiectvm ſupernaturale hominis in altera vita, eſt Deus immediatè per ſe à beatis poſſidendus.

Hæc

Hæc aſſertio eſt de fide, Ioannis 3. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus in gloria, quoniam eum videbimus, ſicuti eſt.*

Probat 2. D. Thomas, 1. parte, quæſt.1.art.8. poſitis his tribus principiis:

1. Nemo perfectè beatus eſt, quamdiu appetendum aliquid ſupereſt, quia animus ſemper eſt in motu, numquam in quiete.

2. Potentia tunc dicitur tantùm perfecta, cùm vnitur proprio ſuo objecto.

3. Proprium objectum intellectus humani eſt rei eſſentia, ſeu quod quid eſt. Ita Ariſtoteles 3. de anima t. 26. Quibus poſitis, hanc ratiocinationem contexit. Tunc tantùm intellectus hominis acquieſcit, cùm attingit eſſentiam objecti proprii: ergo tunc tantùm beatus eſt homo, cùm attingit eſſentiam Dei immediatè, quæ eſt proprium ejus objectum.

Probatur conſeq. Tunc tantùm eſt beatus, cùm nihil deſiderandum ſupereſt; ex primo principio: atqui animus hominis tamdiu aliquid deſiderat, quamdiu non attingit Dei eſſentiam immediatè: ergo tunc tantùm eſt beatus, cùm attingit Dei eſſentiam immediatè. Prob. min. Cognitio divinæ eſſentiæ abſtractiva, ſeu per ſpecies creaturarum, non poteſt hominis deſiderium ſatiare, quia eſt cognitio cauſæ per effectus, ideóque mediata, inadæquata, & obſcura. At quiſquis cognoſcit cauſam per effectum, ſemper vltrà tendit, & ſcire cupit de cauſa, quid ſit. Quod deſiderium parit admirationem, & ad inquirendum excitat, vt notat Ariſtoteles, lib. 1. Metaph. cap. 2. Novit, v. g. aliquis ſolis eclipſim; ſtatim intellectus ejus notat illam ex aliqua cauſa oriri; quam quia ignorat,

admiratur, deinde admirando inquirit, nec deſinit inquirere, donec eſſentiam cauſæ aſſecutus ſit: ita à pari cùm animus eſſentiam effectus creati novit, excitatur ad cauſæ illius, nempe Dei naturam indagandam; quam cùm non poſſit perfectè aſſequi, niſi ipſi Deo immediatè vniatur, hinc ſequitur non fore beatum hominem, niſi viſo intuitivè Deo.

Objicies 1. Hoc argumentum probat viſionem Dei eſſe naturaliter poſſibilem, adeóque ſine auxilio ſupernaturali à nobis obtinendam.

Reſp. nego ſeq. Sed inde ſequitur tantùm hominem inclinari ad Deum videndum eo modo, quo eſt viſibilis, qui modus includitur tantùm confusè, & implicitè in appetitu innato. Quare vt argumentum hoc valeat, fides divina præire debet. Verbo dicam, appetitus illius innati objectum non eſt Deus in ſe, & clarè cognitus, ſed Deus aliquo modo poſſidendus.

Objicies 2. Deus clarè cognitus eſt ordinis ſupernaturalis: ergo non poteſt attingi ab intellectu humano, vt in ſe eſt. 2. Beatus videns Deum, multa adhuc appetit, v. g. converſionem peccatorum.

Reſp. ad primum. Intellectum beati elevandum per lumen gloriæ juxta illud Prophetæ, Pſal. 35. *Et in lumine tuo videbimus lumen*, id eſt, lumine gloriæ perfuſi, videbimus lumen tuum, id eſt Verbum.

Ad 2. Appetitus beatorum circa converſionem peccatorum eſt ſimplicis complacentiæ, non deſiderii, adeóque tranquillus.

Digitized by Google

§. 2. *In quo ſit poſita beatitudo formalis ſupernaturalis alterius vitæ.*

QVAESTIONEM priùs, quàm definiam, octo principia ſtatuo.

I. Beatitudo formalis eſt actio, per quam poſſidetur objectiva, ſitque Deus nobis præſens.

II. Beatitudo formalis ſumi poteſt vel eſſentialiter, vel accidentaliter, hoc eſt tam ſecundùm partes eſſentiales, quàm ſecundùm proprietates, & accidentium complexionem, ex quibus ille cumulus bonorum à Boëtio deſcriptus coaleſcit.

III. Poſſeſſio definitur à Theologis, & Iuriſconſultis apprehenſio, ſeu detenſio rei, quâ ita res eſt præſens, & in poteſtate poſſidentis, vt ex ea commoda omnia percipere poſſit. Ita Conradus de contractibus, qu. 4. Leſſius de Iuſt. & jure, lib. 2. cap. 3. & D. Thomas, qui poſſeſſionem vocat manualem apprehenſionem. Quamquam finem diſtinguit duplicem: alterum ſenſibilem, cujus poſſeſſionem reponit in manuali apprehenſione, aut alia ſimili: alterum intelligibilem, cujus conſecutionem ponit in operatione, quâ fit præſens.

IV. Triplex poſſeſſio diſtinguenda, phyſica, moralis, & intentionalis. Phyſica tunc eſt, cùm manu, aut alio inſtrumento res ita apprehenditur, tenetúrque, vt ſit in noſtra poteſtate. Moralis addit dominium, vi cujus vendere, alienare, donare rem poſſeſſam quis poſſit. Intentionalis denique eſt, quâ objectum cognoſcibile ita potentiæ præſens ſiſtitur, ejúſque conſtituitur in poteſtate, vt indè commoda omnia percipere valeat, ſic auris ſuo modo poſſidet Muſicam, oculus objectum pul-

chrum, intellectus objectum verum. De hac tertia hîc quæſtio eſt.

v. Ad poſſeſſionem perfectam tria requiruntur, nempe vt res poſſeſſa nobis vniatur 1. intimè, 2. perſeveranter, 3. vtiliter.

Intimè; nempe vel phyſicè, id eſt, vnione reali; vel moraliter, id eſt, vnione morali fundata in jure, quod ad rem poſſeſſam habemus, v. g. ad bona externa; vel intentionaliter, id eſt, per cognitionem. Permanenter, quia non cenſemur rem perfectè poſſidere, cùm de ea tantùm ad breve tempus diſponere poſſumus. Denique vtiliter, quia vi vnionis illius omnia prorsùs commoda, & vtilitates, quæ ex bono poſſeſſo fluunt, colligere debemus.

vi. Nemo beatus eſt formaliter, niſi per operationem. Ratio eſt Ariſtotelis, quia beatitudo formalis debet aliquid ponere intrinſecè in nobis, vnde beati reddamur: ergo id, quod ponit, vel eſt potentia, vel habitus, vel operatio. Non potentia, quia eſt propter actum, deinde improbus eſſet quoque beatus. Non habitus, quia habitu virtutis inſtructus dormire poteſt: At miſer, dum dormit, à felici nihil differt.

vii. Homo, vtpote intelligendi, & volendi facultate præditus, circa Deum verſari poteſt triplici actu ſibi proprio, nempe viſione intellectus, amore, & gaudio voluntatis. Quare hic triplex actus vel pertinet ad eſſentiam beatitudinis, vel certè ad illius integritatem; hinc

viii. Triplex celebrior ſententia in Scholis de beatitudine formali patriæ. Prima conſtituit illius eſſentiam in gaudio, quo animus ex Deo poſſeſſo, & amato perfunditur; quæ eſt Aureoli. Secunda, in triplici actu viſionis, amoris, & gaudii; quæ

eſt D. Bonaventuræ. Tertia, in vna Dei viſione, ex qua amor, & gaudium vt proprietates fluant; quæ D. Thomæ, 1. 2. qu. 3. art. 3. & Ariſt. 10. Ethic. c. 8.

§. 3. *Eſſentia formalis beatitudinis patriæ, in intuitiva Dei viſione conſiſtit.*

I. Assertio. Beatitvdo formalis patriæ non eſt poſita in viſione increata, quâ Deus ſeipſum videt, & quam creaturis communicat.

Probatur. Intellectus creatus non poteſt videre Deum, niſi per vitalem actionem, quæ oritur à principio intrinſeco ipſi beato, & in eo recipitur, & manet: at viſio increata non poteſt oriri à principio intrinſeco ipſi beato; ſed à Deo vno oritur: ergo beatus non poteſt videre Deum per viſionem increatam.

II. Assert. Non eſt etiam poſita in vnione, quam Deus habet cum homine per illapſum, ſeu per intimam præſentiam, quâ adeſt rebus creatis.

Probatur 1. Quia illapſus ille non eſt actio vitalis animæ beatæ: at formalis beatitudo hominis comprehenſoris, eſt vita ejuſdem animæ, ſicut beatitudo Dei eſt vita Dei. 2. Dæmones forent beati, quia illis eſt intimè præſens per immenſitatem. 3. Beati anima patitur tantùm à Deo ejuſmodi illapſum: at beatus agere debet, non tantùm pati. Quare ſit

III. Assert. Formalis beatitudo patriæ conſiſtit eſſentialiter in ſola Dei viſione intuitiva.

Probatur 1. In eo eſt ponenda beatitudo eſſentialis patriæ, in quo eſt ipſa eſſentia beatitudinis Dei. At ex Ariſtotele Dei felicitas in operatione con-

templativa poſita eſt. Audi ipſum, lib. 10. Moral. cap. 8. de deorum felicitate ſic loquentem. *Perfectam,* inquit, *felicitatem, contemplativam quamdam operationem eſſe, conſtare vel inde poſſet, quòd Deos beatos maximè, & felices eſſe exiſtimamus. Nam quales actiones eis attribuere debemus? juſtáſne? ſed ridiculi ſanè viderentur, ſi commercia facerent, & depoſita redderent, atque alia ejuſmodi inter ſe contraherent. Numquid fortes, vt formidoloſa ſuſtineant, & periclitentur, quia honeſtum ſit? an liberales? ſed cui dabunt? Abſurdum quippe, ſi etiam ipſis nummum, aut tale quidpiam adeſſe dicamus.* Et poſteà concludit: *Ei igitur, qui vivit, & actione, & effectione magis caret, præter contemplatiotionem quid reſtat?* Quare Dei operatio, cùm beatitudine excellat, contemplativa erit, & ex humanis ea erit feliciſſima, quæ huic eſt maximè cognata: ex quo patet quæ ſit Ariſtotelis ſententia de eſſentia beatitudinis.

2. Authoritate Scripturæ, Ioan. 3. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Et cap. 17. *Hæc eſt vita æterna,* inquit Chriſtus, *vt cognoſcant te verum Deum.*

3. Authoritate SS. PP. præſertim D. Auguſtini, Conc. in Pſal. 90. *Quidquid laboras,* inquit, *ad hoc laboras vt videas. Neſcio quid magnum eſt, quod viſuri ſumus, quando tota merces noſtra viſio eſt.* Item, lib. 5. de Civit. cap. 19. *Ibi non erit magna induſtria ditare ærarium publicum privatis rebus anguſtis, vbi theſaurus communis eſt veritatis.* Denique, lib. 4. in Geneſim, cap. 22. *Vident faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum, ſemper legunt, & numquam præterit, quod legunt, non clauditur codex eorum, quia tu ipſe illis hoc es, & es in æternum.*

4. Ratione. 1. In ea operatione eſt eſſentia beatitudinis formalis patriæ, quæ eſt perfecta Dei poſſeſſio: Sola viſio intuitiva eſſentiæ divinæ eſt perfecta Dei poſſeſſio: ergo in ſola Dei viſione poſita eſt eſſentia beatitudinis formalis patriæ. Major conſtat, nam quiſquis Deum perfectè poſſidet, præſentem habet, ac ſuum facit; qui porrò ſuum facit, beatus eſt eſſentialiter, quia omnia commoda ex eo vi poſſeſſionis percipit, quæ ſtatum illum decent. Quare prob. minor. Perfecta poſſeſſio eſt, quâ objectum ſiſtitur præſens poſſidenti, intimè, conſtanter, & vtiliter, ex quinto principio: Per viſionem intuitivam Deus ſiſtitur præſens beato intimè, conſtanter, vtiliter: ergo viſio Dei intuitiva eſt perfecta poſſeſſio. Probatur minor per partes. 1. Deus ſiſtitur præſens, quia intellectus quaſi manus animæ trahit ad ſe objectum, ſibíque vnit. 2. Intimè, quia objectum eſt maximè proportionatum intellectui elevato. 3. Conſtanter, quia lumen gloriæ, quo vnitur Deo, eſt indeficiens, ſicut objectum, à quo fluit, & mens beati, quæ recipit. 4. Vtiliter, quia viſio illa dat jus beato percipiendi commoda omnia, quæ ex tam excellenti objecto pro rata meritorum portione percipere poteſt; rapitur enim in amorem Dei, & quidem neceſſariò; deinde ex viſione, & amore immenſum conſequitur gaudium.

Confirmatur 1. Quia nulla eſt operatio alia, per quam Deus poſſideri poſſit: ergo ſola Dei viſio eſt perfecta poſſeſſio. Prob. ant. Nam ſi quæ eſſet, vel amor, vel gaudium. Non amor, quia amor abſtrahit à præſentia, & abſentia objecti. Siquidem in hoc diſtinguitur à deſiderio, quòd deſiderium feratur in bonum abſens; & à gaudio, quòd

gaudium ſit circa bonum præſens; amor ab vtroque abſtrahat. Poſſeſſio autem debet eſſe de re præſenti, & nobis vnita, vel phyſicè, vel moraliter, vel intentionaliter. 2. quia per amorem vtpote extaticum non poſſidemus, ſed poſſidemur; amans enim veluti tranſit in poſſeſſionem rei amatæ. Non gaudium, quia gaudium eſt delectatio de bono poſſeſſo, ex D. Thoma: ergo ſupponit objectum præſens, non facit: ergo ſolâ viſione Deus poſſidetur à beatis; hinc D. Thomas vocat intellectum manum animæ, quia eo tamquam manu anima objectum rapit ad ſe, occupat, tenet, trahit, per primam operationem, quæ ideo dicitur apprehenſio, & imago formalis objecti. Cùm è contra voluntas feratur extra ſe ad objectum, foras exeat, & in ipſum quodammodo ſe totam tranſmutet, non ſubſtantialiter, ſed accidentariò, hoc eſt ſecundùm affectionem.

Confirmatur 2. Eſſentia beatitudinis formalis patriæ eſt id, quod eſt primum in beato, & ex quo reliqua fluunt vt proprietates. At viſio Dei intuitiva eſt ejuſmodi. Nam eſt primus actus animæ beatæ circa Deum, ex quo vt ex radice amor, & gaudium fluunt.

Probatur denique hoc argumento à multis. Beatitudo eſſentialis eſt optima operatio optimæ facultatis circa optimum objectum, ex Ariſtotele 10. Moral. viſio intuitiva Dei eſt optima operatio optimæ facultatis circa optimum objectum, quia eſt operatio intellectus contemplativa circa Deum; licèt enim voluntas ſit nobilior intellectu in genere moris, ignobilior eſt in genere entis, & phyſicè.

Digitized by Google

§. 4. *Diluuntur objecta quæ petuntur ex Philoſophia.*

OBIICIES I. Tam cognitio abſtrahit à præſentia objecti, quàm amor: ergo per cognitionem non poſſidetur objectum.

Reſp. diſt. antec. Abſtractiva, concedo: intuitiva, nego. Nam abſtractiva cognitio eſt per alienas ſpecies, ideóque non requirit rem per ſe præſentem, ſed per aliquid vicarium: intuitiva verò, cùm ſit cognitio rei, vt in ſe eſt, & per propriam ſpeciem, exigit vtique realem objecti præſentiam.

Inſt. 1. Deus ante viſionem intuitivam erat præſens rebus omnibus, quia in ipſo vivimus, movemur, & ſumus.

Reſp. diſt. anteced. Præſentiâ immenſitatis, concedo: præſentiâ objecti, nego: fit enim præſens beatis per cognitionem intuitivam in ratione objecti immediati. Certè illapſus, quo Deus eſt præſens damnatis, non ideo beatos efficit.

Objicies 2. Poſſeſſio ſupponit dominium rei, quo eam alienare, donare & vendere ad libitum poſſimus: at beati non habent ejuſmodi dominium in Deum: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Poſſeſſio moralis, & externorum bonorum, concedo majorem: Poſſeſſio intentionalis, qualis eſt cognitio Dei intuitiva, nego majorem.

Inſt. 1. Videre pecunias, non eſt illas poſſidere: ergo à pari videre Deum, non eſt Deum poſſidere.

Reſp. Diſparitas eſt, quòd diverſa ſit ratio poſ-

Digitized by Google

ſeſſionis pro diverſa bonorum natura. Nam ſanitas, v. g. poſſidetur tantùm per intrinſecam exiſtentiam phyſicam: pecunia per appropriationem: Deus per viſionem; verùm ad pecuniæ, & bonorum cæterorum poſſeſſionem requiritur dominium. Porrò ad Dei poſſeſſionem non requiritur dominium, ſed ſufficit præſentia objectiva, eáque intima. Nam potentiæ cognoſcitivæ dicuntur poſſidere objecta, dum illis ſecundùm eſſe objectivum fiunt præſentia, quia non habent aliud eſſe, quàm eſſe objectivum reſpectu illarum potentiarum.

Inſt. 2. Non poteſt explicari quomodo illa viſio beatum reddat.

Reſp. nego. Nam primò omnem ſciendi cupiditatem ſatiat, quia per eam mens videt Deum, & in Deo omnia. 2. Quia per viſionem ſimilis Deo redditur, non realiter, ſed intentionaliter; viſio enim eſt quaſi quædam pictura divinitatis, quâ mens noſtra ejuſdem colores, & lineamenta ſibi quodammodo allinit, & ſic deiformis redditur. 3. quia eſt origo amoris, & impeccabilitatis. Nam ex viſione primò naſcitur amor Dei, & quidem neceſſariò, deinde gaudium. Et quoniam amor ille eſt actualis ſanctitas; ex actuali ſanctitate naſcitur impeccabilitas; ex impeccabilitate ſecuritas de perpetuitate beatitudinis, quæ non poteſt, niſi peccato amitti.

Inſt. 3. Poſſeſſio vt ſic, non eſt viſio: ergo viſio non eſt poſſeſſio.

Reſp. nego conſeq. Animal vt ſic, non eſt homo: ergo homo non eſt animal, quæ conſecutio?

Objicies 3. Amor vnit amantem rei amatæ: ergo eſt de eſſentia beatitudinis.

Reſp. diſt. ant. Vnione affectiva, ſeu paſſiva, quæ

Digitized by Google

amantem faciat præſentem rei amatæ, concedo: vnione reali, & activa, quæ objectum faciat præſens amanti, nego. Duplex quippe vnio, altera affectiva, moralis, & paſſiva, quâ potentia ſiſtitur præſens objecto, & in ipſum quodammodo tranſit: altera activa, & intentionalis, quâ potentia trahit ad ſe, ſiſtítque ſibi præſens objectum. Amor eſt vnio paſſiva: viſio intuitiva vnio activa, quâ ſiſtitur beato Deus præſens. Deinde amor eſt vnio affectiva, quia eſt deſiderium vnionis. At deſiderare vnionem non eſt reipsâ vniri. Certè hoc ſenſu amor eſt vnio, quòd efficiat, vt amans de ſolis bonis dilecti cogitet, non de ſuis, ídque velit vnum, quod velit dilectus.

Inſt. 1. Poſſeſſio ex Iuriſconſultis pertinet ad voluntatem poſſidentis.

Reſp. diſt. Paſſiva, concedo: activa, nego. Voluntas enim poſſidetur potiùs, quàm poſſidet, quia extra ſe erumpens, & illecebroſa divinæ bonitatis rapacitate prolecta, eſſentiæ ipſius quaſi abyſſo immergitur, fítque juris divini juxta placitum Platonis. Amans, quà amans, non eſt ſui, ſed amati. At intellectus poſſidet activè Deum, quia eum ſibi ſiſtit, & tamquam manus animæ apprehendit.

Objicies 4. Eſſentia beatitudinis eſt optima operatio optimæ facultatis: amor eſt optima operatio optimæ facultatis: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Optima operatio, quæ ſit poſſeſſio activa, concedo: quæ ſit poſſeſſio paſſiva, nego. At amor eſt tantùm poſſeſſio paſſiva, intellectio autem activa. 2. Nego minorem. Tum quia intellectus eſt regula, & fax ipſius voluntatis, quæ eſt potentia cœca, tum quia viſio eſt expreſſa Dei

ſimilitudo: quod amori, & gaudio non convenit; ille enim habet rationem impetus, & inclinationis; hoc verò eſt inſtar dulciſſimæ quietis. Deinde viſio Deum præſentem ſiſtit, & tenet, éſtque radix cæterorum actuum. 3. Diſt. Voluntas eſt melior intellectu in genere moris, eſto. Nam eſt principium meriti: in genere entis, nego.

Inſt. 1. Voluntas imperat intellectui; potentia imperans eſt nobilior obediente: ergo, &c.

Reſp. nego majorem. Imperium enim ex D. Thoma 1. 2. qu. 17. eſt actus rationis ordinantis cum quadam motione ad aliquid agendum.

Inſt. 2. Facultas libera eſt nobilior neceſſaria: Intellectus eſt facultas neceſſaria; voluntas libera: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Secundùm quid, eſto: ſimpliciter, nego. Deinde intellectus eſt ſaltem radicaliter liber, quatenus motiva libertati ſufficit, quibus ſe determinet.

Inſt. 3. Actus liber formaliter eſt perfectior non libero: ergo actus voluntatis eſt perfectior actu intellectus.

Reſp. nego antecedens abſolutè. Nam Deus ſe amat neceſſariò, creaturas verò liberè. Et tamen actus, quo ſe Deus amat neceſſariò, eſt perfectior actu, quo amat creaturas. Deinde actus amoris beatorum circa Deum eſt neceſſarius; & tamen eſt perfectior libero: ergo ex libertate actus, vt ſic, malè colligitur major potentiæ perfectio.

Objicies 5. Deus non habet rationem beatitudinis objectivæ, niſi provt eſt ſummum bonum: Deus ſub ratione ſummi boni eſt objectum ſolius voluntatis: ergo, &c.

Reſp. diſt. minorem. Sub ratione ſummi boni

vt amabilis, concedo: vt cognoſcibilis, nego. Vnde intellectus poteſt verſari circa ſummum bonum, apprehendendo, poſſidendo, & repræſentando: voluntas autem per modum ponderis inclinando.

Inſt. 1. Voluntas ſi tenderet in bonum perinde, ac intellectus, non diſtingueretur ab intellectu.

Reſp. diſt. Si tenderet modo communi, concedo: modo ſibi proprio, nego. At voluntas tendit in bonum amando, & proſequendo; intellectus apprehendendo, poſſidendo, & exprimendo.

Objicies 6. Poſſeſſio eſt jus operandi circa rem, aut illa vtendi: ergo non eſt operatio.

Reſp. diſt. ant. Poſſeſſio in actu primo, concedo: in actu ſecundo, nego. At viſio Dei, eſt poſſeſſio in actu ſecundo, adeóque actualis operatio.

Objicies 7. Nemo beatus, niſi qui fruitur ſummo bono: at non fruitur, niſi per voluntatem, quia fruitio eſt actus voluntatis; hinc D. Auguſtinus non putat beatum, niſi qui fruitur eo, quod amat: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Nemo beatus eſt integraliter, & completè, niſi qui fruitur ſummo bono. C. eſſentialiter. N. Quare fateor fruitionem eſſe partem integrantem, & accidentalem beatitudinis, non autem eſſentialem. Deinde viſio poteſt dici quædam fruitio cauſalis, & radicalis, quia eſt radix fruitionis formalis, quæ eſt actus voluntatis.

Inſt. 1. Ille actus eſt tantùm Dei poſſeſſio, quo Deus dicitur, & fit meus: Per viſionem Deus non dicitur, nec fit meus: ergo viſio non eſt poſſeſſio. Prob. minor. Deus non fit, dicitúrque meus, niſi dependenter ab acceptatione voluntatis: viſio non fit dependenter ab acceptatione voluntatis beati: ergo, &c.

Digitized by Google

Reſp. negatâ minore, diſtinguo illius probationem, niſi dependenter ab acceptatione formali ſemper, nego: eminentiali, & quaſi radicali, concedo: At viſio eſt acceptio eminentialis, & radicalis, quia vi illius datur beato jus ad omnia bona percipienda, quæ ex eſſentia beatitudinis neceſſariò ſequuntur, putà amor, gaudium, pax, quorum viſio eſt principium radicale; non eſt autem acceptatio formalis, quia acceptatio formalis eſt volitio. 2. Nego acceptationem propriè dictam requiri in beato, quia acceptatio ſtrictè ſumpta eſt actus voluntatis liber. At beatus neceſſariò rapitur ad amorem Dei, vt poſtea oſtendam.

Inſt. 2. In contractibus mutuis ſervatur illud, do, vt acceptes, & acceptas, quia do.

Reſp. Ita eſt, quia homines contrahunt inter ſe liberè; ideóque requiritur actus expreſſus voluntatis in contractibus bonorum creatorum. At vt ſtatim Deus ſe videndum præbet, rapit ad ſe felici neceſſitate intellectum beati, nec relinquit deliberandi locum.

Objicies 8. Quæ facultas verſatur circa objectum ſuum, illud poſſidet: voluntas verſatur circa Deum, vt objectum ſuum: ergo illum poſſidet.

Reſp. diſt. maj. Quæ facultas verſatur circa objectum, illud præſens ſibi ſiſtendo, concedo: non præſens ſiſtendo, ſed ſupponendo factum præſens, Nego. At ſolus intellectus ſiſtit ſibi objectum præſens, quia eſt expreſſio objecti; voluntas autem ſupponit jam præſens per cognitionem, quia eſt tendentia in objectum jam mente expreſſum.

Objicies 9. ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 3. art. 3. Ad perfectam cum Deo aſſimilationem non ſufficit

Digitized by Google

cognitio ſine amore.

Reſp. diſt. Ad perfectam aſſimilationem integralem, & accidentalem, concedo, eſſentialem, nego. Certè totus noſter eſt D. Thomas 1.2. qu. 3. art. 4. vbi docet in actu intellectus poſitam eſſe eſſentiam beatitudinis, ipſum conſule.

Inſt. 1. Beatitudo eſſentialis eſt perfecta vnio animæ cum Deo: non eſt perfecta, niſi per amorem: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Eſt perfecta vnio, quæ ſit poſſeſſio activa, concedo, paſſiva, nego. At vnio, quæ fit per voluntatem, eſt paſſiva, quâ non tam voluntas ſibi vnit objectum, quàm vnitur objecto, in ipſum ſe transformando; dum per intellectum ſiſtit ſibi Deum præſentem anima, vnítque activè, trahendo ad ſe, & exprimendo in ſe.

Inſt. 2. Beatitudo eſſentialis eſt vltima perfectio hominis: viſio non eſt vltima perfectio, ſed amor & gaudium: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Eſt vltima ordine intentionis, concedo maj. ordine generationis, & executionis, nego. Aliter corporis beatitudo eſſet de eſſentia beatitudinis, quia eſt redundantia quædam profluens ex anima in corpus, quæ vltima generatur. At clara Dei viſio eſt vltima ordine intentionis, ad quam vt finem vltimum reliquæ operationes ordinantur.

Inſt. 3. Viſio ordinatur ad amorem, non amor ad viſionem.

Reſp. diſt. Viſio ordinatur ad amorem, vt cauſa ad effectum, concedo: vt medium ad finem, aut pars ad partem eſſentialem, nego. Sic ſubſtantia ordinatur ad ſuas operationes, licèt perfectior ſit ſubſtantia in genere entis ſuis operationibus; ſed

Digitized by Google

ordinatur vt cauſa ad effectus, cùm tamen prior ſit in intentione ſuis operationibus.

Inſt. 4. Gaudium, & amor ſunt vltimi actus.

Reſp. diſtinguo, ordine generationis, concedo: ordine intentionis, nego. Priùs enim intenditur viſio, quàm amor. Nam ex Auguſtino, quidquid laboras, ad hoc laboras, vt videas. At non omne, quod eſt vltimum ordine generationis habet rationem finis, nam multa accidentia conſequuntur ad ſubſtantiæ exiſtentiam, licèt ſubſtantia ſit illorum finis.

Objicies 10. Ejuſdem potentiæ eſt præmium, cujus eſt meritum: at meritum eſt voluntatis: ergo & præmium.

Reſp. diſt. maj. Si potentia, quæ meretur, poſſidere poſſit, concedo: ſecus, nego. 2. major falſiſſima, nam manus pugnat in præmio, caput coronatur. Ratio eſt, quia anima ſola dicitur mereri præmium per vnam potentiam, & altera vti ad præmium conſequendum.

§. 4. *Diluuntur objecta petita ex Theologia.*

OBIICIES 1. Paſſim in Scripturis beatitudo dicitur gaudium, & voluptas. Ex Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Ex Davide, Pſal. 35. *Torrente voluptatis potabis eos.* Ex Boëtio, *Beatitudo eſt ſtatus ex bonorum omnium aggregatione perfectus.*

Reſp. diſt. Beatitudo eſt gaudium, voluptas, &c. accidentaliter, & completè concedo: eſſentialiter, nego. Nempe duo in beatitudine ſpectanda, eſſentia, quæ eſt viſio, & proprietates, quæ ſunt

amor, & gaudium. Sicut in homine animal rationale eſt tota eſſentia, intellectivum, & riſibile, proprietates. Ad Boëtium Reſp. deſcribi hîc beatitudinem, non ſtrictè definiri.

Inſt. Beatitudo eſſentialis poſita eſt in eo, quod eſt eſſentiale homini, quà homo eſt: at homo, quà homo, tam eſt eſſentialiter volitivus, quàm intellectivus.

Reſp. 1. Beatitudinem non in eſſentia hominis reponi, ſed in operatione, 2. diſt. in eo, quod eſt eſſentiale homini, & eſt aptum poſſidere activè, concedo: & eſt aptum poſſidere paſſivè, nego: at homo, quà volitivus, poteſt tantùm poſſidere paſſivè.

Objicies 2. Si eſſentia beatitudinis eſſet in viſione, poſſet ſtare ſumma miſeria cum beatitudine, quia poſſet ſtare peccatum cum viſione Dei: at peccatum eſt ſumma miſeria. Prob. major. Factâ hypotheſi, quòd Deus deneget concurſum beato ad amorem beatificum, détque tantùm ad viſionem, tunc beatus poterit peccare mortaliter.

Reſp. 1. Docent aliqui Theologi viſionem Dei eſſe formam formaliter ſanctificantem, ideóque ex eorum mente beatum ne abſolutè quidem poſſe peccare, quia ſanctitas cum peccato ſtare non poteſt. 2. In ſententia eorum, qui docent viſionem tollere peccatum tantùm radicaliter, & cauſaliter, quatenus eſt radix neceſſaria, connaturalíſque cauſa amoris divini, ſaltem fieri non poteſt connaturaliter, vt homo videns Deum, non amet ipſum, ſicut connaturaliter fieri non poteſt, vt ignis non calefaciat, aut certè fundat calorem ex ſe tamquam proprietatem. 3. Nego peccatum eſſe ſummam miſeriam formaliter, ſed tantùm cauſaliter.

Digitized by Google

gaudium ſit circa bonum præſens; amor ab vtroque abſtrahat. Poſſeſſio autem debet eſſe de re præſenti, & nobis vnita, vel phyſicè, vel moraliter, vel intentionaliter. 2. quia per amorem vtpote extaticum non poſſidemus, ſed poſſidemur; amans enim veluti tranſit in poſſeſſionem rei amatæ. Non gaudium, quia gaudium eſt delectatio de bono poſſeſſo, ex D. Thoma: ergo ſupponit objectum præſens, non facit: ergo ſolâ viſione Deus poſſidetur à beatis; hinc D. Thomas vocat intellectum manum animæ, quia eo tamquam manu anima objectum rapit ad ſe, occupat, tenet, trahit, per primam operationem, quæ ideo dicitur apprehenſio, & imago formalis objecti. Cùm è contra voluntas feratur extra ſe ad objectum, foras exeat, & in ipſum quodammodo ſe totam tranſmutet, non ſubſtantialiter, ſed accidentariò, hoc eſt ſecundùm affectionem.

Confirmatur 2. Eſſentia beatitudinis formalis patriæ eſt id, quod eſt primum in beato, & ex quo reliqua fluunt vt proprietates. At viſio Dei intuitiva eſt ejuſmodi. Nam eſt primus actus animæ beatæ circa Deum, ex quo vt ex radice amor, & gaudium fluunt.

Probatur denique hoc argumento à multis. Beatitudo eſſentialis eſt optima operatio optimæ facultatis circa optimum objectum, ex Ariſtotele 10. Moral. viſio intuitiva Dei eſt optima operatio optimæ facultatis circa optimum objectum, quia eſt operatio intellectus contemplativa circa Deum; licèt enim voluntas ſit nobilior intellectu in genere moris, ignobilior eſt in genere entis, & phyſicè.

Digitized by Google

§. 4. *Diluuntur objecta quæ petuntur ex Philoſophia.*

OBIICIES I. Tam cognitio abſtrahit à præſentia objecti, quàm amor: ergo per cognitionem non poſſidetur objectum.

Reſp. diſt. antec. Abſtractiva, concedo: intuitiva, nego. Nam abſtractiva cognitio eſt per alienas ſpecies, ideóque non requirit rem per ſe præſentem, ſed per aliquid vicarium: intuitiva verò, cùm ſit cognitio rei, vt in ſe eſt, & per propriam ſpeciem, exigit vtique realem objecti præſentiam.

Inſt. 1. Deus ante viſionem intuitivam erat præſens rebus omnibus, quia in ipſo vivimus, movemur, & ſumus.

Reſp. diſt. anteced. Præſentiâ immenſitatis, concedo: præſentiâ objecti, nego: fit enim præſens beatis per cognitionem intuitivam in ratione objecti immediati. Certè illapſus, quo Deus eſt præſens damnatis, non ideo beatos efficit.

Objicies 2. Poſſeſſio ſupponit dominium rei, quo eam alienare, donare & vendere ad libitum poſſimus: at beati non habent ejuſmodi dominium in Deum: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Poſſeſſio moralis, & externorum bonorum, concedo majorem: Poſſeſſio intentionalis, qualis eſt cognitio Dei intuitiva, nego majorem.

Inſt. 1. Videre pecunias, non eſt illas poſſidere: ergo à pari videre Deum, non eſt Deum poſſidere.

Reſp. Diſparitas eſt, quòd diverſa ſit ratio poſ-

Digitized by Google

ſeſſionis pro diverſa bonorum natura. Nam ſanitas, v. g. poſſidetur tantùm per intrinſecam exiſtentiam phyſicam: pecunia per appropriationem: Deus per viſionem; verùm ad pecuniæ, & bonorum cæterorum poſſeſſionem requiritur dominium. Porrò ad Dei poſſeſſionem non requiritur dominium, ſed ſufficit præſentia objectiva, eáque intima. Nam potentiæ cognoſcitivæ dicuntur poſſidere objecta, dum illis ſecundùm eſſe objectivum fiunt præſentia, quia non habent aliud eſſe, quàm eſſe objectivum reſpectu illarum potentiarum.

Inſt. 2. Non poteſt explicari quomodo illa viſio beatum reddat.

Reſp. nego. Nam primò omnem ſciendi cupiditatem ſatiat, quia per eam mens videt Deum, & in Deo omnia. 2. Quia per viſionem ſimilis Deo redditur, non realiter, ſed intentionaliter; viſio enim eſt quaſi quædam pictùra divinitatis, quâ mens noſtra ejuſdem colores, & lineamenta ſibi quodammodo allinit, & ſic deiformis redditur. 3. quia eſt origo amoris, & impeccabilitatis. Nam ex viſione primò naſcitur amor Dei, & quidem neceſſariò, deinde gaudium. Et quoniam amor ille eſt actualis ſanctitas; ex actuali ſanctitate naſcitur impeccabilitas; ex impeccabilitate ſecuritas de perpetuitate beatitudinis, quæ non poteſt, niſi peccato amitti.

Inſt. 3. Poſſeſſio vt ſic, non eſt viſio: ergo viſio non eſt poſſeſſio.

Reſp. nego conſeq. Animal vt ſic, non eſt homo: ergo homo non eſt animal, quæ conſecutio?

Objicies 3. Amor vnit amantem rei amatæ: ergo eſt de eſſentia beatitudinis.

Reſp. diſt. ant. Vnione affectiva, ſeu paſſiva, quæ

amantem faciat præſentem rei amatæ, concedo: vnione reali, & activa, quæ objectum faciat præſens amanti, nego. Duplex quippe vnio, altera affectiva, moralis, & paſſiva, quâ potentia ſiſtitur præſens objecto, & in ipſum quodammodo tranſit: altera activa, & intentionalis, quâ potentia trahit ad ſe, ſiſtítque ſibi præſens objectum. Amor eſt vnio paſſiva: viſio intuitiva vnio activa, quâ ſiſtitur beato Deus præſens. Deinde amor eſt vnio affectiva, quia eſt deſiderium vnionis. At deſiderare vnionem non eſt reipsâ vniri. Certè hoc ſenſu amor eſt vnio, quòd efficiat, vt amans de ſolis bonis dilecti cogitet, non de ſuis, ídque velit vnum, quod velit dilectus.

Inſt. 1. Poſſeſſio ex Iuriſconſultis pertinet ad voluntatem poſſidentis.

Reſp. diſt. Paſſiva, concedo: activa, nego. Voluntas enim poſſidetur potiùs, quàm poſſidet, quia extra ſe erumpens, & illecebroſa divinæ bonitatis rapacitate prolecta, eſſentiæ ipſius quaſi abyſſo immergitur, fítque juris divini juxta placitum Platonis. Amans, quà amans, non eſt ſui, ſed amati. At intellectus poſſidet activè Deum, quia eum ſibi ſiſtit, & tamquam manus animæ apprehendit.

Objicies 4. Eſſentia beatitudinis eſt optima operatio optimæ facultatis: amor eſt optima operatio optimæ facultatis: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Optima operatio, quæ ſit poſſeſſio activa, concedo: quæ ſit poſſeſſio paſſiva, nego. At amor eſt tantùm poſſeſſio paſſiva, intellectio autem activa. 2. Nego minorem. Tum quia intellectus eſt regula, & fax ipſius voluntatis, quæ eſt potentia cœca, tum quia viſio eſt expreſſa Dei

ſimilitudo: quod amori, & gaudio non convenit; ille enim habet rationem impetus, & inclinationis; hoc verò eſt inſtar dulciſſimæ quietis. Deinde viſio Deum præſentem ſiſtit, & tenet, éſtque radix cæterorum actuum. 3. Diſt. Voluntas eſt melior intellectu in genere moris, eſto. Nam eſt principium meriti: in genere entis, nego.

Inſt. 1. Voluntas imperat intellectui; potentia imperans eſt nobilior obediente: ergo, &c.

Reſp. nego majorem. Imperium enim ex D. Thoma 1. 2. qu. 17. eſt actus rationis ordinantis cum quadam motione ad aliquid agendum.

Inſt. 2. Facultas libera eſt nobilior neceſſaria: Intellectus eſt facultas neceſſaria; voluntas libera: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Secundùm quid, eſto: ſimpliciter, nego. Deinde intellectus eſt ſaltem radicaliter liber, quatenus motiva libertati ſufficit, quibus ſe determinet.

Inſt. 3. Actus liber formaliter eſt perfectior non libero: ergo actus voluntatis eſt perfectior actu intellectus.

Reſp. nego antecedens abſolutè. Nam Deus ſe amat neceſſariò, creaturas verò liberè. Et tamen actus, quo ſe Deus amat neceſſariò, eſt perfectior actu, quo amat creaturas. Deinde actus amoris beatorum circa Deum eſt neceſſarius; & tamen eſt perfectior libero: ergo ex libertate actus, vt ſic, malè colligitur major potentiæ perfectio.

Objicies 5. Deus non habet rationem beatitudinis objectivæ, niſi provt eſt ſummum bonum: Deus ſub ratione ſummi boni eſt objectum ſolius voluntatis: ergo, &c.

Reſp. diſt. minorem. Sub ratione ſummi boni

Digitized by Google

vt amabilis, concedo: vt cognoſcibilis, nego. Vnde intellectus poteſt verſari circa ſummum bonum, apprehendendo, poſſidendo, & repræſentando: voluntas autem per modum ponderis inclinando.

Inſt. 1. Voluntas ſi tenderet in bonum perinde, ac intellectus, non diſtingueretur ab intellectu.

Reſp. diſt. Si tenderet modo communi, concedo: modo ſibi proprio, nego. At voluntas tendit in bonum amando, & proſequendo; intellectus apprehendendo, poſſidendo, & exprimendo.

Objicies 6. Poſſeſſio eſt jus operandi circa rem, aut illa vtendi: ergo non eſt operatio.

Reſp. diſt. ant. Poſſeſſio in actu primo, concedo: in actu ſecundo, nego. At viſio Dei, eſt poſſeſſio in actu ſecundo, adeóque actualis operatio.

Objicies 7. Nemo beatus, niſi qui fruitur ſummo bono: at non fruitur, niſi per voluntatem, quia fruitio eſt actus voluntatis; hinc D. Auguſtinus non putat beatum, niſi qui fruitur eo, quod amat: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Nemo beatus eſt integraliter, & completè, niſi qui fruitur ſummo bono. C. eſſentialiter. N. Quare fateor fruitionem eſſe partem integrantem, & accidentalem beatitudinis, non autem eſſentialem. Deinde viſio poteſt dici quædam fruitio cauſalis, & radicalis, quia eſt radix fruitionis formalis, quæ eſt actus voluntatis.

Inſt. 1. Ille actus eſt tantùm Dei poſſeſſio, quo Deus dicitur, & fit meus: Per viſionem Deus non dicitur, nec fit meus: ergo viſio non eſt poſſeſſio. Prob. minor. Deus non fit, dicitúrque meus, niſi dependenter ab acceptatione voluntatis: viſio non fit dependenter ab acceptatione voluntatis beati: ergo, &c.

Reſp. negatâ minore, diſtinguo illius probationem, niſi dependenter ab acceptatione formali ſemper, nego: eminentiali, & quaſi radicali, concedo: At viſio eſt acceptio eminentialis, & radicalis; quia vi illius datur beato jus ad omnia bona percipienda, quæ ex eſſentia beatitudinis neceſſariò ſequuntur, putà amor, gaudium, pax, quorum viſio eſt principium radicale; non eſt autem acceptatio formalis, quia acceptatio formalis eſt volitio. 2. Nego acceptationem propriè dictam requiri in beato, quia acceptatio ſtrictè ſumpta eſt actus voluntatis liber. At beatus neceſſariò rapitur ad amorem Dei, vt poſtea oſtendam.

Inſt. 2. In contractibus mutuis ſervatur illud, do, vt acceptes, & acceptas, quia do.

Reſp. Ita eſt, quia homines contrahunt inter ſe liberè; ideóque requiritur actus expreſſus voluntatis in contractibus bonorum creatorum. At vt ſtatim Deus ſe videndum præbet, rapit ad ſe felici neceſſitate intellectum beati, nec relinquit deliberandi locum.

Objicies 8. Quæ facultas verſatur circa objectum ſuum, illud poſſidet: voluntas verſatur circa Deum, vt objectum ſuum: ergo illum poſſidet.

Reſp. diſt. maj. Quæ facultas verſatur circa objectum, illud præſens ſibi ſiſtendo, concedo: non præſens ſiſtendo, ſed ſupponendo factum præſens, Nego. At ſolus intellectus ſiſtit ſibi objectum præſens, quia eſt expreſſio objecti; voluntas autem ſupponit jam præſens per cognitionem, quia eſt tendentia in objectum jam mente expreſſum.

Objicies 9. ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 3. art. 3. Ad perfectam cum Deo aſſimilationem non ſufficit

cognitio ſine amore.

Reſp. diſt. Ad perfectam aſſimilationem integralem, & accidentalem, concedo, eſſentialem, nego. Certè totus noſter eſt D. Thomas 1.2. qu. 3. art. 4. vbi docet in actu intellectus poſitam eſſe eſſentiam beatitudinis, ipſum conſule.

Inſt. 1. Beatitudo eſſentialis eſt perfecta vnio animæ cum Deo: non eſt perfecta, niſi per amorem: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Eſt perfecta vnio, quæ ſit poſſeſſio activa, concedo, paſſiva, nego. At vnio, quæ fit per voluntatem, eſt paſſiva, quâ non tam voluntas ſibi vnit objectum, quàm vnitur objecto, in ipſum ſe transformando; dum per intellectum ſiſtit ſibi Deum præſentem anima, vnítque activè, trahendo ad ſe, & exprimendo in ſe.

Inſt. 2. Beatitudo eſſentialis eſt vltima perfectio hominis: viſio non eſt vltima perfectio, ſed amor & gaudium: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Eſt vltima ordine intentionis, concedo maj. ordine generationis, & executionis, nego. Aliter corporis beatitudo eſſet de eſſentia beatitudinis, quia eſt redundantia quædam profluens ex anima in corpus, quæ vltima generatur. At clara Dei viſio eſt vltima ordine intentionis, ad quam vt finem vltimum reliquæ operationes ordinantur.

Inſt. 3. Viſio ordinatur ad amorem, non amor ad viſionem.

Reſp. diſt. Viſio ordinatur ad amorem, vt cauſa ad effectum, concedo: vt medium ad finem, aut pars ad partem eſſentialem, nego. Sic ſubſtantia ordinatur ad ſuas operationes, licèt perfectior ſit ſubſtantia in genere entis ſuis operationibus; ſed

Digitized by Google

ordinatur vt cauſa ad effectus, cùm tamen prior ſit in intentione ſuis operationibus.

Inſt. 4. Gaudium, & amor ſunt vltimi actus.

Reſp. diſtinguo, ordine generationis, concedo: ordine intentionis, nego. Priùs enim intenditur viſio, quàm amor. Nam ex Auguſtino, quidquid laboras, ad hoc laboras, vt videas. At non omne, quod eſt vltimum ordine generationis habet rationem finis, nam multa accidentia conſequuntur ad ſubſtantiæ exiſtentiam, licèt ſubſtantia ſit illorum finis.

Objicies 10. Ejuſdem potentiæ eſt præmium, cujus eſt meritum: at meritum eſt voluntatis: ergo & præmium.

Reſp. diſt. maj. Si potentia, quæ meretur, poſſidere poſſit, concedo: ſecus, nego. 2. major falſiſſima, nam manus pugnat in præmio, caput coronatur. Ratio eſt, quia anima ſola dicitur mereri præmium per vnam potentiam, & altera vti ad præmium conſequendum.

§. 4. *Diluuntur objecta petita ex Theologia.*

OBIICIES 1. Paſſim in Scripturis beatitudo dicitur gaudium, & voluptas. Ex Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Ex Davide, Pſal. 35. *Torrente voluptatis potabis eos.* Ex Boëtio, *Beatitudo eſt ſtatus ex bonorum omnium aggregatione perfectus.*

Reſp. diſt. Beatitudo eſt gaudium, voluptas, &c. accidentaliter, & completè concedo: eſſentialiter, nego. Nempe duo in beatitudine ſpectanda, eſſentia, quæ eſt viſio, & proprietates, quæ ſunt

amor, & gaudium. Sicut in homine animal rationale eſt tota eſſentia, intellectivum, & riſibile, proprietates. Ad Boëtium Reſp. deſcribi hîc beatitudinem, non ſtrictè definiri.

Inſt. Beatitudo eſſentialis poſita eſt in eo, quod eſt eſſentiale homini, quà homo eſt: at homo, quà homo, tam eſt eſſentialiter volitivus, quàm intellectivus.

Reſp. 1. Beatitudinem non in eſſentia hominis reponi, ſed in operatione, 2. diſt. in eo, quod eſt eſſentiale homini, & eſt aptum poſſidere activè, concedo: & eſt aptum poſſidere paſſivè, nego: at homo, quà volitivus, poteſt tantùm poſſidere paſſivè.

Objicies 2. Si eſſentia beatitudinis eſſet in viſione, poſſet ſtare ſumma miſeria cum beatitudine, quia poſſet ſtare peccatum cum viſione Dei: at peccatum eſt ſumma miſeria. Prob. major. Factâ hypotheſi, quòd Deus deneget concurſum beato ad amorem beatificum, détque tantùm ad viſionem, tunc beatus poterit peccare mortaliter.

Reſp. 1. Docent aliqui Theologi viſionem Dei eſſe formam formaliter ſanctificantem, ideóque ex eorum mente beatum ne abſolutè quidem poſſe peccare, quia ſanctitas cum peccato ſtare non poteſt. 2. In ſententia eorum, qui docent viſionem tollere peccatum tantùm radicaliter, & cauſaliter, quatenus eſt radix neceſſaria, connaturaliſque cauſa amoris divini, ſaltem fieri non poteſt connaturaliter, vt homo videns Deum, non amet ipſum, ſicut connaturaliter fieri non poteſt, vt ignis non calefaciat, aut certè fundat calorem ex ſe tamquam proprietatem. 3. Nego peccatum eſſe ſummam miſeriam formaliter, ſed tantùm cauſaliter.

At ſumma miſeria cauſaliter poteſt ſtare cum ſumma felicitate formaliter ſumpta, ſicut calor, qui eſt cauſaliter ignis, poteſt ſtare cum aqua.

Inſt. 1. Saltem in hac ſententia poterit ſtare peccatum cum viſione Dei.

Reſp. diſt. Per ſe, & connaturaliter, nego: per accidens, & ex hypotheſi concurſus denegati ad amorem, tranſeat. Deinde licèt Deus deneget concurſum ad amorem, non idcirco oderit beatus, ſed ad ſummum non amabit.

Inſt. 2. Ergo ſaltem non erit beatus.

Reſp. diſt. eſſentialiter, nego: completè, & integraliter, concedo.

Inſt. 3. Supponamus Deum odio haberi à beato.

Reſpondeo 1. Theologos aliquos docere Deum non poſſe odio haberi à beato, quia nullam rationem mali in eo clarè viſo deprehendit. Deinde quia viſio Dei eſt beneficium amicitiæ divinæ longè maximum: ergo non poteſt Deus eam dare peccatori, vt pote inimico. Deinde tranſeat, quid inde?

Inſt. Felicitas, & infelicitas pugnant privativè. Ergo non poſſunt ſtare ſimul: ergo beatus non poteſt videre ſimul, & odiſſe.

Reſp. diſt. ant. Felicitas eſſentialis, & infelicitas eſſentialis opponuntur privativè, concedo: infelicitas accidentalis, nego. Sic viſio, & carentia viſionis non poſſunt ſimul eſſe in eodem intellectu beati. At viſio, & odium, quod eſt tantùm privatio amoris, quæ eſt pars integrans beatitudinis, non opponuntur privativè.

Inſt. Felicitas ſumma excludit ſummam miſeriam.

Reſp. diſt. Summam miſeriam formaliter, con-

cedo: ſummam miſeriam cauſaliter, quale eſt peccatum, nego. Nam viſio, quæ eſt ſumma felicitas beati, quia eſt eſſentia, excludit privationem viſionis Dei, cui opponitur formaliter. At non excludit abſolutè peccatum, quod eſt ſumma miſeria cauſaliter, tum quia extinguit charitatem, quæ eſt ſummum bonum viæ, & in qua eſt tota ratio meriti, tum quia ei, vt eſt averſio à Deo, reſpondet in inferis pœna damni primaria, nempe carentia viſionis.

Quæres, an poſſit beatus videndo Deum, eſſe ſummè triſtis? Reſp. abſolutè poſſe eſſe, non connaturaliter. Certè Chriſtus videbat Deum in ſtatu viæ, etiam vt homo, & tamen ſummâ triſtitiâ preſſus eſt in horto. At non poteſt eſſe ſummè triſtis de jactura ſummi boni, hoc eſt, de carentia viſionis, quia nemo poteſt Deum ſimul clarè videre, & non clarè videre.

Objicies 3. Talis eſt beatitudo noſtra, qualis divina: Divina non in ſola viſione poſita eſt, ſed etiam in amore; non enim ideo tantùm Pater eſt beatus, quia generat Filium per cognitionem, ſed etiam quia ſimul cum Filio producit Spiritum ſanctum per amorem.

Reſp. 1. Hoc argumentum ſolvendum Theologis. 2. In Deo diſtinguendum duplex genus actuum: alii ſunt notionales, ſeu perſonarum: alii eſſentiales. Per notionales conſtituuntur relationes divinæ, quia ſunt perſonarum proprii, v. g. generatio activa eſt propria Patris æterni, per quam in ratione Patris conſtituitur: Spiratio activa eſt actus notionalis, per quem Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum. Actus eſſentiales ſunt communes tribus perſonis, & Deo conveniunt, vt Deus

eſt. His poſitis Reſp. eſſentiam beatitudinis divinæ conſtitui in actu cognitionis eſſentialis; complementum verò in actibus notionalibus amoris, & gaudii. At cognitio eſſentialis communis eſt tribus perſonis.

§. 6. *Dubia de viſione ſolvuntur.*

PRIMVM. Cur viſio Dei dicatur intuitiva? Reſpondeo, quia attingit Deum vt in ſe eſt, & ita diſtinguitur à cognitione Dei abſtractiva, quæ Deum attingit tantùm per effectus, & ſpecies creaturarum.

Secundum. An poſſit viſio Dei intuitiva acquiri viribus naturæ? Reſpondeo non poſſe. Ita definivit Clemens V. in Concilio Viennenſi contra Beguardos, qui pugnabant quamlibet creaturam intellectualem in ſe ipſa naturaliter eſſe beatam abſque lumine gloriæ. Ratio eſt, quòd viſio Dei intuitiva ſuperet exigentiam cujuſlibet intellectus creati, & creabilis. Quamvis enim mens noſtra Deum per creaturas imperfectè cognoſcere poſſit, non tamen ideo nativis viribus ipſum clarè intueri poteſt; hinc opus habet lumine gloriæ, quod rudem, & inchoatam vim, quam habet intellectus ad videndum Deum, complet, ipſum elevat ad ſtatum divinum, efficítque deiformem, ex D. Dionyſio.

Triplex autem eſt luminis illius munus. 1. conſtituit intellectum beati in actu primo ad videndum Deum, 2. expandit quaſi in immenſum illius capacitatem, vt in ſe totum Deum contempletur, ſicut lumen corporatum oculum exporrigit ad objecta viſibilia, efficítque, vt intra ſe quodammodo ipſa contineat, 3. intellectum ſic elevatum, & expanſum determinat, & ita rapit in viſionem Dei, con-

Digitized by Google

currendo efficienter, vt mediante ipſo lumine divina eſſentia ſui imaginem formet in anima beati. Quare tria ad viſionem concurrunt, intellectus beati, lumen gloriæ, & eſſentia divina. Ab intellectu habet viſio, vt ſit actio vitalis; à lumine gloriæ, vt ſit ſupernaturalis; ab eſſentia divina, vt ſit imago illius. Eſſentia quippe divina, quæ eſt ſol mundi incorporei, mentem beati ita pervadit, vt imaginem ipſius in ſe exprimat, fiátque quaſi Deus, & divino lumine fulgeat, ſicut nubes ſolis radiis expoſita ita ejus lumine perfunditur, penetratúrque tota, vt ſolis ad inſtar luceat. Certè ex D. Gregorio Naz. quod eſt ſol in ſenſibilibus, id ipſum eſt in intelligibilibus Deus. Ita Leſſius.

Tertium. Quænam ſpectari poſſint in viſione? Reſpondeo tria ſpectari. Primum eſt ſubſtantia, ſecundum productio, tertium ejuſdem in anima receptio. Subſtantia viſionis eſt qualitas, pictura, & imago objecti, quâ mens Deo aſſimilatur: productio reddit à Deo jugiter dependentem: receptio fit in ſubſtantia animæ, à qua efficienter procedit. Vt enim dicatur vitalis, debet jugiter prodire ab anima, & in eadem recipi, effectus eadem animæ, & forma. Ratio eſt quòd vita ſit intrinſeca viventi, ipſúmque intrinſecè debeat afficere.

Quartum. Quomodo viſio dicatur Dei ſimilitudo, & imago divinæ eſſentiæ. Vt reſpondeam, ſit

Observatio I. Duplex eſt ſimilitudo, altera perfecta, quæ in naturæ quadam conformitate fundatur; talis eſt ſimilitudo naturæ humanæ inter Petrum & Paulum: altera imperfecta & analoga, quæ fit per repræſentationem objecti.

Observ. II. Similitudo repræſentativa tri-

plex, objectiva, formalis, & effectiva. Similitudo repræſentat objectivè, quæ ſemel conſpecta prototypum exhibet. Sic imago Cæſaris artefacta ipſum Cæſarem objectivè repræſentat: repræſentat formaliter, quæ licèt non cognoſcatur, per ſe tamen menti objectum exhibet, cujuſmodi eſt cognitio formalis, quæ ideo dicitur verbum mentis. Diſcrimen inter vtramque ſimilitudinem eſt, quòd prima cognoſci debeat, vt repræſentet, ſecunda non debeat, qui modus repræſentandi eſt perfectior. Denique effectiva convenit iis rebus, quæ cum potentia cognoſcente concurrunt, eámque determinant ad certam objecti ſpeciem, cujuſmodi ſunt ſpecies impreſſæ ab objectis, quæ ſunt virtuales quædam eorum ſimilitudines. His obſervatis,

Reſpondeo 1. Viſionem beatificam eſſe formalem Dei imaginem, & expreſſam ſimilitudinem, quæ per ſe, & immediatè Deum menti repræſentat, ideóque eſſe perfectiſſimam Dei repræſentationem, quæ eſſentiam illius clarè menti exhibet, picturæ ei non abſimilis, quæ non colorem modò, & externam prototypi figuram, ſed ejuſdem eſſentiam referret. Reſpondeo 2. poſſe dici objectivam Dei imaginem, quia ex illius inſpectione cognoſci poteſt à beato, qualis ſit, & quantus Deus; hinc ait D. Auguſtinus *in imagine noſtra*, id eſt, anima, *tum perfectam fore Dei ſimilitudinem, quando ejus plenam perceperimus viſionem.*

Quintum. Quænam objecta in Deo attingat viſio? Reſpondeo, diſtinctè attingere eſſentiam divinam, tres divinas perſonas, & attributa ſecundùm primarias rationes. Ratio eſt, quia Deus videtur, vt in ſe eſt: ergo videntur omnia, quæ ſunt

idem cum Deo: at ſingulæ perſonæ, & attributa idem ſunt cum Deitate. Deinde viſio Dei quidditativa, & intuitiva exigit connaturaliter, vt modus videatur, quo divina eſſentia ſubſiſtit: at in tribus perſonis ſubſiſtit. Confirmatur, Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum.* & 4. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Accedit D. Auguſt. lib. 20. de Civit. Dei, c. 21. *Quid videmus niſi Deum, & omnia, quæ non videmus credentes?* at credimus Deum, tres perſonas, & attributa; igitur beatus hæc omnia videbit. Dixi attributa ſecundùm primarias rationes. Nam primaria ratio omnipotentiæ, v. g. in eo eſt, vt ſit productrix omnium poſſibilium in communi: ſecundaria eſt extenſio quædam objectiva ad varias creaturas in particulari, quæ non videtur ſaltem tota à beatis, alioqui viderent omnia poſſibilia.

Reſp. 2. creaturas etiam attingere. Ita D. Auguſt. qui non vno loco duplicem in beatis Angelis cognitionem diſtinguit, matutinam, & veſpertinam. Matutina eſt, quâ creaturas vident in Verbo: veſpertina, quâ eaſdem vident in ſe ipſis. Et verò, cùm videri poſſint in Deo, qui in ſe ipſo eas videt; pertinet quoque ad conſummatam beatorum felicitatem eaſdem cognoſcere, ſaltem ſub ratione communi poſſibilitatis.

Sextum. An ſit æqualis viſio in ſingulis beatis. Reſpondeo non eſſe, ſaltem in adultis, quibus æterna gloria rependitur vt merces. Probatur ex D. Paulo ad Corinth. 15. *Sicut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum:* quod intelligendum eſt tam de gloria animæ, quàm de gloria corporis. Item ex eodem Apoſtolo ad Cor. 15. *Vnuſquiſque mercedem propriam recipiet ſecundùm laborem ſuum.*

Digitized by Google

Septimum. Quæ cauſa ſit, cur vnus clariùs altero videat? Reſpondeo alias eſſe ex parte hominis, alias ex parte Dei. Ex parte hominis cauſa moralis eſt duplex. Prima eſt meritorum, & ſanctitatis inæqualitas, vt patet ex loco jam citato, & ex Matth. 13. *Aliud dedit fructum trigeſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum.* Ratio eſt, quia merces adæquatur merito: viſio datur vt merces meritorum inæqualium: ergo datur inæqualis. Secunda eſt ſtatus cujuſque beati in hac vita, v. g. Rex ea, quæ pertinent ad regimen imperii videbit in Verbo; Paterfamilias, quæ in familia geruntur: hinc Deus dicitur beatis eſſe omniforme divinitatis ſpeculum, in quo quidquid ipſorum noſſe interſit, videant. Id innuit Guillelmus Pariſienſis prima parte Summæ, tract. de animæ immortalitate, cap. 9. *Quidquid decebit, vel delectabit eas videre, viſura ſunt.* Ex parte Dei cauſa phyſica illius majoris claritatis eſt lumen gloriæ intenſius, aut remiſſius, & ſpecies intelligibilis, ſive diſtinguatur ab eſſentia divina, & à lumine gloriæ, ſive non diſtinguatur; id viderint Theologi; quò enim perfectior eſt ſpecies impreſſa, eò quoque perfectior ſpecies expreſſa, ſicut ex meliori ſemine terræ mandato perfectius germen exiſtit. Porrò ſpecies vna perfectior eſt altera, licèt altera intuitiva ſit, quæ eſt principium altiùs penetrandi divinam eſſentiam, quàm altera: altiùs autem penetratur divina eſſentia ab vno beato, quàm ab altero, quia vnus magis penetrat attributa divina ſecundùm rationes ſecundarias, & vt relativa ſunt ad nos, quàm alter, v. g. omnipotentiam Dei, & in ea plures creaturas in particulari detegit, plures agendi modos, plura miracula. Vt enim in principiis conclu-

concluſionum eò plures videmus concluſiones quò ipſa principia altiùs penetramus, quia concluſiones in principiis virtualiter continentur, vnde à Philoſopho principia dicuntur eſſe omnia virtute ἀρχαί ἐστι πάντα δυνάμει: ita in omnipotentia Dei tamquam in cauſa plures detegit effectus, quiſquis omnipotentiam altiùs pervadit. Nam ad comprehenſionem, & penetrationem alicujus cauſæ oportet cognoſci ejus effectus: ergo creaturæ videntur clariùs ex eo, quòd magis penetretur Dei omnipotentia, in qua ſicut continentur ſecundùm totum ſuum eſſe, ita ſecundùm ſuam cognoſcibilitatem.

Hæc reſponſio ſupponit in Deo duplicis generis perfectiones, abſolutas, & relativas. Abſolutæ ſunt 1. eſſentia divina, 2. SS. Trinitas, quæ æqualiter videntur ab omnibus beatis. Relativæ, omnipotentia, juſtitia, & quæ à beatis videntur inæqualiter.

Octavum. An beatus habiturus ſit omnes ſcientias. Reſpondeo 1. habiturum omnes naturales. 1. quia beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: ergo exigit omnia bona naturalia homini maximè propria, qualis eſt ſcientia naturalis, 2. corpora ſummam pulchritudinem habitura ſunt: ergo animæ non deerit ſcientia naturalis, quæ eſt illius ornamentum. 3. Adamus ſcientiam naturalem habuit perfectam ſtatim ab ortu: ergo beatus potiori jure habebit ſibi debitam ratione ſtatus; hinc manebunt ſcientiæ acquiſitæ in via, & quidem multò perfectiores, quàm erant antea, quia ab omni dubitatione, opinione, & errore purgabuntur, vnde beatus ſcientiæ acquiſitæ recordabitur, ſicut vir factus ſolet infantiæ ſuæ meminiſſe; iis autem, qui in via non compararunt,

Digitized by Google

à Deo ſcientia infundetur pro ratione meritorum. Reſpondeo 2. habiturum quoque ſcientiam ſupernaturalem, & per ſe infuſam, quâ res ſupernaturales non tantùm in Verbo, ſed etiam in ſe ipſis cognoſcet.

Nonum. Quomodo beati Deum poſſidendo, omnia poſſidebunt? Reſpondeo, quia omnia bona creata perfectiori modo ſunt in Deo, quàm in ſe ipſis, nempe eminenter, & virtualiter, hoc eſt, detractis imperfectionibus: at Deum perfectè poſſidebit beatus: ergo & omnia creata in Deo. Deinde bona creata ſunt participatio quædam bonitatis primæ, & increatæ: prima autem bonitas eſt multò perfectior ſecundâ.

Decimum. An intellectus beati concurrat immediatè cum lumine gloriæ ad viſionem Dei? Reſpondeo, concurrere immediatè, & quidem activè. Ratio eſt, quia viſio Dei eſt actus vitalis, ſeu vita actualis: at actus vitalis debet procedere à principio, quod ſe ipſum moveat. Confirmatur. Viſio Dei, vt ſupernaturalis eſt, debet pendere à lumine gloriæ ſupernaturali: ergo & quà vitalis, debet prodire à potentia vitali: hinc Auguſtinus, lib. 9. de Trinit. c. vltimo. *Ipſa mens quaſi parens, & notitia ejus quaſi proles ejus: mens enim cùm ſe cognoſcit, notitiam ſui gignit, & eſt parens notitiæ ſuæ.*

Vndecimum. An Deus videri poſſit oculis corporeis? Reſpondeo non poſſe, quia oculus nullam habet potentiam obedientialem, quâ elevari poſſit ad Dei viſionem. Probatur. Quæ facultas nihil habet potentiæ naturaliter inchoatæ ad genus aliquod actionis, nullam habet potentiam obedientialem, quâ elevari poſſit ad viſionem Dei: oculus corporeus nihil habet potentiæ naturaliter inchoa-

tæ ad viſionem Dei intuitivam: ergo oculus corporeus non poteſt Deum videre. Probatur minor: oculus corporeus nihil habet potentiæ naturalis ad videndam rem ſpiritalem; aliter ferretur extra rationem formalem ſui objecti, quæ non eſt ratio communis entis ſub ratione veri, ſeu intelligibilis, ſed vna ratio colorati, quod eſt formaliter viſibile.

Confirmatur 1. Implicat contradictionem, vt aqua calefaciat, provt eſt frigefactiva: ergo implicat contradictionem vt potentia viſiva, quà viſiva eſt, tendat in aliud, quod non eſt coloratum, & viſibile. Confirmatur 2. à poſteriori. Si non requireretur proportio naturalis ſaltem inchoata, bruta elevari poſſent ad cognitionem indifferentiæ objectivæ in ratione boni, & mali, & ita poſſent liberè agere, & mereri; lapis ad videndum Deum, auris ad percipiendos colores, quæ omnia implicant; hinc vides quæ ſit diſparitas inter intellectum, & oculum in ordine ad viſionem Dei intuitivam. Nam intellectus habet virtutem inchoatam videndi intuitivè Dei, quia ens ſpiritale eſt intra latitudinem illius naturalem; oculus autem ens ſpiritale cognoſcere nullatenus poteſt, quia eſt extra illius objectum; hinc nec Angelus poteſt videri oculo corporeo. Licèt enim minùs diſtet Angelus in ratione entis à viſu corporeo, quàm Deus ab intellectu creato; minùs tamen Deus diſtat in ratione cognoſcibilis ab intellectu, quàm Angelus à viſu; quia Deus in ratione entis intelligibilis habet minorem proportionem cum intellectu creato, quàm Angelus cum viſu. Sicut licèt par ſit proportio caloris, & coloris cum oculo in ratione entis, tamen longè major eſt proportio coloris, vt viſibilis eſt, cum oculo, quàm caloris, qui ab oculo

attingi non poteſt, quare cognoſcibilitas relativa non ſemper rationem entis imitatur.

ARTICVLVS III.

De complemento beatitudinis.

QVEMADMODVM Phyſica, ita & Moralis eſſentia ſuum habet complementum, & integritatem, quæ ex ea fluit, vel vt proprietas, vel vt accidens. Hactenus de eſſentia beatitudinis, jam de complemento illius, quod pertinet tum ad animum, tum ad corpus.

§. I. *De complemento beatitudinis animæ.*

I. ASSERTIO. BEATITVDINIS eſſentia completur per amorem Dei, gaudium, perpetuitatem, impeccabilitatem, & ſecuritatem: Probatur, quia hæc omnia ex viſione Dei fluunt tamquam nativæ illius affectiones. Et quoniam amor primus eſt ordine generationis, ſit

II. ASSERT. Amor poſitâ viſione Dei neceſſariò fluit à voluntate, neceſſitate tum ſpecificationis, tum exercitii: ſpecificationis quidem, quia nullam rationem mali realis, aut apparentis in Deo beati detegere poſſunt; ergo non poſſunt ipſum odiſſe: exercitii, quia purum bonum, quà tale, non poteſt non amari à voluntate: Divina eſſentia objicitur voluntati vt purum bonum: ergo non poteſt non amari. Confirmatur. Ita ſe habet voluntas ad primum amabile, vt intellectus circa primum intelligibile: intellectus non poteſt non aſſentiri primo intelligibili clarè cognito: ergo voluntas non poteſt non amare primum amabile intuitivè

cognitum. Ratio à priori eſt, quòd viſio Dei non proponat voluntati aliquid amabile, & non amabile in Deo, adeóque nulla ſit indifferentia objectiva ex parte intellectus: at indifferentia activa voluntatis ſupponit objectivam intellectus indifferentiam. Itaque ſtatim atque videt beatus, amat, nec vllum aſpectum inter, & affectum deliberandi ſpatium relinquit illecebroſa ſupremi boni rapacitas. Vix ſe Deo conjunctum ſentit animus, cùm infiniti illius boni ſe ſe in intimos animi ſenſus inſinuantis blanditiis delinitus, rapitur extra ſe quodammodo, & in Dei ſinum totus effunditur; quod excellentiæ illius argumentum eſt; & eo totus impletur, quod egeſtatis, & inopiæ.

Objicies 1. Amor beatorum eſt amor perfectiſſimus: ſed amor perfectiſſimus eſt liber: ergo amor beatorum eſt liber. Reſpondeo, Nego minorem, præſertim ſi illa neceſſitas ex infinita objecti amabilitate oritur. Amor, quo ſe Deus amat eſt perfectiſſimus, & tamen eſt neceſſarius.

Objicies 2. Beati ceſſare poſſunt à viſione Dei, ſi velint: ergo & ab amore. Reſpondeo. Nego antecedens; Nam lumen gloriæ intellectum beati determinat neceſſariò ad videndum Deum independenter ab ipſorum voluntate.

III. Assert. Amor beatorum ferventiſſimus eſt. Probatur 1. quia nulla ſunt impedimenta amoris in beatis, & cauſæ omnes ferventiſſimi amoris, & effectus adſunt. Probatur prima pars. Tria impediunt vim amoris in via, ignorantia, concupiſcentia, & malitia. Ignorantia tollitur per claram Dei viſionem; concupiſcentia per vbertatem gratiæ, malitia per ſanctitatem perfectam. Confirmatur. Cæcus eſt amor in via, quia fides, quæ

obſcura eſt, ipſi prælucet: languidus, quia nondum ſummum bonum eſt adeptus: diſtractus in plura objecta, hoc eſt, creaturas; at quantum amoris rebus creatis impenditur, tantùm Deo detrahitur, niſi propter Deum amentur: mercenarius denique, vix vmquam gratuitus; at in beato nec cæcutit amor, quia Deum cominus intuetur; nec languet, quia ad divinæ eſſentiæ contuitum magis, ac magis inardeſcit; nec diſtrahitur in plura, quia totus rectà in Deum fertur; denique perfectè gratuitus, eſt enim amor benevolentiæ, per quem amatur Deus propter ſe, & omnia propter Deum, quia ex Apoſtolo erit Deus omnia in omnibus. Immò & amor amicitiæ, quia beatus Deum actu amat, viciſsímque Deus beatum. Probatur ſecunda pars. Ex parte Dei eſt ſumma pulchritudo, & bonitas: ex parte intellectus beati perfecta cognitio, quæ ſummam Dei bonitatem præſentem ſiſtit, & applicat voluntati: voluntas expedita ad amandum, vt pote charitate inſtructa, quæ proinde in ardentiſſimum amoris actum non poteſt non erumpere, vnde vnio perfectiſſima, exſtaſis, & zelus in beato vt effectus oriuntur. Vnio, quâ non exteriùs tantùm, ſed intimè Deo jungitur, fitque vnus ſpiritus cum eo. Exſtaſis ita trahit in Deum, vt à ſe ipſo quodammodo exeat, & ſibi quaſi mortuus, Deo vni vivat. Zelus gloriam externam Deo appetit, &c. Præclarè itaque Auguſtinus in lib. de perfect. Iuſt. c. 3. *Tunc erit plena juſtitia, quando plena ſanitas; tunc plena ſanitas, quando plena charitas; tunc autem plena charitas, quando videbimus eum, ſicuti eſt. Neque enim erit, quod addatur ad dilectionem, cùm fides pervenerit ad viſionem.*

IV. Assert. Amor beatorum in patria non differt ſpecie ab amore, quem habent in via. Probatur. Quia vtriuſque idem eſt objectum formale; cùm enim cognitio ſit tantùm conditio, & eaſdem amabilitates voluntati proponat, diverſitatem ſpecificam non inducit. De amore tantùm, jam de gaudio.

V. Assert. Gaudium ſequitur neceſſariò ex viſione Dei, vt ex prima radice; & ex amore, vt ex proxima veluti cauſa. Beati quippe tantum gaudent, quantùm amant: tantùm amant, quantùm vident: tantùm porrò vident, quantum eſt lumen gloriæ: tantum eſt lumen gloriæ, quanta fuit in via ſanctitas, & copia meritorum in ipſo vitæ exitu. Dixi ex amore quaſi cauſa, quia amor non eſt cauſa phyſica gaudii, ſicut nec viſio cauſa phyſica amoris; ſed voluntas eadem, dum amat, ſtatim gaudet de bono poſſeſſo, & adepto, & in eo ſuaviùs acquieſcit. Quid enim eſt gaudium, niſi quies in bono adepto, ſeu vitalis quædam, & ſuavis perceptio bonitatis amatæ, ad quam requiritur boni præſentia, poſſeſſio, & amor.

VI. Assert. Beatus tum de Deo poſſeſſo, tum de ipſa viſione immediatè gaudet. De Deo quidem immediatè, quia eſt per ſe, & immediatè objectum beatitudinis: ergo per ſe, & immediatè delectat. Et verò ſicut avarus gaudet de pecuniis, quas poſſidet, ita beatus de Deo ipſo, cujus fruitione beatus eſt. De viſione autem Dei, quia viſio eſt ipſa Dei poſſeſſio: at non tantùm delectamur de bono poſſeſſo, ſed etiam de illius poſſeſſione. 2. Beatus per amorem concupiſcentiæ non amat ſolum Deum, ſed etiam viſionem: nec ſolam viſionem, ſed etiam Deum; nam per amorem concupi-

ſcentiæ amat Deum, non provt in ſe bonus eſt, ſed provt eſt bonus ipſi beato: at non eſt bonus beato niſi per viſionem, quæ eſt conjunctio Dei boni cum beato; hinc gaudium, quod ſequitur amorem concupiſcentiæ, diſtinguitur à gaudio, quod ſequitur amorem benevolentiæ. 3. ſpes noſtra in via non tantùm fertur in Deum, ſed etiam in ipſius Dei viſionem. Nec inde ſequitur ſpem noſtram Deum mediatè tantùm attingere, quia Deus, vt finis qui, & viſio, vt finis quo, integrant vnum finem, quem proximè, & immediatè ſpes reſpicit.

VII. Assert. Gaudium beati plenum, & perfectum eſt. Probatur. Quia adſunt omnes cauſæ pleni, & perfecti gaudii, nempe objectum maximè conveniens, poſſeſſio illius perfecta, & ferventiſſimus ejuſdem boni amor, ex quibus tota gaudii ſuavitas emanat. Objectum, eſt Deus, quo nullum majus bonum; poſſeſſio ipſa viſio, quæ eſt perceptio experimentalis totius ſuavitatis divinæ, adeóque perfectiſſima poſſeſſio tanti boni, amor vehementiſſimus, & neceſſarius. Confirmatur ex Philoſopho, lib. 10. Ethic. c. 4. & 5. maxima voluptas ſemper annexa eſt operationi perfectiſſimæ, quam ſequitur eo modo, quo pulchritudo ſequitur optimam temperiem, & florem ætatis: operatio tunc eſt perfectiſſima, cùm potentia eſt optimè diſpoſita circa objectum præſtantiſſimum: ergo cùm viſio ſit operatio perfectiſſima potentiæ optimè diſpoſitæ circa objectum præſtantiſſimum, neceſſe eſt tantam ex ea exiſtere voluptatem, quantam animus capere poteſt.

Accedit conjectura multiplex, ex qua magnitudo illius gaudii colligi poteſt. Prima eſt multitudo bonorum, ex quibus naſcitur. Gaudet enim bea-

tus 1. de bonis Deo propriis magis, quàm de ſuis, 2. de bonis beatorum omnium, quos amat vt ſe ipſum, 3. de bonis tum animi, tum corporis, 4. de conſortio Angelorum, & hominum, in quibus nihil eſt, quod non ſit maximè amabile, 5. de ipſa tot, & tantorum bonorum æternitate, quam ſingulis momentis totam quodammodo percipit, &c. Secunda. Gaudium beatificum nullius triſtitiæ conſortium admittit ex natura ſua: *Abſterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Tertia ex Scriptura conjectura petitur, quæ gaudium illud flumini, & torrenti comparat, aítque beatum in gaudium intraturum: cur autem? quia tanta eſt boni, quod poſſidet beatus, infinitas, tanta gaudii, quod inde exundat, immenſitas, vt ipſum beatum vndequaque ambiat, penetret, perfundat, denique abſorbeat. Gaudia, quæ ex bonis creatis percipiuntur, vt pote ex bonis anguſtis orta, influunt in animam vt guttulæ, ſed non effluunt: provocant appetitum, non exſatiant: at gaudium beatificum torrentis ad inſtar ſic exundat in animum, vt redundet, & circumfluat, ipſius animi amplitudine majus; ſic provocat appetitum, vt penitus impleat, & exſatiet. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Pſalm. 16.

VIII. Assert. Ex viſione, & amore Dei ſequitur connaturaliter impeccabilitas, non moralis tantùm, ſed etiam phyſica. Probatur. Quia vi ipſius viſionis voluntas beati neceſſariò determinatur ad amorem actualem Dei ſupra omnia dilecti, vt jam probatum eſt: amor actualis Dei ſupra omnia dilecti non poteſt ſtare cum peccato actuali, quia amor actualis Dei eſt perfecta converſio ad Deum, & quidem actualis; peccatum

autem actuale, averſio à Deo: at converſio actualis ad Deum, & averſio actualis à Deo ſtare ſimul non poſſunt. Confirmatur 1. Vt peccaret beatus, deberet ceſſare ab amore Dei: non poteſt ab amore Dei ceſſare, quia ceſſatio ab amore Dei non eſt per ſe expetibilis, cùm privatio ſit, nec aliunde ratio occurrit, cur amorem ſuſpendat, tum quia nihil habet incommodi, tum quia nullum eſt bonum creatum, aut æquale, quod amorem ad ſe allicere poſſit, diſtant enim omnia bona creata à Deo infinitè, & in Deo longè perfectiori modo, & ad ſatiandum appetitum opportuniori continentur. Nonnulli præterea Theologi impeccabilitatem ex dignitate, & eminentia ſtatus beatorum, vt ex cauſa morali petunt; eſt enim ſtatus filiationis adoptivæ conſummatus: at omnis *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*, ex D. Ioanne: rationem reddit, *quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Semen porrò iſtud eſt gratia, & charitas, quam in corde juſti diffundit Spiritus ſanctus. Hinc D. Auguſtinus, lib. de corrept. & grat. c. 11. *Prima libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: noviſſima erit multò major, non poſſe peccare.* Et in Enchir. cap. 104. ait hominem in beatitudine non *ſolùm peccatum non committere, ſed nec voluntatem poſſe habere peccandi.*

VLTIMA ASSERT. Beatitudo ad perfectionem ſui æternitatem requirit, ideóque nec amitti, nec interrumpi poteſt. Ita paſſim Scriptura, & SS. Patres, Sap. 5. *Iuſti autem in perpetuum vivent: regnum tuum regnum omnium ſæculorum.* 2. ad Corinth. 4. *Æternum gloriæ pondus.* 1. Petri 3. *Regeneravit nos in ſpem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem.* Ratio à priori eſt, quòd operationes potiſ-

Digitized by Google

ſimæ, quibus beatitudo continetur, nec interrumpi, nec amitti poſſunt tum ex parte beati, tum ex parte Dei, tum ex parte alterius cauſæ. Non ex parte beati, qui à viſione Dei, & amore ceſſare non poteſt, vt jam confecimus: deinde etiam ſi poſſet, vtique non vellet; fatui enim ſit vel ad momentum tanto bono velle carere. Non ex parte Dei, Deus enim non ſubtrahit donum ſupernaturale alicui ſemel conceſſum, niſi ob culpam: at beatus culpam admittere non poteſt, ex ſuperiori aſſertione. Non denique ex parte vllius alterius cauſæ Deus hanc viſionem deſinit conſervare; non ex parte ſubjecti corruptibilis, anima enim eſt immortalis; non ex parte contrarii, quia nullum eſt; non ex parte termini, in quo beatus eſt poſt hanc vitam, nam terminus ex natura ſua immutabilitatem importat. Denique ſi felicitate cadere poſſet beatus, eſſet beatus, & non eſſet: eſſet, vt ſupponitur; non eſſet autem, quia non excluderet omne malum: vel enim noſſet ſe poſſe privari illa beatitudine, & ita metu illius amittendæ cruciaretur; vel neſciret, & ita miſer eſſet, quia in tanta luce veritatis aliquid ignoraret.

Porrò ex illa æternitate dignitas beatitudinis, & gaudii magnitudo infinitè quodammodo accreſcit. 1. quia voluptas, vel exigua, juncta cum æternitate, maxima fit: ergo infinita voluptas juncta cum æternitate, quaſi ſecundam infinitudinem ex illa æternitate contrahit. 2. quolibet inſtanti beatus æternitatem illam quodammodo percipit totam, dum cogitatione ipſam prælibat, & quaſi in ſe totam colligit; quo ſenſu dici poteſt eſſe tota ſimul. Denique ſupra omnia bona creata, quæ fugacia per ſe ſunt, & vix poſſeſſa avo-

lant, infinitè æſtimabilis eſt beatitudo ex æternitate.

§. 2. *De complemento beatitudinis corporis.*

ASSERTIO I. ANIMAE juſtorum beatitudine ſibi propria donantur ante corporum reſurrectionem. Ita ſtatutum eſt in Concilio Florentino, Seſſione vltima, & ab Innocentio tertio. Probatur 1. ex verbis Chriſti ad latronem, Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Epheſ. 4. *Aſcendens Chriſtus in altum, captivam duxit captivitatem*, Id eſt, ſanctorum animas. 2. Anima juſti ſejuncta à corpore capax eſt viſionis Dei intuitivæ, quam de condigno meruit: ergo Deus ipſi largitur; aliter torqueret ipſam ſine cauſa, differendo beatitudinem illi debitam vſque ad extremum diem judicii. 3. ſi quid impediret, quominus animæ juſtorum non perfruerentur ſua beatitudine, maximè quia indigerent conſortio corporis ad claram Dei viſionem: at nullatenus indigent; immò ipſam impedire potiùs phantaſmata corporis, quàm juvare videntur. 4. Deus non eſt promptior in inferenda pœna injuſtis, quàm in conferenda mercede juſtis; at injuſtorum animas ſtatim ab exitu corporis pœnis æternis addicit, vt cernere eſt in Epulone Evangelii: ergo animas juſtorum ſtatim ab egreſſu corporis, niſi quidpiam Purgatoriis ignibus expiandum ſuperſit, præmiis afficit. Denique ſi animæ juſtorum beatitas ad diem judicii vſque differtur, quorſum Eccleſia eorum patrocinium implorat, Sanctorum faſtis adſcribit, feſta in eorum honorem inſtituit, &c?

Objicies. Multi è Sanctis Patribus videntur aliter ſenſiſſe, vt Tertull. lib. de Anima, c. 34. D. Bernardus, ſerm. 3. de omnibus Sanctis. *In illam,* inquit, *beatiſſimam Dei domum animæ nec ſine nobis intrabunt, vel ſine corporibus ſuis.* Reſpondeo 1. Non nego aliquos è SS. Patribus ita ſenſiſſe: nec tamen à fide aberraſſe ideò putandi ſunt, quia nondum res erat definita. Deinde ad ſummum videntur tantùm negaſſe animabus juſtorum cæleſtem habitationem, non intuitivam Dei viſionem. 3. interpretari poſſumus de beatitudine conſummata quoad accidentia. Certè D. Bernardus, ſerm. 5. ait celebrari feſtivitatem omnium Sanctorum, tum qui ſunt in terra, tum qui ſunt in cælo. *Sunt enim,* inquit, *Sancti de cælo, & ſunt Sancti de terra, itémque eorum, qui de terra ſunt, quidam adhuc in terra, alii jam in cælo.* & epiſt. 266. ad Abbatem Sugerium; *Quid tibi,* inquit, *& terrenis exuviis, qui ad cælum iturus, ſtola gloriæ mox indui habes? Præſto eſt, ſed veſtito non dabitur.* Item dum Matth. 20. merces operariis ſub veſperam reddi dicitur; per veſperam intellige finem vitæ, non finem mundi, aut certè de mercede completa interpretare.

Assertio II. Corpora beatorum aliquando beatitudinis prærogativa donabuntur. Probatur. Homo totus beari debet, qui rectè operatus eſt: ergo corpus, quod eſt pars hominis, quæ animæ adlaborat, inſervítque vt inſtrumentum ad beatitudinem conſequendam, beatitudine ſua carere non debet. Vt enim particeps laborum fuit, ita præmiorum particeps eſſe debet. Quare D. Bernardus, ſerm. 6. de Adventu, corpus ad animæ obſequium, & laborum perpeſſionem his verbis excitat. *Noli, ô corpus, noli præripere tempora; potes*

enim impedire animæ tuæ ſalutem, tuam ipſius operari non potes. Omnia tempus habent, patere, vt nunc anima pro ſe laboret, magis etiam collabora ei, quia ſi compateris, & conregnabis; quantùm ejus impedis reparationem, tantùm impedis tuam, &c. 2. Anima eſt compars corporis, ad cujus ſocietatem propendet, appetítque illius conjunctionem: at appetitus ille aliquando expleri debet. Non tamen cruciantur illo appetitu animæ beatorum, quia divinæ voluntati perfectè conſentiunt, ſciúntque olim explendum.

Assertio III. Beatitudo eſſentialis animæ reſumpto corpore nec minuitur, nec augetur intenſivè, ſed extenſivè tantùm. Quòd non minuatur intenſivè, patet, quia viſio Dei intuitiva eſt independens à corpore: ergo non minùs perfectè intra corpus elici poterit, quàm extra ipſum corpus. Quòd non augeatur intenſivè, probatur. Vt augeatur beatitudo intenſivè, debet augeri lumen gloriæ: non augetur lumen gloriæ, niſi augeantur merita; merita non augentur in anima ſeparata nec ex corporis conſortio, nec ratione ſtatus, quia eſt in termino. Denique quòd augeatur extenſivè, patet; beatitudo enim animæ redundat in ipſum corpus, fitque homo totus beatus, qui antea erat tantùm ex parte: ergo gloria animæ extenſivè perficitur.

Assertio IV. Immenſæ corporum beatorum gloriæ triplex eſt principium, Deus, anima beata, & quatuor dotes glorioſæ. Deus quidem, cujus immenſa pulchritudo in ſe inaſpectabilis licèt, aſpectabilis tamen vtcumque fit in illis corporibus, & ſe quodammodo pingit, vt ſol in Pareliis. Anima beata, quæ totam ſe in corpus effundit; non quòd phyſicè producat gloriam corporis, ſed quòd

noraliter exigat in carne, vt comparte ſua, illam pulchritudinem ad gloriæ ſuæ complementum, ſicut anima eadem, dum informat corpus, exigit in eo certam organorum ſuppellectilem, ac temperiem humorum. Quatuor demum dotes gloriæ ad corporis gloriam maximè conferunt, vt docent Theologi.

Prima eſt impaſſibilitas, quæ immortalitatem, & vigorem corporis primò, & per ſe perpetuum includit, deinde immunitatem ab omni doloris ſenſu, & ægritudine, ita vt nulla cauſa naturalis ſit, quæ corpus glorioſum vel leviter lædere poſſit; ſive id oriatur ex qualitate corpori impreſſa, quæ omnia contraria arceat; ſive Deus certò, & conſtanter decreverit concurſum ſuum ſingulis agentibus tum intrinſecis, tum extrinſecis ſubtrahere, à quibus corpus beatum attentari poſſet; ſive denique toti corpori, & ſingulis ejus partibus concurſum ſuum conſervativum præbere firmiter ſtatuerit.

Secunda eſt claritas, quæ novum quemdam, & inſolitum fulgorem corporibus beatorum affundit, pervadítque penitus; nec enim in extima ſuperficie hæret, ſed toto corpore diffuſa in intimis partibus reſidet, vnde corpus multò clariùs ſole reſplendeat. Quin etiam ſi D. Auguſtino fides eſt, luce illa corpora perfuſa ſic tranſparebunt, fiéntque conſpicua, vt œconomia partium, quæ intus latent, varietáſque mirabilis tranſpici poſſit; includit præterea hoc donum pulchritudinem corporis eximiam, ideóque ſi quòd vitium corporis fuerit in vita mortali, corriget Deus, & emendabit. Hanc lucem fore naturalem pugnat D. Thomas, ſecus ſine miraculo videri non poſſet. Leſſius ſupernaturalem

eſſe docet, quia cum colore nativo ſtare poteſt, nec præterea accendit, aut calefacit, adde quòd pertineat ad ſtatum gloriæ, qui totus eſt ſupra naturam.

Tertia eſt agilitas, cujus ope, quocumque collibitum eſt, motu perniciſſimo corpus ſe circumfert, & ad quodlibet loci intervallum quàm citiſſimè pertingit: 2. etiam corpora inſanæ molis, & maximæ gravitatis rotare, projicere, & movere ad nutum beatus poteſt. Reſidet in anima qualitas illa ſupernaturalis, quia motus vitalis eſſe debet, adeóque ab intrinſeco.

Quarta denique eſt ſubtilitas, quâ ſemel præditum corpus, licèt ex materia, & quantitate concretum ſit, inſtar ſpiritus quodlibet corpus, etiam ſolidum penetrare poteſt. Sic Chriſtus januis clauſis penetravit tectum, in quo Apoſtoli vnà erant, & cælos omnes in Aſcenſione pervaſit. De modo, quo id fiat, duplex ſententia: prima docet modum quemdam naturalem à corporibus glorioſis divinitus tolli, quo res extenſæ à loco, quem occupant, omne aliud corpus excludunt: ſecunda, id fieri à Deo ſupra naturam agente, & vnum corpus in eo ſpatio conſervante, in quo eſt aliud corpus. Sed de his in Phyſica.

Quatuor ejuſmodi donorum naturam expreſſit D. Paulus, 1. ad Corinth. c. 15. *Seminatur*, inquit, *in corruptione, ſurget in incorruptione*, en impaſſibilitatem, & immortalitatem: *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*, en claritatem: *ſeminatur in infirmitate, ſurget in gloria*, en agilitatem: *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*, en ſubtilitatem. Ratio, cur hæc quatuor dona à Deo corporibus tribuantur, hæc eſt, quòd corpus com-

lere debeat animæ felicitatem, non impedire, adeó-
que præſto eſſe ei ad nutum, & operationes: vtrum-
que autem conſequitur ope donorum. Nam impaſ-
ſibilitas ab omni malo corpus vindicat; claritas
perfundit eximia pulchritudine; agilitas quamlibet
locorum intercapedinem breviſſimè ſuperat, ciét-
que corpus tum proprium, tum alienum perniciter;
denique ſubtilitas corpora ſolidiſſima, quæ mole
ſua corpora beatorum à motu retardare poſſent,
ſumma facilitate pervadit. Dicuntur dotes à Theo-
logis, quia à Deo beatæ animæ tamquam ſponſæ
tribuuntur inſtar dotis. At in corporibus damna-
torum erit paſſibilitas, gravitas deorſum trahens,
tarditas motus, & opacitas; hinc ex D. Paulo,
1. Cor. c. 15. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.*

V. Assert. Non deerit corporibus beatorum ſenſuum vſus perfectiſſimus, & ſtatui ipſorum accommodatus.

Probatur 1. Anima vt ſenſitiva etiam beari debet: ergo ſenſuum vſum habere debet perfectiſſimum. Ac primò quidem liquidiſſimam voluptatem tactus ex aura cæleſti, cæleſtiúmque corporum contactu percipiet. 2. Odores afflabuntur è corporibus beatorum exquiſitiſſimi. 3. Auribus non deerit cæleſtis muſica, teſte D. Ioanne in Apocal. vbi ait ſe diverſa Canticorum genera de cælo audiiſſe. Denique corporum glorioſorum pulchritudo, cæli empyrei ſpecies aſpectabilis, quid non voluptatis afferent beatorum oculis?

VI. Assertio. Senſus audiendi, & videndi per ſe in illo ſtatu beatitudine donandi ſunt. Ratio eſt, quòd duo illi ſenſus per ſe ſuas functiones in ſtatu ſupernaturali obeant; alii autem, nempe tan-

gendi, guſtandi, & odorandi per ſe inſtituti ſint ad corporis vel nutritionem, vel conſervationem, vel generationem, quæ munera ceſſabunt in altera vita. Quare tribus his ſenſibus beati tantùm per accidens vtentur ad libitum, dum volent ex iiſdem percipere voluptatem illi ſtatui congruam. At ſenſus audiendi, & videndi, cùm ad ſpiritalitatem animæ in operando quàm proximè accedant, & ſua agendi vniverſalitate imitentur (nec enim oculus viſu, nec auris auditu ſatiatur, vnde dicuntur inſtrumenta ſciendi) ſua vtique habebunt objecta, quibus quàm maximè capiantur. Quid enim ſuavius ad aurium jucunditatem, vel potiùs animæ, quàm cum tot beatis exquiſitæ ſcientiæ luminibus inſtructis, & cum beatiſſima Virgine miſcere colloquia, audire oracula Chriſti? Quid ad oculorum voluptatem rapacius, quàm paſci aſpectu ſanctiſſimæ humanitatis Chriſti?

VII. Assert. Accedit altera beatitudo accidentalis, quæ aureolis continetur, nihílque aliud eſt, ex D. Thoma in quartum, diſt 49. quæſt. 5. quàm ſignum ſpeciale victoriæ beatis conceſſum. Triplex eſt, Doctorum, Virginum, & Martyrum. Quia triplex eſt hoſtis capitalis hominis in cælum tendentis, mundus, caro, & dæmon. De mundo triumphant Martyres, de carne Virgines, de dæmone Doctores, dum contrà hæreſes doctrinam ſuam expromunt. Hinc Danielis 11. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos fulgebunt tamquam ſtellæ firmamenti in perpetuas æternitates.* Probabiliter aureolæ ejuſmodi ſunt ſpeciales qualitates glorioſæ, quibus victoriæ tamquam inſignibus, & vivis characteribus repræſentantur. Accedit denique amicitiæ neceſſitudo maxima, quâ ſe mutuò beati diligent.

§. 3. *Quæſtiones de Reſurrectione.*

PRIMA. An ſolida carne corpora beatorum debeant conſtare? Reſp. ita eſſe; quin etiam ſuum cuique corpus reſtituendum eſt ex D. Paulo, qui ait quemlibet mercedem recepturum, prout ſe geſſerit in corpore. Deinde quia divinæ providentiæ eſt, idem corpus, quod pænarum, & laborum patiens fuit, reddere particeps præmiorum.

Secunda. Quæ forma futura ſit cujuſlibet corporis, & magnitudo? Reſp. Quæ decet perfectam ætatem, & ſtatum gloriæ. Hoc innuit D. Paulus, cum ait Epheſ. 4. reformandos omnes in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Ex quo inferunt Theologi, reſurrecturos omnes beatos eâdem ætate, quâ Chriſtus erat, dum mortuus eſt. Hinc nemo erit ſenex, aut puer, omniáque corporis lineamenta propria, & peculiarem formam detractis imperfectionibus reſument.

Tertia. Vtrum reſtituendi ſint vngues, barba, & capilli? Reſp. tantumdem reſtituendum, quantum ſat erit ad ſubſtantiam corporis, & integritatem. Quemadmodum, inquit Auguſt. ſi eodem prorſus luto remanente poculum aliquod male compactum refiguraretur, & refingeretur perfectius. Non eſt macris, pinguibúſque metuendum, ne ibi etiam tales, quales ſi poſſent, ne ſic eſſe voluiſſent. Nulla enim erit difformitas in quolibet corpore, quam facit incongruentia partium, ibi, & quæ prava ſunt, corrigentur; & quod minus eſt, quàm decet, vnde novit creator, inde implebitur; & quod plus eſt, quàm decet, naturæ

ſervatâ integritate detrahetur. *Ita Auguſtinus, ferè iiſdem verbis.*

APPENDIX.

De miſeria, ſeu de ſummo malo hominis Christiani.

DE Beatitudine ſupernaturali hominis fusè hactenus, & copiosè egimus; de miſeria eidem oppoſita ſtrictim, & breviter hîc agendum ſupereſt, & quidem cum analogia ad ipſam beatitudinem. Vt ergo duplex eſt beatitudo, altera viæ, patriæ altera; ita duplex miſeria, viæ vna, altera termini. Rurſus vt beatitudo patriæ duplex, eſſentialis, & accidentalis: ita miſeria alterius vitæ duplex, eſſentialis, & accidentalis: quare ſit

I. ASSERTIO. Primaria pœna damni, ſeu eſſentialis conſiſtit in carentia viſionis Dei intuitivæ. Probatur. Oppoſitorum oppoſitæ ſunt rationes: Beatitudo eſſentialis alterius vitæ conſiſtit in clara, & intuitiva Dei viſione: ergo pœna, ſeu miſeria eſſentialis alterius vitæ conſiſtit in carentia viſionis Dei intuitivæ. Et verò ex hac carentia viſionis, vt è radice fluunt, aliæ miſeriæ, nempe odium Dei, triſtitia, &c. ſicut ex viſione amor, & gaudium. Deſcribi poteſt carentia nolita ſummi boni, quod homo exigit, & debet poſſidere, & tamen ex culpa non poſſidet: breviùs, carentia poſſeſſionis Dei ob culpam. Dicitur carentia nolita, niſi enim eſſet nolita, non eſſet pœna. 2. ſummi boni, quod exigit

homo, & debet poſſidere; quia vtpote ordinatus à Deo ad gloriam, ab eodem principia rectè operandi acceperat, nempe gratiam, legem, & ſacramenta. 3. ex culpa, en cauſam efficientem, nam propter peccatum illa poſſeſſione excidit; Porrò quantum ſit ſuplicium à Dei conſpectu excludi, ſequentia pronuntiata oſtendunt.

Primum ſit. Tria privationem, ſeu jacturam boni alicujus maximam eſſe probant. Primum, magnitudo boni, nam privatio ex forma, quâ privat ſubjectum, æſtimari debet. Secundum, cognitio perfecta illius boni amiſſi, eáque aſſidua; jactura enim boni, niſi aſſidua cogitatione verſetur, pendatúrque, non habet rationem pœnæ affligentis, ſed privantis dumtaxat. Tertium, maxima animæ in illud bonum inclinantis propenſio. Vt enim quiſque ardentiſſimè bonum cupit; ita damnum illius moleſtiſſimè ferre ſolet.

Secundum. Bonum, quo damnatus privatur ratione primariæ pœnæ damni, eſt poſſeſſio ipſius Dei, qui eſt ſupremum animæ bonum, & lumen gloriæ, quæ qualibet qualitate tum naturali, tum ſupernaturali ſuperior; quibus inſtar appendicis accedit carentia amoris Dei, gaudii beatifici, &c.

Tertium. Magnitudinem boni, quod amiſit, clarè cognoſcit anima, nec poteſt à miſeria ſua cogitationem abducere. 1. ex comprehenſione ſui clarè cognoſcit ſummi boni, ad quod deſtinata erat, excellentiam, 2. ex naturali inſtinctu, quo quiſque damnum, ſi grave per ſe ſit, aſſiduè verſat animo, & retractat. 3. ex divina virtute, quæ mentem in vna miſeriæ ſuæ cogitatione defixam perpetuò tenet, nec ſinit ab illa avocari, juxta illud Danielis, cap. 12. *De his, qui dormiunt in terra pulvere,*

evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, vt videant ſemper. 4. cognoſcit diſtinctè impoſſibilitatem boni illius poſſidendi ex decreto fixo, & ſtabili Dei judicis æterna beatitudine excludentis, huícque cogitationi ita hæret affixa, ita porrò incubat, vt vel momento ſuffurari ſe eidem nequeat.

Quartum. Animæ à corpore ſeparatæ tanta eſt in Deum propenſio, quanta maxima eſſe poteſt. Ratio triplex, prima ex amore ſui, ſecunda ex parte objecti, tertia ex parte ſtatus. Nam 1. anima damnata ſe ſummè amat, in actu philavtiæ jugiter perſeverat, ex habitu amoris ſui ad bonum ſuum, præſertim autem ad beatitudinem maximè propendet. Vt enim ſe ſummè amat, ita optimè ſibi eſſe vult, ſuíque perfectivum quærit. Aliunde ex parte objecti Deus eſt centrum cordis, ipſius finis vltimus, & ſummum bonum, in quo quieſcere vno, à quo perfici, beatíque poſſit; hinc niſus infelicis animæ in Deum naturalis, & neceſſarius, tantúſque impetus, quanta virtute prædita eſt, nam tota, quanta eſt, in finem fertur. Dixi quanta eſt, quia vtroque appetitu fertur, abripitúrque in Deum; quia nullum ampliùs impedimentum eſt in ſtatu ſeparationis, nec voluntas appetitu aliò abripiente diſtrahitur. Quamdiu anima corpore includitur, multa vtique ab amore beatitudinis avocant, divitiarum cupiditas, voluptatum blanditiæ, honorum ſplendor, multa retinent alliciúntque ad ſe ſe. Deinde eminus beatitudinem ſuam intuetur, & à longè reſpectat: objectum autem longiùs diſſitum, vix potentiam movet, parúmque afficit. 3. eſt in via quamdiu hîc degit, non in termino: at ſemel à corpore libera, & rerum

creatarum, præterquam ſui, cupiditate, gemino tantùm, & ſui, & beatitudinis amore occupatur, tenetúrque tota; itaque vtroque appetitu rapitur in Deum citatiſſimo impetu; vt centrum, & ſummum bonum vel ardentiſſimè appetit; vt ad finem vltimum effuſo curſu properat, evolátque quàm celerrimè poteſt, ſed fruſtra. Nam

Quintum. Medio quaſi in conatu retinetur invita, Deo vtique procul à ſe repellente vt judice, & vindice, propter diſſimilitudinem; & attrahente, vt fine, propter congruentiam. Inſtigat perpetuò, ac ſollicitat amor ſui naturalis infelicem animam, vt ſe principio beatitatis ſuæ conjungat: & ab eodem ſe voluntatis libero, ac ſpontaneo motu avellit, ac diſſociat; conjuncta Deo eadem, & disjuncta. Conjuncta per eſſentiam, & naturalem voluntatem: disjuncta autem amore ſui inordinato, & inobedientiâ; hinc fatale animæ diſſidium, quæ duobus inter ſe contrariis, & pugnantibus motibus cietur, & agitatur; acceſſu ad Deum, & ab eodem receſſu; hinc dolor maximus.

Sic enim argumentor. Dolor ex ſeparatione oritur, & quò ſeparatio difficilior, magíſque violenta, eò dolor eſt acerbior: Separatio à Deo animæ damnatæ difficillima, maximéque violenta, 1. quia ſe ſummè amat anima damnata, adeóque ſuam beatitudinem, 2. cognoſcit clarè Deum, vt finem ſuum, & centrum cordis, & ad eum duplici inclinatione fertur tum creaturæ tamquam ad principium ſuum, tum creaturæ rationalis tamquam ad ſummum bonum, 3. eſt extra viam, & in termino, adeóque toto pondere vtriuſque appetitus ſaltem naturalis rapitur in Deum, ſed irrito conatu: ergo ſeparatio illa eſt ſummè violenta; nam ex Auguſti-

evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, vt videant ſemper. 4. cognoſcit diſtinctè impoſſibilitatem boni illius poſſidendi ex decreto fixo, & ſtabili Dei judicis æterna beatitudine excludentis, huícque cogitationi ita hæret affixa, ita porrò incubat, vt vel momento ſuffurari ſe eidem nequeat.

Quartum. Animæ à corpore ſeparatæ tanta eſt in Deum propenſio, quanta maxima eſſe poteſt. Ratio triplex, prima ex amore ſui, ſecunda ex parte objecti, tertia ex parte ſtatus. Nam 1. anima damnata ſe ſummè amat, in actu philavtiæ jugiter perſeverat, ex habitu amoris ſui ad bonum ſuum, præſertim autem ad beatitudinem maximè propendet. Vt enim ſe ſummè amat, ita optimè ſibi eſſe vult, ſuíque perfectivum quærit. Aliunde ex parte objecti Deus eſt centrum cordis, ipſius finis vltimus, & ſummum bonum, in quo quieſcere vno, à quo perfici, beatíque poſſit; hinc niſus infelicis animæ in Deum naturalis, & neceſſarius, tantúſque impetus, quanta virtute prædita eſt, nam tota, quanta eſt, in finem fertur. Dixi quanta eſt, quia vtroque appetitu fertur, abripitúrque in Deum; quia nullum ampliùs impedimentum eſt in ſtatu ſeparationis, nec voluntas appetitu aliò abripiente diſtrahitur. Quamdiu anima corpore includitur, multa vtique ab amore beatitudinis avocant, divitiarum cupiditas, voluptatum blanditiæ, honorum ſplendor, multa retinent alliciúntque ad ſe ſe. Deinde eminus beatitudinem ſuam intuetur, & à longè reſpectat: objectum autem longiùs diſſitum, vix potentiam movet, parúmque afficit. 3. eſt in via quamdiu hîc degit, non in termino: at ſemel à corpore libera, & rerum

reatarum, præterquam ſui, cupiditate, gemino
antùm, & ſui, & beatitudinis amore occupatur,
netúrque tota; itaque vtroque appetitu rapitur
ı Deum citatiſſimo impetu; vt centrum, & ſum-
ıum bonum vel ardentiſſimè appetit; vt ad finem
ltimum effuſo curſu properat, evolátque quàm
elerrimè poteſt, ſed fruſtra. Nam

Quintum. Medio quaſi in conatu retinetur in-
ita, Deo vtique procul à ſe repellente vt judice,
vindice, propter diſſimilitudinem; & attrahen-
e, vt fine, propter congruentiam. Inſtigat perpe-
uò, ac ſollicitat amor ſui naturalis infelicem ani-
ıam, vt ſe principio beatitatis ſuæ conjungat: &
b eodem ſe voluntatis libero, ac ſpontaneo motu
vellit, ac diſſociat; conjuncta Deo eadem, &
isjuncta. Conjuncta per eſſentiam, & naturalem
oluntatem: disjuncta autem amore ſui inordina-
o, & inobedientiâ; hinc fatale animæ diſſidium,
uæ duobus inter ſe contrariis, & pugnantibus
notibus cietur, & agitatur; acceſſu ad Deum, &
b eodem receſſu; hinc dolor maximus.

Sic enim argumentor. Dolor ex ſeparatione ori-
ur, & quò ſeparatio difficilior, magíſque violen-
a, eò dolor eſt acerbior: Separatio à Deo animæ
amnatæ difficillima, maximéque violenta, 1. quia
e ſummè amat anima damnata, adeóque ſuam
eatitudinem, 2. cognoſcit clarè Deum, vt finem
uum, & centrum cordis, & ad eum duplici incli-
atione fertur tum creaturæ tamquam ad princi-
ium ſuum, tum creaturæ rationalis tamquam ad
ummum bonum, 3. eſt extra viam, & in termino,
deóque toto pondere vtriuſque appetitus ſaltem
aturalis rapitur in Deum, ſed irrito conatu: ergo
eparatio illa eſt ſummè violenta; nam ex Auguſti-

Digitized by Google

no, lib. 1. de Civit. Dei, c. 26. *Ex rerum amiſſione tantùm neceſſe eſt vrat dolor, quantùm hæſerat amor.* Vnde D. Thomas, lib. 4. contra gentes, cap. 94. ait animas damnatorum torqueri à naturali deſiderio beatitudinis totaliter fruſtratæ. *Fruſtra* quippe *cupiditas, ſive non perveniendo, quò tendebat, ſive amittendo quò pervenerat, vertitur in dolorem*; vt notat Auguſt. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 3. Ad hæc, anima ſeparata ſenſus eſt ex quiſitiſſimi, quia tum in ſe patitur immediatè, vt pote radix omnis ſenſationis, tantúmque ſuperat dolor animi dolorem corporis, quantum anima ipſa corpus; hujus enim ſenſus hebes, & obtuſus, illius vividus maximè, & acutus. Denique, vt obſervat D. Bernardus, lib. 5. de conſiderat. c. 12. non poteſt eſſe Deo contrarium quid, & ſibimet cohærere: ſed qui arguetur à Deo, arguetur à ſe ipſo: ergo neceſſe eſt, vt anima, dum ſe à Deo voluntate libera disjungit, & ex inſtinctu primo naturali, & neceſſario ad eumdem fertur, ſe ipſam intra ſe ipſam dividat, diſcindat ac dilaniet, cupiditatibus in diverſa rapientibus. Finge reum quatuor equis in diverſa trahentibus miſerè lacerum, levem doloris illius imaginem adumbraſti quidem, ſed non expreſſiſti totam. Sed de primaria damni pœna ſatis, de ſecundaria ſit

II. Assert. Vt ex clara Dei viſione amor ſequitur in voluntate beati tum amicitiæ, tum benevolentiæ: ita ex carentia viſionis non tantùm carentia amoris, ſed etiam odium inimicitiæ, & malevolentiæ in voluntate damnati erga Deum ſequitur, immò & odium ſui.

Probatur 1. Damnata anima novit ſe Dei maximè capacem, tum ex parte ſui, tum ex parte ordinationis

nationis divinæ. Ex parte ſui, cùm in ſe reducta, ſibique præſentiſſima ſit, videt vtique mentem ſummi veri cognoſcendi capacem, voluntatem ſummi quoque boni amandi avidiſſimam: ex parte ordinationis Dei videt titulos omnes, ac jura, quæ Chriſtus ipſi promeruerat, conceſſerátque ad cæleſtem hæreditatem, quibus tamen ſuâ culpâ excidit. 2. novit ſe ita privatam Deo tamquam ſummo vero, & ſummo bono, vt numquam recuperatura ſit. 3. duplicem illius carentiæ cauſam novit, alteram moralem ex parte ſui, nempe peccata ſua, quorum fœditatem turpiſſimam, inordinationem pervidet; quantum enim contra rectam rationem pugnent, quantum legi divinæ, & ſingulis perfectionibus Dei adverſentur, tum pleniſſimè intelligit, ſempérque intelliget, quia ex memoria numquam delebuntur; hinc odium ſui, & quidem tantum, quanta eſt peccatorum fœditas, quantus fuit amor ſui in via, éſtque etiamnum in termino, quanta denique finis vltimi, ad quem ſe totâ contendit, cupiditas: alteram ex parte Dei, quem ſibi infenſum videt, ſemper capiti ſuo imminentem armatum flagellis, ſemper exigentem pœnas, numquam placandum. Certè ex continuo, & acerbiſſimo cruciatu, quem patitur, ex amiſſione beatitudinis, & deſertione perpetua, denique ex tormento ignis, quo à Deo vindice excruciatur, non poteſt non erumpere in ardentiſſimum Dei vindicis odium, à quo tam malè habetur, ac vindictæ cupiditatem, nam in tantis ſuppliciis divinæ voluntati conformare ſe non poteſt, quia pravo, rectóque numquam convenit. Voluntas Dei ſancta, & juſta: voluntas damnati ſemper diſtorta, & depravata; nec aliunde per pœnitentiam ſupernaturalem peccata deſtruere

poteſt, quia eſt extra viam. Immò habet moralem impotentiam non peccandi, cujus impotentiæ cauſa multiplex. Prima, odium Dei ſummum, & ſuppliciorum atrocitas, quibus ita premitur, vt Deo vindici ſemper diſplicere velit. Secunda, ſumma malitia voluntatis damnati, cui nihil placet niſi malum. Tertia, maxima afflictio, & triſtitia ex tantis cruciatibus orta, quâ ita excæcatur, & perturbatur, vt ad bonum morale attendere non poſſit. Quarta, conſtans denegatio auxilii ſupernaturalis. Quinta, deſperatio orta ex cognitione impoſſibilitatis ex illo ſtatu vmquam emergendi. Itaque ſemper peccat actu: ergo inæqualitas, & diſproportio voluntatis creatæ, & divinæ tolli non poteſt.

Hinc odium Dei erga damnatum, & quidem neceſſarium, infinitum, & efficaciſſimum. Neceſſarium, quia Deus neceſſitate naturæ malum odit, deinde vt infinitè ſanctus peccatum non poteſt non odiſſe: infinitum, quia ſe toto inſenſum ſibi peccatorem odit, & reſilit à malo: efficaciſſimum, quia multiplex odii illius mutui effectus, tum ex parte Dei, tum ex parte damnati, & poſitivus, & negativus.

Primò ex mutuo vtriuſque odio mutua pugna, conflictúſque voluntatum æternus oritur, quæ ita diverſæ, ita contrariæ ſunt inter ſe, vt ament vſque contraria, ſtudiiſque adverſis in adverſa rapiantur. Volet Deus, quod numquam anima velle poterit: deſiderabit anima, quod Deus ſemper averſabitur.

Secundò ex illo conflictu læſio, & dolor voluntatis creatæ. Ratio eſt, quia divina voluntas valentiſſima, robuſtiſſimáque, & quædam indeclinabi-

is rectitudo, quæ proinde invita nullius deſiderio, & voluntati obſequi poteſt: voluntas creata imbecillis ipſa per ſe, & infirma: voluntas porrò imbecillior ſemel cum valentiori commiſſa, non poteſt ab ea non graviſſimè lædi, & quoties in ipſam impingit, toties eò majori doloris ſenſu afficitur, quò ſuæ ſpontis amantior, retinentiórque: ergo voluntas damnati ſemper in divinam cum dolore maximè impingit, Deóque vt judici per pœnam ordinanti incaſſum obluctatur; hinc ſemper volet anima quod numquam erit, & ſemper nolet, quod numquam non erit. Semper malum culpæ volet, vt voluptatem ex Deo offenſo percipiat; peccabit quidem ſemper, ſed voluptas vera ipſi negabitur: ſemper nolet pati, patietur ſemper: Semper libertatis ſuæ retinentiſſima, Deo ſubjici nolet, ſemper ſubjicietur invita, & reluctans. Ex iterata autem cupiditate, & iterata negatione quantus ſit dolor, bellè exprimit D. Bernardus, lib. 5. de conſider. c. 12. *Quid iniquis voluntatibus tam contrarium, & adverſum, quàm ſemper conari, impingere ſemper, & fruſtra. Væ oppoſitis voluntatibus, illam ſuæ profectò averſionis referentibus pœnam. Quid tam pœnale, quàm ſemper velle, quod numquam erit? Quid tam damnatum, quàm voluntas addicta huic neceſſitati volendi* (ſcilicet beatitudinem) *nolendique,* (ſubjici Deo) *vt ad vtrumlibet tam ſi cui nonniſi perversè* (ex amore proprio) *ita nonniſi miſerè moveatur. In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus ſuſtinebit.*

Tertiò, mutua derelictio, & abdicatio. Deus enim cura omni, & præſidio ſupernaturali deſtituit; procul à ſe abjicit, nec ampliùs regit vt pater,

Digitized by Google

poteſt, quia eſt extra viam. Immò habet moralem impotentiam non peccandi, cujus impotentiæ cauſa multiplex. Prima, odium Dei ſummum, & ſuppliciorum atrocitas, quibus ita premitur, vt Deo vindici ſemper diſplicere velit. Secunda, ſumma malitia voluntatis damnati, cui nihil placet niſi malum. Tertia, maxima afflictio, & triſtitia ex tantis cruciatibus orta, quâ ita excæcatur, & perturbatur, vt ad bonum morale attendere non poſſit. Quarta, conſtans denegatio auxilii ſupernaturalis. Quinta, deſperatio orta ex cognitione impoſſibilitatis ex illo ſtatu vmquam emergendi. Itaque ſemper peccat actu: ergo inæqualitas, & diſproportio voluntatis creatæ, & divinæ tolli non poteſt.

Hinc odium Dei erga damnatum, & quidem neceſſarium, infinitum, & efficaciſſimum. Neceſſarium, quia Deus neceſſitate naturæ malum odit, deinde vt infinitè ſanctus peccatum non poteſt non odiſſe: infinitum, quia ſe toto inſenſum ſibi peccatorem odit, & reſilit à malo: efficaciſſimum, quia multiplex odii illius mutui effectus, tum ex parte Dei, tum ex parte damnati, & poſitivus, & negativus.

Primò ex mutuo vtriuſque odio mutua pugna, conflictúſque voluntatum æternus oritur, quæ ita diverſæ, ita contrariæ ſunt inter ſe, vt ament vſque contraria, ſtudiíſque adverſis in adverſa rapiantur. Volet Deus, quod numquam anima velle poterit: deſiderabit anima, quod Deus ſemper averſabitur.

Secundò ex illo conflictu læſio, & dolor voluntatis creatæ. Ratio eſt, quia divina voluntas valentiſſima, robuſtiſſimáque, & quædam indeclinabi-

lis rectitudo, quæ proinde invita nullius deſiderio, & voluntati obſequi poteſt: voluntas creata imbecillis ipſa per ſe, & infirma: voluntas porrò imbecillior ſemel cum valentiori commiſſa, non poteſt ab ea non graviſſimè lædi, & quoties in ipſam impingit, toties eò majori doloris ſenſu afficitur, quò ſuæ ſpontis amantior, retinentiórque: ergo voluntas damnati ſemper in divinam cum dolore maximè impingit, Deóque vt judici per pœnam ordinanti incaſſum obluctatur; hinc ſemper volet anima quod numquam erit, & ſemper nolet, quod numquam non erit. Semper malum culpæ volet, vt voluptatem ex Deo offenſo percipiat; peccabit quidem ſemper, ſed voluptas vera ipſi negabitur: ſemper nolet pati, patietur ſemper: Semper libertatis ſuæ retinentiſſima, Deo ſubjici nolet, ſemper ſubjicietur invita, & reluctans. Ex iterata autem cupiditate, & iterata negatione quantus ſit dolor, bellè exprimit D. Bernardus, lib. 5. de conſider. c. 12. *Quid iniquis voluntatibus tam contrarium, & adverſum, quàm ſemper conari, impingere ſemper, & fruſtra. Væ oppoſitis voluntatibus, ſolam ſuæ profectò averſionis referentibus pœnam. Quid tam pœnale, quàm ſemper velle, quod numquam erit? Quid tam damnatum, quàm voluntas addicta huic neceſſitati volendi* (ſcilicet beatitudinem) *nolendique,* (ſubjici Deo) *vt ad vtrumlibet jam ſi cui nonniſi perversè* (ex amore proprio) *ita nonniſi miſerè moveatur. In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus ſuſtinebit.*

Tertiò, mutua derelictio, & abdicatio. Deus enim cura omni, & præſidio ſupernaturali deſtituit; procul à ſe abjicit, nec ampliùs regit vt pater,

& author gratiæ, aut diligit, vt ſponſus; hinc nulla ampliùs pia, & ſalutaris cogitatio, votum nullum, affectus planè nullus erga divina. Viciſſim Deum infelix anima abdicabit, nec ampliùs pro Deo ſuo, pro patre, & ſponſo habebit. Deum non eſſe ampliùs animæ, qualis jactura! animam non eſſe ampliùs Dei, ad quem tot titulis attinet, cui tot ſe nominibus debet, quàm grave, & horrendum crimen! mutuam hancce abdicationem exprimunt verba Prophetæ Oſeæ 1. verſ. 9. *Voca nomen ejus non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter.* Sed hæc derelictio ſequitur potiùs ex carentia amoris, quàm ex odio Dei.

Quartò, cùm odium Dei ſit efficaciſſimum, & odiſſe ſit malè velle, ſicut amare eſt bene velle, Deus dum abdicat damnatum vt pater, inſequitur vt judex vindéxque ſcelerum, idem ſumma illius pœna, qui beatorum ſumma felicitas. Nam ex D. Bernardo Deus cum perverſo pervertitur, nec minùs pœna perverſorum eſt, quàm humilium gloria. Ratio eſt, quia quocumque in ſtatu ſit anima, ſemper Deo ſubjici debet: dum paterno regimini ſe ſubducit, in ſeveritatem judicis incurrit, juxta illud D. Auguſtini, lib. 4. Confeſſ. c. 9. *Quò it, aut fugit, qui te dimittit? à te placido ad te iratum. Nam vbi non invenit legem tuam in pœna ſua?* Ergo anima Deo etiam in termino ſuberit, vel vt præmianti, vel vt punienti, & quem noluit habere, vt remuneratorem, habebit vt vindicem: & quoniam creaturæ non minùs ſatellites ſunt divinæ juſtitiæ, quàm bonitatis adminiſtræ, ideo præſto erunt Deo judici ad damnati tormentum, zelúmque ſuum armabunt adversùs inſenſatos. Dæmon quaſi Dei vicarius, & miniſter invadet, occupabítque totum,

cogitationes, deſideria, vota ſuggeret, flectet ad nutum, & reget; ignis vim ſuam actuoſam, & divina virtute corroboratam admovebit, & vret, &c.

Quintò, cùm odium ſit reliquorum affectuum, quibus anima torquetur acerbiùs, fœcundum principium; ex odio damnatus erumpet in iram contra Deum, invidiam in beatos, vindictæ cupiditatem, quam explebit nuſquam: quid plura? furet ſemper, timebit, horrebit, dolebit, deſperabit, ſuíſque turbulentis affectibus cruciandus tradetur totus, modò ſibi invicem ſuccedentibus, modò conſpirantibus vnà ad illius ſupplicium, turmatímque ex corde erumpentibus, vnde integra animæ vaſtitas, &c.

III. Assert. Vt ex viſione Dei, & amore ſequitur gaudium in beato: ita ex carentia viſionis, & amoris, aliorúmque bonorum, maliſque præſentibus triſtitia maxima conſequitur in damnato. Probatur prima pars. Vt enim gaudet beatus de viſione Dei, amore tanti boni, bonis operibus, amœnitate patriæ cæleſtis, &c. ita damnatus de amiſſione tot bonorum non poteſt non dolere. Probatur ſecunda pars, nempe quòd maxima ſit, & quidem ſuprà quàm cogitari poſſit, poſitis hiſce principiis.

Primum ſit. Triſtitia non eſt ſimplex, ſed compoſitus affectus: componitur enim ex amore boni, quod abeſt, ideóque D. Auguſtinus 14. de Civit. c. 7. dixit *amorem boni eſſe cauſam triſtitiæ*; & odio mali, quod præſens eſt, nec evitari poteſt; hinc

Secundum. Quò major eſt amor boni amiſſi, aut odium mali præſentis, eò major, & acerbior doloris ſenſus: eò autem major eſt amor boni amiſſi in damnato, quo majus eſt bonum in ſe, & major

Digitized by Google

ſui amor, ſicut odium mali eò acerbius, quò ipſum malum eſt gravius.

Tertium. Bonum amiſſum quintuplex eſt, ídque maximum. Primum eſt patriæ cæleſtis amœnitas. Secundum ſocietas beatorum. Tertium lumen gloriæ, & viſio beata, & quæcumque ipſam ſequuntur, vt proprietates aut effectus in intellectu, voluntate, & aliis animæ facultatibus. Quartum Dei amicitia, quâ ſe videt excidiſſe. Quintum gloria corporis, & eximiæ illius dotes. Malum, quod præſens eſt, non vnum eſt, ſed multiplex, nempe carceris fœditas, vermis perpetuò arrodens, ſocietas damnatorum, ignis ſemper adurens, nec conſumens, & objecta dolorifera ſingulorum ſenſuum.

Quartum. Novit damnatus hæc tot bona, quæ amiſit, recuperare ſe non poſſe; nec mala, quibus vrgetur, avertere: ergo triſtitia ex tot bonorum jactura, & tot malis præſentibus propè infinita ſequitur, & quidem eò acerbior, quò amor ſui in damnato major eſt, & eorum bonorum, quibus caret, majúſque odium malorum, quæ à ſe amoliri non poteſt.

Quintum. Aliæ præterea cauſæ mœrorem illum augent. 1. Cùm damnatus oderit Deum vt ſibi dilecto infenſum, non poteſt non maximâ triſtitiâ conſici, cùm videt Deum in ſua pœna, & vindicta lætantem, & quaſi gloriantem. 2. Quantò major eſt deformitas, & turpitudo, magiſque propinqua, tantò magis ſolemus abhorrere, & ex illius præſentia triſtari: at peccata fœdiſſima per ſe ſe, animæ damnatæ inſunt, deformant turpiter: quanta ergo triſtitia ex aſpectu continuo illius fœditatis animæ inhærentis, & Dei imaginem turpiter fœdantis!

Quidquid eſt contra Deum, qui eſt ſummè amabilis, & delectabilis, ſummè odibile, & triſtabile ſit, oportet: quid magis contra Deum, quàm peccatum? 3. Ira, & deſperatio ſunt cauſa triſtitiæ, ex Philoſopho, præſertim cùm quiſpiam non poteſt vindictæ appetitum explere, ſéque expleturum deſperat. 4. Oberrat ſemper illius menti, & incubat horrendum illud ſemper, nempe æternitas. 5. Ab effectis triſtitiæ illius acerbitas facilè colligitur.

Primò enim excludit omne gaudium verum. Vt enim gaudium in beatis ſuâ exuperantiâ connaturaliter omnem doloris ſenſum expellit: ita mœroris acerbitas in damnatis gaudium omne profligat. Diſplicentia quidem eſt in beatis, de iis, quæ fiunt contra Deum, ejúſque gloriam, & complacentia in damnatis: at nec diſplicentia beatorum propriè dolor eſt, nec complacentia gaudium in damnatis. Ratio eſt, quia gaudium duo requirit, præſentiam boni concupiti, & quietem in bono cum quadam ſuavitate; dolor autem præſentiam mali, & inquietudinem voluntatis circa illud malum. Diſplicentia quidem eſt in beatis circa malum Dei, ſed ſine inquietudine; & in damnatis, rabida quædam complacentia, ideóque ſine ſuavitate: ergo nullum verum gaudium.

Secundò ex triſtitia in damnatis naſcitur deſperatio, furor, & odium, propter conſenſum ejuſmodi affectuum, quorum alii ex aliis apti ſunt, connexíque inter ſe. Vt enim affectus circa bonum alii ex aliis facilè naſcuntur, ex amore deſiderium, ex deſiderio lætitia: ita facilè anima ex ſumma triſtitia in deſperationem, & furorem agitur. Certè ex malo ſemper inſtanti triſtitia oritur, & ex eodem inevitabili deſperatio; ex deſperatione furor, &

odium in Deum, & omnia, quæ Dei ſunt, & in ſe ipſos. Quàm Deum perditum vellent! ſed quia perdere nequeunt, hinc indignatio, ex indignatione blaſphemiæ, & maledicta.

IV. Assert. Vt beatis memoria bonorum operum voluptatem quamdam affert, & quietem, juxta illud, 2. ad Corinth. 1. *Hæc eſt gloria noſtra teſtimonium conſcientiæ noſtræ*: ita damnatis memoria peccatorum triſtitiam affert, quæ animam peccati ream quaſi aculeo quodam compungit, & quietis impotentem reddit; & hic eſt vermis conſcientiæ, cujus exiſtentiam, naturam, & affectiones ſtrictim examino.

Exiſtentiam illius probat Scriptura, authoritas Patrum, & ratio. Scriptura Marci 9. vbi *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur.* Eccl. 7. *Vindicta carnis impii, ignis, & vermis.* Authoritas Patrum, D. Bernardi, lib. 5. de conſider. cap. 12. *Nullus de tanta numeroſitate ſpectantium moleſtior oculus ſuo cujuſque. Non eſt aſpectus ſive in cælo, ſive in terra, quem tenebroſa conſcientia ſuffigere magis velit, minus poſſit. Non latent tenebræ vel ſeipſas. Se vident, quæ aliud non vident. Opera tenebrarum ſequuntur illos, nec eſt, quo ſe abſcondant ab illis ne in tenebris quidem. Hic eſt vermis, qui non moritur, memoria præteritorum*, &c. Accedit Auguſtinus in Pſalm. 45. & 36. *Seipſum quò fugiturus eſt homo? quocumque fugerit ſe, talem trahit poſt ſe, & quocumque talem traxerit ſe, cruciat ſe. Ipſe eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua. Deus ſcit tantam pœnam animæ, tantas cruces, tantas gehennas, tanta tormenta.*

Denique ratio D. Thomæ, quæſt. 88. art. 1. probat. Quidquid, inquit, contra aliud inſurgit,

detrimentum ab eo patiatur neceſſe; hinc in rebus naturalibus vnum contrarium vehementiùs agit, inſurgente altero: in rebus humanis homo hominem in ſe inſurgentem deprimit: denique in Politicis quidquid contra ordinem aliquem inſurgit, ab illo ordine, aut principe illius ordinis deprimitur, quæ depreſſio pœna eſt: at quicumque peccat, inordinatè agit: ergo in ordinem inſurgit, & quidem triplicem, propriæ rationis, exterioris hominis gubernantis, & divini regiminis: ergo triplici dignus pœna. Quatenus peccat contra propriam rationem, habet remorſum propriæ conſcientiæ; quatenus in homines, infamiam, & aliquando ſupplicia; quatenus in Deum, pœnam tum in hac, tum in altera vita.

Natura illius vermis, ſeu remorſus in actibus intellectus, & voluntatis conſiſtit; eſt enim ex parte intellectus actus, quo præterita peccata revocat anima, ſe ream illorum judicat, & videt tot ſcelerum reatum à ſe elui numquam poſſe, adeoque pœnam ſibi inevitabilem: ex parte voluntatis eſt actus, quo peccata præterita deteſtatur, & odit, non quòd offenſa Dei ſint, ſed quòd tot mala ſibi accerſant; dolet de præſenti reatu, & ex malo vrgenti, & inevitabili anguſtiâ conficitur, & dolore propè infinito, vnde deſperatio. Probatur, quia per ejuſmodi actus rectè explicatur quidquid à ſanctis Patribus de verme conſcientiæ ſeu ſyndereſi dicitur. Nam quà repræſentat intellectui peccata præterita, & eorum cauſas, dicitur teſtis, & accuſator; quà ream animam pronuntiat, & ipſam condemnat, dicitur judex; quà dolorem in voluntate excitat, & cruciatu pœnam exigit, dicitur tortor, & carnifex.

Hinc patet, quàm rectè dixerit Innocentius tertius, lib. de contemptu mundi, c. 1. illius vermis triplicem eſſe morſum. *Vermis*, inquit, *conſcientia tripliciter lacerabit: affliget memoriâ; ſerâ turbabit pœnitentiâ; torquebit anguſtiâ.* Denique cur dicat D. Auguſtinus in Pſal. *Vnicuique ſupplicium fieri de peccato ſuo, & ejus iniquitatem in pœnam converti. Nec putemus*, inquit, *illam tranquillitatem, & ineffabile lumen Dei de ſe proferre, vnde peccata puniantur; ſed ipſa peccata ſic ordinare vt quæ fuerunt delectamento homini peccanti, ſint inſtrumenta Domino punienti.* Itaque ordinabuntur ante infelicem animam omnia peccata præterita, eorum cauſæ, contemptæ, neglectæque gratiæ, quibus ſi conſenſiſſet, ab iis liberari haud dubiè potuiſſet, tot opportunitates ſalutis conſtituendæ, quas ſuâ negligentiâ elabi paſſa eſt, jactura gloriæ æternæ, & quidem leviſſimis ex cauſis, vnde anima infelix illud Scripturæ ſibi inculcat perpetuò, oggerítque ad faſtidium exprobrando, *Vbi eſt Deus tuus?* Eccur amiſiſti? Age porrò, quàm grave, quàm moleſtum, tot ſcelerum, tot ac tantorum damnorum ſemper meminiſſe, videre ſemper, & coram intueri peccatorum multitudinem, & fœditatem! quàm ſordet memoria tot fœda flagitiis, horrida facinoribus, contemptu hiſpida, & neglecta! itaque vermis affligit memoriâ. Ad hæc nullus excuſationi locus, aut tergiverſationi; tenetur rea tot ſcelerum ex teſtimonio conſcientiæ, cui refragari non poteſt; hinc deteſtatio, & dolor in voluntate. Quàm vellet non feciſſe! quàm vellet reatum, quo inficitur, lacrymis eluere! ſed dolor nimium ſerus, & irrita vota; itaque vermis ſerâ turbat pœnitentiâ. Adſtant perpetuò peccata, infelicis voluntatis nimio plus ſe amantis

partus, clamántque tacitè, dum anima procul à ſe nititur amoliri; *Opera tua ſumus, non te deſeremus*; Denique dum pondere tot ſuppliciorum obruitur, ſine ſpe illius ſublevandi, angitur maximè; itaque vermis torquet anguſtiâ.

Affectio vermis illius multiplex. Prima eſt immortalitas. *Hic eſt*, inquit Bernardus, *vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potiùs innatus per peccatum hæſit firmiter, nequaquam deinceps avellendus. Nec ceſſat rodere conſcientiam, eâque paſtus, eſca vtique inconſumptibili perpetuat vitam.* Non eſt in hac vita perpetuus conſcientiæ oblatrantis morſus; feriatur interdum, & arte fallaci à nobis eluditur; deliniunt vtcumque voluptates immanem belluam; diſtinent nonnihil negotia, quibus nos ipſi diſtinemur; ſomnus ipſe illius aculeum retundit: at in altera vita, nulla quietis intervalla; vbi ſemel rodere cœpit, æternum rodit, nec excutitur vſquam, domeſticus hoſtis inſectatur ſemper, ſemper exquiſitiſſimis ſuppliciis, angore animi, recordatione malefacti animam vexat, cruentat, excarnificat, partus ejuſdem, & tortor valentiſſimus. Quid plura? ingenioſus pœnarum artifex æternitatem ſuppliciorum, quàm longa eſt, in compendium colligit, eámque quolibet momento animæ vno cernendam obtutu totam objicit, vt ſingulis momentis ea patiatur, quæ tota eſt paſſura æternitate.

Triplex cauſa eſt illius immortalitatis. Prima ex parte peccati; ſecunda ex parte animæ; tertia ex parte Dei. Ex parte peccati; materia enim eſt reatus culpæ, qui deleri non poteſt; naſcitur quippe ex putredine peccatorum, ſicut vermis ex putredine ligni. Ex parte animæ, quia

vt ait Bernardus 5. de conſider. c. 12. *Conſtat animam immortalem, nec aliquando abſque ſua memoria vivere, ne non animam aliquando eſſe contingat. Itaque durante animâ durat, & memoria.* Anima quidem modò ſenſibus addicta, nihil niſi ab iis immiſſum, perceptúmque cogitat, ac ſui ideo ſæpe obliviſcitur: at jam in ſe collecta, ſe ipſam perpetuò contemplata, quæ ſit, qualis ſit, & quo in ſtatu, & quas ob cauſas, clarè intuetur. Ex parte Dei, qui virtute ſua infinita, vt jam dixi, mentem à tormentorum cogitatione non ſinit avocari, & ſi D. Gregorio, hom. 40. in Euang. fides eſt, quò vermis ſtimulum exacuat magis ac magis, beatorum gloriam identidem oſtendit. *Vt peccatores*, inquit, *in ſupplicio ampliùs puniantur, & eorum vident gloriam, quos contempſerunt, & de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amaverunt. Ita cœlitum felicitatem damnati vident, ſed velut eminus.*

Secunda affectio vermis illius eſt, quòd ſit generale inſtrumentum aliorum tormentorum; *hoc* enim *carnifice occulto, in authorem ſcelerum tormenta deſæviunt.* Vruntur quidem infelices victimæ ab igne exteriùs, & ardent, veluti totidem faces, fataléſque tædæ, ac buſta ſempiterna: at multò magis vruntur interiùs à verme, dum ſua culpa, impuríſque ignibus tartareos ignes accendiſſe occlamat. Tantò ſupplicium acerbius, quantò interius: cætera ſupplicia magnam partem extrinſecus accidunt: hæret intus vermis in tribunali rationis ſcelerum teſtis oculatiſſimus, accuſator perpetuus, judex ſeveriſſimus, pœnarum exactor importunus, immaniſſimus tortor. Grave ipſa per ſe ſupplicium pœnarum æternitas, omnia complectens tempora,

Digitized by Google

& omnia tempora tranſcendens, perenne conſtans, perenne ſemper incipiens, in quo damnati ſemper moriuntur, & poſt mortem cum morte luctari denuò incipiunt: at gravior conſcientia jacturam beatæ æternitatis ſemper exprobrans: gravior cogitatio, id vnum ſemper inculcans, *quæ nunc patimur, æternum patiemur*, quia in quolibet momento infelicem æternitatem quodammodo replicat; hinc D. Ambroſius vermem pœnâ vtrâque damni, & ſenſus acerbiorem cenſet, quia vtramque complectitur. Iactura quippe Dei tunc maximè cruciat, cùm dolet anima beatitudinem culpâ ſuâ amiſſam; tum amiſſam potiſſimùm dolet, cùm magnitudinem jacturæ ſuis expendit momentis, & exprobrat conſcientia; aliunde dum ignis in corpus, & animam divinâ efficientiâ elevatus agit, ipſum vermis vt ſignum Dei offenſi menti perpetuò objicit; acer quidem doloris ſenſus ab igne corpus, & animam ſimul comburente, ſed acrior multò à verme eumdem, vt ſignum Dei offenſi menti objiciente. Quàm grave ſupplicium tot meruiſſe ſupplicia, & ſe meritum ſemper noſſe! Tolle conſcientiam proprii reatus à damnatis, leviùs ſupplicia ſua vtique ferent: hanc adjice vnam, ferre non poſſunt. Quis ergo cum D. Bernardo non horreat vermem mordacem, divini furoris adminiſtrum, vindicis juſtitiæ ſatellitem, mortem denique vivacem? Horrebis autem, & quidem cum fructu, ſi jam nunc hærentem animo ſentias, ne in æternum ſentias. Optimum eſt, inquit, D. Bernardus, ſerm. de converſione ad Clericos, c. 6. *Tunc ſentire vermem, cùm poſſit etiam ſuffocari. Itaque mordeat nunc, vt moriatur, & paulatim deſinat mordere. Mordendo rodat interim putredinem, vt rodendo con-*

Digitized by Google

ſumat, & ipſe quoque pariter conſumatur, ne foveri incipiat in immortalitatem.

V. Assert. Damnatis potentia phyſica peccandi, & non peccandi ineſt quidem, ſed potentia moralis deeſt. Probatur prima pars. Damnati poſſunt peccare, & reipſa peccant: ad peccandum, & non peccandum potentia peccandi, & non peccandi ſaltem phyſica, & antecedens requiritur: ergo damnatis ineſt potentia phyſica, & antecedens peccandi, & non peccandi. Probatur ſecunda pars: ad potentiam moralem peccandi, & non peccandi requiritur gratiæ ſupernaturalis auxilium: damnatis nullum à Deo gratiæ ſupernaturalis auxilium conceditur: ergo non habent potentiam moralem peccandi, & non peccandi. Deinde ex ſumma malitia voluntatis nihil illis placet niſi malum, vt jam dixi aſſertione ſecunda; hinc non poſſunt retractare, & deteſtari peccata commiſſa ex motivo pœnitentiæ ſupernaturalis, quia extra viam conſtituti privantur omnibus auxiliis, & donis ad operandum ſupernaturaliter requiſitis; hinc etiam non habent potentiam moralem ad vllum actum honeſtum, ideóque ſemper malè operantur. Certè ex Eccleſiaſt. 9. *Nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Porrò illa impotentia moralis honeſtè agendi ſe tenet tum ex parte intellectus, cui deeſt rectitudo judicii practici, quo inducimur ad rectè operandum, & ex parte voluntatis, quæ eſt in malo obfirmata.

VI. Assert. Vtraque pœna tum damni, tum ſenſus æterna eſt. Hæc aſſertio ſequitur ex priori. Tandiu enim puniri debet peccator, quamdiu perſeverat peccatum in eo tum quoad reatum

culpæ, tum quoad reatum pœnæ: in damnatis perſeverat peccatum, tum quoad reatum culpæ, tum quoad reatum pœnæ, quia peccatum finale conſtituit hominem in eo ſtatu, in quo nec mereri, nec ſatisfacere poteſt. Ratio eſt, quia deſtruit & gratiam, & charitatem, quæ eſt principium meriti, & ſatisfactionis. Hæc ratio eſt D. Thomæ, lib. 4. contra gentes, cap. 94. vbi docet, per peccatum amitti charitatem, quæ eſt principium vitæ ſupernaturalis; jacturam verò charitatis ex natura ſua eſſe damnum irreparabile, quia corruptio principii ex natura ſua irreparabilis eſt; hinc Eucherius, hom. 1. ad Monachos: *Quia non recipit cauſa remedium, carebit fine ſupplicium: occidente itaque pœna, & vivificante ſententia ſtabit ſæculis materia reparabilis, & numquam ad metam malorum termino fugiente perveniet.* Confirmatur ex analogia beatitudinis. Vt enim ſtatus beatæ voluntatis immutabilis eſt, quia eſt in termino: ita ſtatus damnatæ animæ immutabilis eſt, quia hæc miſeria eſt beatitudini oppoſita, vt pote illius privatio: at entis, & non entis; habitus, & privationis eadem duratio. Accedit authoritas Scripturæ, Matth. 25. *Ibunt hi quidem in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Iſaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit cum ardoribus ſempiternis?*

Ad hæc 1. maxima haud dubiè pœnæ æternæ ad coërcendam in hominibus peccandi licentiam opportunitas. Noverat apprime Deus, *quàm proni ſint hominum ſenſus in malum*; quantæ ſint vbique peccandi illecebræ; quot in nobis ex prima peccati originis labe ad Dei offenſam invitamenta ſuperſint, quæ non legis divinæ authoritas, non metus

temporariæ pœnæ reprimere valeant; parum, ac ferè nihil in multorum animos valituram ad virtutis ſtudium æternæ gloriæ ſpem propoſitam, niſi æternæ etiam infelicitatis timor accederet. Vtrimque igitur neceſſe fuit hominem includi; hinc quidem gloriâ cæleſti quæ ad omne honeſtatis decus ſuis illecebris excitaret; inde verò pœnâ numquam deſiturâ, quæ à ſceleribus eumdem revocaret. Quàm multi licentiùs peccant, & inverecundiùs, propoſitâ licèt, & conſtitutâ à Deo ſceleribus ſuppliciorum æternitate! quanta ergo foret peccandi impunitas, ſi pœnam dumtaxat temporariam vindex juſtitia criminibus decreviſſet? aluiſſet mehercule potiùs, quàm repreſſiſſet libidinem peccandi in hominibus, concepta animo de pœnis aliquando finiendis opinio. Et verò aluit, fovítque quàm maximè ſparſum olim in vulgus ab Origene hoc deteſtandum dogma, vt ipſe teſtatur Homilia è Biblioth. Vaticana non ita pridem excuſa; multi ſiquidem, qui opinione pœnarum æternitatis ſuſceptâ caſtè, ſanctéque vixerant; eadem poſtmodum depoſitâ in omne vitium ſe ſe præcipites dedere. *Quot*, inquit, *inter ſapientes habiti, cognita veritate de pœnis inferni, & deceptione rejectâ*, (vel potiùs veritate, ibi enim ſecundùm errorem loquitur) *vitiorum vitam amplexati ſunt? Vtilius erat illis ſentire, vt priùs ſentiebant, de illo. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguitur.* Itaque pœnarum æternitatem criminibus hominum debuit divina juſtitia decernere, ſi ſuæ gloriæ, ſi hominum ſaluti conſultum vellet. Culparum in Deum compendium eſt, ſemel decreta peccato pœnarum æternitas: contrahit ſcelera mulcta diuturnior: munus eſt divinæ in homines beneficentiæ

ignis infernus, in quibus ſimul extinguit peccandi libidinem, & accendit charitatem: auget merita carcer perpetuus, dum minuit peccata. Quid plura? timor ex tanto cruciatuum apparatu ſubnaſcens, ſalutis noſtræ ſecuritas, ſtimulus virtutis in juſtis, & ſanctitatis incrementum. Dum tanti horrore cruciatus ſaluti noſtræ vel ſic providit æquiſſimus judex, nobis multùm indulſit; vtique ſeverior, ſi nos mitiùs habuiſſet.

2. Nemo ſapiens nimiæ ſeveritatis leges humanas arguit, cùm æternum è civitate, aut regno publicæ tranquillitatis perturbatoribus exilium indicunt; cùm reum læſæ majeſtatis morte atrociſſima mulctant; cùm partem etiam pœnæ ad ipſius poſteros tranſmittunt. Cur autem? Nempe æquitas poſtulat, vt crimen æqua pœnæ ratio caſtiget. Momentanea quidem fuit culpa, ſed in principem vivam, ac ſpirantem Dei imaginem, ſpiritum, vt ita dicam, reipublicæ vitalem, divinæ providentiæ vicarium, quemdam in terris aſpectabilem Deum. Et quiſquam injuſtæ ſeveritatis Deum accuſabit, ſi hominem pœnis æternis addicat, qui infinitam Dei majeſtatem violare non dubitet? Menſura contumeliæ dignitas eſt contemptæ majeſtatis; quantò hæc auguſtior, tantò illa immanior: ex offenſo injuriæ pendenda non minùs atrocitas, quàm ex vili, abjectâque conditione peccantis. quid Dei majeſtate auguſtius? quid homine abjectius? Peccato contemnitur majeſtas æterna, deſpicitur infinita Dei authoritas, jura illius appetuntur, violantur, proculcantur, & quidem ab homunculo abjectiſſimo. Itaque ex contemptione tanti numinis in contemptorem redundet infinitudo quædam reatus, neceſſe ſit: Porrò infinito reatui

omnis pœna impar, prætérquàm infinita; non gravitate doloris, igitur diuturnitate temporis.

3. Sua ſunt miſericordiæ peræquè, ac juſtitiæ jura, quæ vtrique Deus ſalva velit, & integra. Ambæ ſorores, ſua vtrique dos debetur; illi æternitas gloriæ, quâ juſtorum opera etiam ſupra meritum cumulatiſſimè compenſet: huic æternitas pœnæ, quâ impiorum crimina æternùm quidem, ſed tamen, quod mireris, infra meritum puniat. Iuſtum eſt, vt qui oblatâ noluit vti miſericordiâ, per pœnam ſemper intentatâ puniatur juſtitiâ: qui noluit ſemper eſſe beatus, ſemper miſer ipſe ſit: qui Deum habere bonum abnuit, ſemper juſtum experiatur: *Quid enim tam iniquum*, inquit Auguſtinus, lib. 8. de Geneſ. ad lit. c. 14. *quàm vt bene ſit deſertori boni? neque vllo modo fieri poteſt, vt ita ſit.* Denique qui ex perverſo ſui amore Deum contempſit, odítque acerbiùs in tempore, infenſum eumdem, & aſſiduum ſui vltorem ſentiat in æternitate.

4. Ponderat affectus, ſenſúſque animi intimos, non facta juſtus, diſtrictúſque judex. In multis ſceleratis, & nequam major cupiditas offenſæ, quàm vitæ: vitam exoptant æternam, vt peccatum ipſi exæquent: In flagranti delicto mors occupat; & ita priùs finiunt vitam, quàm culpam, etiam poſt mortem rei. *Ad diſtricti ergo judicis juſtitiam pertinet, vt numquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato, & nullus iniquo detur terminus vltionis, qui quamdiu valuit noluit habere terminum criminis.* D. Gregor. lib. 34. Moral. c. 16. Certè non ſinit æquitatis ratio antè pœnam finiri, quàm dignitas pœnæ finita ſit; nec par eſt ſupplicio modum eſſe, quamdiu culpæ nul-

lus eſt: fœcunda damnatorum in peccata voluntas Deum violare æternum non deſinit: fœcunda in pœnas juſtitia plectere non ceſſabit. Tolle ſi potes meritum ad pœnam à damnatis, Deum vindicem exarmabis, judicem mutabis in patrem; at quamdiu ſupererit, à ſuppliciis numquam abſtinebit, quia *odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.*

Denique rigidiſſimam Patris æterni in filium ipſi amantiſſimum juxtà, & innocentiſſimum ſeveritatem attende, & illius juſtitiam in plectendo æternùm impiorum crimine mirari tum deſines. Vadem ſe apud Patrem filius pro nobis conſtituit, & ideo totum ejus ſanguinem vindex juſtitia exhauſit, cujus vel vna gutta apud Patrem vt pote idoneum æſtimatorem pluris haud dubiè erat, quàm omnium hominum vita. Curando peccato ſanguis Dei, vita Dei, mors Dei impenſa, etiam cùm homines ſibi per Filium Pater reconciliaret. Quid ergo mirum cruciari æternùm homines ſceleſtos pro peccatis ſuis in inferno, vbi ſeueriùs agitur, ſi tantum pertulit vnicus Dei Filius pro alienis, cùm juſtitiam miſericordia temperaret. Suſtinuit Pater etiam ſine contumelia ſuæ bonitatis vnigenitum Filium tot, & tam atrocia ſupplicia pati injuſtè; & non ſuſtinebit æternis injuſtos ſuppliciis torqueri juſtiſſimè?

Porrò quantum ad reliqua damnatorum ſupplicia momenti ab æternitate accedat, ex his pronunciatis facilè intelliges.

Primum. Quod æternum eſt, infinitum eſt; quod autem infinitum eſt, pertranſiri non poteſt ex Ariſtotele, lib. 11. Metaph. cap. 9. Ad hæc, infinitum omnia continet, & ita continet, vt majus

ſit aliquid, quàm quod includit, quia nulla ejus pars ipſum metitur; hinc æternitas æſtimari debet tum ex eo, quod non habet, & ita dicitur infinita negativè, quia nullo fine clauditur; & ex eo, quod in ſe habet, & ita dicitur infinita poſitivè; ſic enim omnes annos, omnia ſæcula, omnes ſæculorum periodos complectitur in ſe ſe, infinitiéſque ſuperat, ſicut Deus, quia in eſſentia ſua infinitus eſt, in ſe omnes eſſentias continet, infinitiéſque ipſas ſuperat. Æternitas vorago temporum, gurges ſæculorum, ingeniorum abyſſus, quis te capiat, quæ omnia capis, & tranſcendis!

Ex hoc principio ſequitur 1. cum æternitate nihil poſſe in ratione durationis comparari. 2. licèt ſupplicia inferorum, exigua per ſe forent, ac penè nulla, quod falſum, tamen ratione æternitatis ſibi adjunctæ infinitatem quamdam habere, adeóque intolerabilia videri. Ratio eſt, quia ſicut quodlibet bonum eò majus eſt, quò conſtantius: ita, & malum gravius, quò diuturnius: ergo malum, quod infinitè durat, infinitum quodammodo eſt: at ſupplicia damnatorum æterna ſunt, nec finem vmquam habebunt; cruciantur, & non extinguuntur; moriuntur, & vivunt; deficiunt, & ſubſiſtunt. 3. nullum eſſe ſupplicium hujus vitæ, licèt atrociſſimum, quod cum pœnis inferorum collatum, non leve ſit, quia illius duratio finita, iſtarum verò infinita; at finiti ad infinitum nulla proportio. Quin etiam omnia tormenta hujus vitæ collectim ſumpta ad ſuppliciorum æternitatem nihil ſunt, aut ferè nihil; menſurantur enim tormenta hujus vitæ, & deficiuntur tempore: tormenta alterius vitæ ipſa æternitate: at tempus finietur aliquando, *& tempus non erit amplius*, æternitas numquam; poſt quam-

cumque durationem ſemper incipit, ſemper perdurat, deſinit numquam.

Secundum principium. Damnatus ſupplicia, quæ alia poſt alia in multiplici parte virtuali æternitatis paſſurus eſt, ſimul in quolibet momento quodammodo patitur, dum ipſa cogitatione anticipat, & anticipando colligit: mens quippe in pœnas ſuas fœcunda, cùm diuturno dolore conficitur, mali tum præteriti, tum futuri cogitatione torquetur. Cùm enim ſpiritalis, & vniuſmodi ſit, in præterita regreditur, futura antevertit; elapſa ſæcula, annos, & momenta revocat; quæ longo poſt intervallo futura ſunt, præcipit; miſerias quas nondum pertulit, jam cogitatione prælibat, & ita præterita, futura mala præſentibus annectit, ita porrò alia aliis implicat, vt quolibet puncto æternitatis illiget, ſibíque vno cernenda obtutu objiciat; vnde dolorum omnium, quos aut pertulit antea, aut poſtmodum perferet, aculei ſimul animum graviùs pungunt, & exulcerant. Brutæ quidem animantes malis dumtaxat præſentibus moventur, quia ipſarum anima, vt pote materialis, & concreta nec in præterita mala ſe reflectit, nec futura proſpicit: anima autem noſtra, & præteritarum miſeriarum memor, & futurarum provida, omnes ſimul quolibet momento percipit, dum ipſa cogitatione colligit; & ita dum jugiter, & ſine vlla intermiſſione mente tractat ſupplicia, quæ in conſequentes æternitates animum corpúſque divexabunt, tantum ferè doloris ex iiſdem in qualibet parte æternitatis haurit, ac ſi præſentia eſſent; vtique bis miſera, & quòd tot tantáque tormenta tota æternitate paſſura ſit, & quòd ſe paſſuram ſemper quolibet momento cogitet.

Porrò ex hac intentionali æternitate, quam damnatus mentis ſagacitate quodammodo replicat, quantus dolor ad damnatum pertineat, ex his conjecturis facilè colliges, 1. quia ſic anima non totam modò in tota æternitate tormentorum ſeriem patitur, ſed totam in quolibet æternitatis momento. Irrumpit inſtar inundantis procellæ in damnati mentem toto impetu infelix æternitas, omnia inferorum tormenta ſecum invehit, proſternit, affligit deſperatione frangit, pœnæ aliæ aliis ſuccedent quidem in æternitate reali; at omnes, & ſingulæ quolibet momento menti ſimul obverſabuntur in æternitate intentionali. 2. quia, vt ait Seneca, *pejor eſt morbo metus ipſe morbi*. 3. quò pœna eſt animæ conjunctior, eò atrocior, radix enim ſenſus ab anima, vt jam monui, & dolor ſpiritus gravior multò eſt, quàm corporis: at per cogitationem miſeria intimè animo conjungitur, fitque præſentiſſima. 4. ex illa cogitatione infelicis æternitatis ſumma triſtitia, & deſperatio, & quidem jugis, tamquam gemini partus neceſſariò ſequuntur.

Hactenus de vtroque ſtatu alterius vitæ; copioſiùs quidem, ſi Ariſtotelis ſcopum ſpectes, qui de vna beatitudine naturali potiſſimùm egit; ſi Philoſophi Chriſtiani, cujus eſt præceptionibus ſuis ad beatitudinem ſupernaturalem alterius vitæ viam ſternere, inſtitutum, breviùs. Hæc meditare ſedulò, quiſquis leges. Qui ſis, & quanti fias à Deo, ſeriò cogita, qui nihil ad te beandum, ſatis magnum extra ſe repererit; te eâdem, quâ ipſe beatus eſt, felicitate, ſi caſtè, integréque vixeris, donatum velit. Denique quantùm exhorreat peccatum Deus, ex magnitudine pœnarum, quas ipſi

judex æquiſſimus conſtituit, conjice, ſi potes. Deum, quem peccato perdis, cælum, quo excidis, ſupplicia, quæ incurris, tanta quidem, vt æternùm ſæviant, nec tamen tanta, vt peccatum vel totâ æternitate expient, diligentiùs animo expende. *Momentum eſt, quod delectat, æternum quod cruciat*, & quod mirum eſt, non tam ſævitur in inferis, quàm parcitur, ipſáque pœna minor eſt, quàm culpa, æternitas, quàm momentum, tanta eſt peccati fœditas! tanta in Deum ex eo redundat injuria!

Digitized by Google

PARS SECVNDA.

DE PRINCIPIIS MORVM, ſeu humanorum actuum effectivis.

HACTENVS de Beatitudine, & fine vltimo, jam de principiis eorum actuum, quibus beatitudinem promeremur. Principia porrò illa quatuor ſunt. Alia innata, vt intellectus, & voluntas: Alia vſu, & exercitatione acquiſita, vt habitus: Alia directiva, quæ quid agendum, aut fugiendum ſit præſcribunt, vt lex: Alia divinitus infuſa, vt gratia ſanctificans. Vt ſingulorum natura pateat, quantum ad inſtitutum noſtrum ſufficit, quatuor quæſtiones inſtituendæ, prima de principiis innatis, ſecunda de habitibus, tertia de directivis principiis, ſeu lege, quarta de gratia, ejúſque multiplici ſpecie.

DISPVTATIO PRIMA.

De principiis morum innatis.

CVM duo ſint morum principia innata, intellectus, & voluntas, quærendum hîc quomodo concurrant ad actus honeſtos, nam eorum naturam inveſtigare pertinet ad animaſticam. Et quoniam ex libertate ratio meriti, & demeriti pendet, de

de ipſa nunc potiſſimum diſputandum.

Porrò libertas ſpectatur vel per ordinem ad ea, quæ ipſam antecedunt, vel per ordinem ad ſubjectum, cui inhæret, vel per ordinem ad actus tum elicitos, tum imperatos, vel denique ſecundùm rationem formalem. Quare 1. examinandum, quæ conditiones ad actum liberum prærequirantur. 2. Quæ ſit cauſa formalis libertatis, & quæ ejuſdem impedimenta. 3. Quæ cauſa materialis. 4. Quomodo ſe habeat ad actus tum elicitos, tum imperatos.

ARTICVLVS PRIMVS.

Conditiones ad libertatem ex parte intellectus.

DIXI ex parte intellectus; nam quid requiratur ex parte Dei, docebitur in Phyſica. Quare duo hîc examinanda. Primum, An cognitio requiratur ex parte intellectus. Secundum, Qualis eſſe debeat. Sed antè

§. I. *An voluntas ſemper agat ex prævia cognitione intellectus.*

ASSERTIO I. NVLLVS actus voluntatis eſt ſine prævia cognitione intellectus.

Probatur 1. Voluntas non poteſt ferri in objectum per affectum, niſi ſibi debitè applicatum; debet enim eſſe proportio inter agens, & paſſum: objectum non poteſt debitè applicari voluntati, niſi per cognitionem intellectus: ergo, &c. Probatur minor. Tunc objectum debitè applicatur volunta-

Digitized by Google

ti, cùm ipſi ſit præſens intentionaliter, ſicut agenti phyſico paſſum debitè applicatur, cùm phyſicè, & realiter præſens ei ſit: per cognitionem intellectus objectum fit tantùm præſens intentionaliter, quia eſt potentiæ intelligentis trahere objectum, & præſens ſiſtere voluntati: voluntatis verò trahi, ferríque ad objectum ſibi repræſentatum ab intellectu, à quo proinde vt potentia cæca dirigitur.

Probatur 2. Voluntas non poteſt operari, niſi producat actum certæ cujuſdam ſpeciei; non poteſt producere actum certæ ſpeciei, niſi proponatur objectum, à quo ſumit ſpeciem actus ſaltem extrinſecè; non poteſt proponi objectum voluntati niſi per cognitionem: ergo vt voluntas operetur, prærequiritur cognitio intellectus.

Confirmatur 1. Ex Auguſtino, lib. 10. de Trinit. c. 1. & 2. *Rem*, inquit, *prorſus ignotam amare nullus omnino poteſt*, & lib. 15. c. 26. ait amorem oriri in nobis ex mentis notitia. 2. Ex Anſelmo in Monolog. c. 44. *nulla res amatur ſine ſui memoria, aut notitia.* Vnde Theologi docent voluntatem etiam divinam non ferri in incognitum, ſed omnia in verbo ſuo cognoſcere, nec quidquam agere extra ſe niſi præceſſerit ordine rationis in intellectu divino judicium virtuale, quo hoc, vel illud faciendum decreverit; hinc placita Philoſophiæ. Primum, *ignoti nulla cupido*. Secundum, *nihil volitum, quin præcognitum*. Tertium, *claritas in cognitione parit ardorem in voluntate, & obſcuritas ignaviam*. Quartum, *error intellectus parit errorem in voluntate.*

II. Assert. Cognitio intellectus requiritur, vt conditio Logica ad actus voluntatis, quam proinde Deus ſupplere non poſſit.

Probatur 1. Implicat contradictionem elici actum à voluntate, qui non ſit voluntarius: nullus actus eſt voluntarius ſine prævia cognitione intellectus, quia eſt eſſentialiter ex cognitione circumſtantiarum, in quibus eſt actus: ergo, &c.

Probatur 2. Vt res ſe habet ad eſſe; ita ad operari: ergo ſicut anima priùs eſt intellectiva quàm volitiva: ita debet priùs intelligere, quàm velle.

Probatur 3. Objectum ſe habet inſtar cauſæ formalis, támque neceſſarium eſt ad ſpecificationem actus, quàm cauſa formalis ad conſtitutionem totius compoſiti: ergo ſicut non poteſt eſſe compoſitum ſine forma; ita nec operatio voluntatis ſine objecto: atqui objectum non movet voluntatem, nec actum illius ſpecificat, niſi proponatur; non proponitur, niſi per intellectum: ergo, &c.

Denique ſi quando voluntas poſſet agere independenter à cognitione intellectus, maximè in ecſtaſi: atqui ecſtaſis nunquam eſt ſine cognitione interiori, vt patet exemplo D. Pauli, qui 1. ad Corinth. ait ſe audiviſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui.

III. Assert. Actus intellectus non concurrit phyſicè ad actum voluntatis, ſed tantùm moraliter.

Probatur prima pars. 1. Non poteſt explicari, quid cognitio intellectus producat in voluntate. Non actum ipſius voluntatis, quia actus vnius potentiæ non producit actum alterius: non aliam qualitatem, quia ſuperflua foret; ſufficit enim ab intellectu proponi objectum voluntati vel vt bonum, adeóque amandum, vel vt malum, adeóque fugiendum: at proponere objectum amandum, vel non amandum, non eſt agere phyſicè, vt patet in

iis, qui rem nobis proponunt ad deliberandum, aut qui conſilio, & exhortatione ad ipſam peragendam juvant. Denique ideo tantùm cognitio concurreret phyſicè ad actum voluntatis, vt ipſam determinaret ad alterutram partem contradictionis: voluntas tali concurſu determinante non indiget, quia eſt domina ſuorum actuum, ſéque ex plena poteſtate determinat: ergo, &c.

Probatur ſecunda pars. Concurrit enim intellectus illuminando ſolis ad inſtar, & proponendo rationem boni, & mali inſtar conſiliarii ipſi voluntati, quam ſequatur, aut fugiat.

Quatuor ex dictis colligo. I. Permagni intereſt ad actus voluntatis, rem, in quam ferri per amorem, aut quam fugere per odium debeat, probè noſſe. 1. Quia pro varia cognitione objecti variè operatur voluntas. Bonum quippe abſolutè apprehenſum, vt à præſentia, & abſentia abſtrahit, amorem parit; cognitum vt abſens, deſiderium; vt præſens, gaudium. 2. quia ratio eſt regula proxima voluntatis, quæ quid agendum, quidve non agendum ſit, præſcribit.

II. Sicut volitio naturalis cognitionem naturalem prærequirit: ita volitio ſupernaturalis cognitionem ſupernaturalem; movens enim, & motum debent eſſe ejuſdem ordinis, & omnis actus voluntatis ſupponit actum intellectus proportionatum; hinc ad aſſenſum fidei præter motionem piam voluntatis, quâ determinatur intellectus ad aſſentiendum, requiritur etiam cognitio ſupernaturalis, qua judicetur objectum, quod proponitur, eſſe credibile, & credendum ob authoritatem divinam.

III. Ceſſante intellectus cognitione ceſſat con-

Digitized by Google

ſequenter actus voluntatis. Sequitur ex 2. aſſertione. Deinde patet experientia, dum enim animus ad plura diſtrahitur, remittitur actus voluntatis. Quare placitum iſtud Theologiæ myſticæ, voluntas intrat, vbi intellectus foris ſtat, non debet eo ſenſu intelligi, quòd mens otioſa ſit, nihilque tum agat, dum voluntas rapitur in Deum, ſed quòd, vt ait D. Thomas, 1. 2. q. 27. art. 2. intellectus ſit componere, ac dividere, adeóque ad ejus perfectionem pertineat *cognoſcere ſingulatim quidquid eſt in re, ſicut partes, virtutes, & proprietates. Amor verò voluntatis reſpicit rem, ſecundùm quod in ſe eſt.* Vel quòd intellectus ſpeciem objecti ad ſe rapiat, vt illud apud ſe noſcitet: voluntas effundere ſe ipſam, & quaſi ruere in amplexum boni amabilis videatur. Vel denique quòd ex levi, tenuíque cognitione tantum in voluntate amoris incendium nonnumquam excitetur, vt non tam ab ejuſmodi cognitione quaſi eminus Deum ſpeculante, quàm ex ipſius objecti infinitè amabilis propinquitate, & optima affectione voluntatis excitari videatur; hinc

IV. Licèt cognitio ad actum voluntatis prærequiratur, tamen ſæpe ex levi cognitione actus intenſiſſimus voluntatis ſequitur: ex perfecta verò cognitione actus tenuiſſimus, ac ferè nullus. Ratio vtriuſque eſt, quòd voluntas ſit bene affecta, habitúque inſtructa, ad ipſum inclinante, vel certè malè afficiatur erga objectum, & contrario habitu aliò feratur. Amas Deum vnicè? vel ad primam illius cogitationem ſtatim erumpes in ardentiſſimum amoris actum. Creaturæ amori dudum indulges? etiam ex perfecta Dei cognitione voluntas in Deum nonniſi languidè feretur. Huc ſpectat illud Ariſtotelis, lib. 3. de anima, cap. 9. text. 47.

Digitized by Google

Intellectus nonnumquam jubet, ratióque fugere aliud, aut proſequi jubet: at non obtemperat homo, ſed agit cupiditate, vt in incontinente fieri ſolet, tanti refert voluntatem erga divina rectè affici; vt rectam rationem, & gratiæ nutum facilè ſequatur!

§. 2. *Diluuntur objecta.*

OBIICIES I. Voluntas movet, & applicat intellectum ad rerum cognitionem: ergo operatur ante intellectus cognitionem.

Reſpondeo diſt. conſequens. Ante cognitionem, ad quam movet, concedo: ante quamlibet cognitionem, nego. Supponitur enim altera cognitio prior, quæ objectum repræſentavit, ad quod voluntas movet, & applicat intellectum. Certè licèt intellectus pendeat à voluntatis imperio in multis operationibus, v. g. in judiciis phyſicè obſcuris, & incertis, tamen datur ſemper aliqua prima cogitatio, quæ intellectui prælucet, adeóque non eſt voluntaria, vt obſervat Ariſtoteles, lib. 7. Ethic. ſub finem.

Inſtabis 2. Saltem voluntas poteſt imperare intellectui ceſſationem ab omni actu: ergo in hoc caſu intellectus movebit voluntatem ſine omni cognitione.

Reſpondeo, nego conſequentiam. Movet enim voluntas intellectum ad ceſſationem actus ex prævio quodam judicio ſaltem virtuali, quo judicat intellectus, bonum eſſe hîc, & nunc ceſſare ab operatione.

Objicies 2. Quælibet conditio poteſt à Deo ſuppleri: cognitio intellectus eſt tantùm conditio ad actus voluntatis: ergo poteſt à Deo ſuppleri.

Reſpondeo, diſtinguo majorem, conditio eſſentialiter requiſita, & Logica, nego: Non requiſita eſſentialiter, nec Logica, concedo. At cognitio intellectus eſt conditio eſſentialis, & Logica, à qua pendet actus voluntatis neceſſariò, vt ſit voluntarius. Quare voluntas pendet ab intellectu, non vt movente qualicumque ratione, ſed vt taliter movente, id eſt, ita prælucente, vt objectum appareat bonum, vel malum, aut certè indifferens; hinc ſi Deus amoris actum in voluntate ſine prævia cognitione produceret, diceretur quidem voluntas recipiens amorem, ſed non amans, quia non eſſet actus à voluntate elicitus.

Objicies 3. Ariſtoteles, lib. 3. de anima text. 55. docet primum movens immotum eſſe ipſum amabile, movens autem motum eſſe appetitum: ergo ex Philoſopho objectum cognitum movet efficienter voluntatem.

Reſpondeo diſt. conſequens. Movet efficienter moraliter, tranſeat: phyſicè, nego. Sufficit enim motio intentionalis, & quaſi moralis, quâ objectum repræſentatum voluntati, ipſam alliciat illecebroſa bonitate, & ad amorem ſui prolectet; & ita explicabis SS. Patres, præſertim Auguſtinum, dum ait ex notitia amorem oriri. Quatenus nempe intellectus quaſi conſiliarius, dúxque ipſius voluntatis illuminat eamdem, proponendo objectum; & viam, quâ tendat ad ipſum, oſtendit: qui modus concurrendi nullibi in natura rerum reperitur, præterquàm in cognitione reſpectu potentiæ appetentis.

Objicies 4. Ita ſe habet cognitio intellectus ad actus voluntatis, vt ſpecies objecti ad actus potentiæ cognoſcentis; ſpecies concurrunt phyſicè

ad actus potentiæ cognoſcentis : ergo cognitio intellectus concurrit phyſicè ad actus potentiæ appetentis.

Reſpondeo, nego majorem. Ratio diſparitatis eſt, quòd intellectus ſe habet vt concipiens ex Auguſtino : ergo opus habet ſpecie, quæ eſt quaſi objecti ſemen ; ſemen autem concurrit efficienter phyſicè ad fœtum. Deinde potentiæ cognoſcitivæ agunt per aſſimilationem : ergo opus eſt ſpecie objecti vicaria, quæ ad illam aſſimilationem concurrat efficienter : at voluntas agit per modum ponderis, & inclinationis in ipſum objectum, ad quod ſufficit repræſentatio perfecta objecti.

Objicies 5. Licèt fax accenſa præferatur cæco, non ideo dicitur cæcus illuminari: ergo à pari cùm voluntas ſit potentia cæca, quamvis intellectus eidem præluceat, non ideo dicetur illuminari.

Reſpondeo 1. Licèt cæcus accenſam facem non videat, tamen ab oculato viro; qui ſit dux viæ, feliciter regi, & deduci in via. Reſpondeo 2. Si modus iſte loquendi non placet, dicito non voluntatem illuminari, ſed ipſam animam, quæ intellectu, ſic quaſi oculo videt objectum, & voluntate, quaſi brachio complectitur.

Objicies 6. Filius in divinis, qui eſt Verbum Patris, producit amorem notionalem, ſeu Spiritum ſanctum : ergo verbum creatum, quod eſt cognitio intellectus noſtri, activè producit affectum voluntatis.

Diſpar ratio eſt, quòd Verbum divinum ejuſdem naturæ ſit, & eſſentiæ cum Patre ſuo, adeóque eamdem cum ipſo virtutem productricem amoris notionalis participet ; verbum autem creatum non participat eamdem cum natura intelligente, à qua

profertur, eſſentiam: nec eamdem virtutem amoris, quam natura intelligens habet per voluntatem.

Quæres an objectum concurrat formaliter, aut finaliter ad actum voluntatis? Reſpondeo concurrere. Formaliter quidem, quatenus actum voluntatis in certa ſpecie conſtituit, & ita eſt formale principium extrinſecum actus ipſius: finaliter verò, cùm per modum finis voluntati proponitur, ipſámque excitat, & impellit ad mediorum electionem, & vſum.

§. 3. *Quænam cognitio ad libertatem requiratur.*

CVM triplex ſit intellectus operatio, apprehenſio, judicium, & diſcurſus, triplex quoque ſententia de cognitione ad libertatem requiſita. Prima docet ſufficere apprehenſionem complexam, quâ bonum naturæ intellectuali conveniens, aut diſconveniens, cognoſcatur. Secunda judicium requirit de objecti ipſius convenientia, aut diſconvenientia quod dicitur judicium practicum. Tertia judicium vltimum, ſeu practicè practicum neceſſarium pugnat.

Vt ſolvatur quæſtio, ſeptem obſervo. 1. Duplex intellectus in natura intelligente, ex Philoſopho, lib. 3. de anima, cap. 9. ſpeculativus, θεωρητικός, & activus, πρακτικός. Licèt enim intellectus in ſe realiter ſimplex ſit, & individuus, tamen ratione finis, & objecti, eſt virtute duplex. Speculativus nudam rei veritatem indagat, vt tantùm ſciat: activus cognoſcit, vt agat; hinc ſpeculativi objectum ſunt res divinæ, ſempiternæ, neceſſariæ: actuoſi

verò, res humanæ, adeóque mutationi obnoxiæ, quæ in conſultationem veniunt, poſſúntque ab homine bene, vel malè fieri.

II. Vtriuſque intellectus triplex operatio. De operatione intellectus ſpeculativi hîc non agitur, quia ex Ariſtotele, ὁ νοῦς θεωρητικὸς οὐδὲν νοεῖ πρακτὸν, οὐδὲ λέγει περὶ φευκτοῦ, καὶ διωκτοῦ οὐδέν. Intellectus ſpeculativus nihil eorum quæ ſub actionem cadunt, contemplatur, neque dicit omnino quidquam fugiendum, aut proſequendum: at quæritur hîc cognitio, quæ voluntatem moveat, incitétque ad agendum, aut non agendum, quæ proinde intellectus practici partus eſſe debet.

III. Apprehenſio complexa intellectus actuoſi eſt, quæ objectum conveniens, vel diſconveniens perſonæ appetenti repræſentat, ideóque reſpectiva eſt ad perſonam, quæ rem ſibi amabilem, aut odibilem cognoſcit.

IV. Hæc apprehenſio iterum duplex; altera, quæ eſt materia judicii; altera, quæ eſt fructus judicii: quia poſt tranſactum judicium tamquam ſemen memoriæ committuntur ſpecies, ex quibus in repentinis motibus moventur animi, & agunt. Porrò talis apprehenſio, quæ ex præterito judicio remanet, vel potiùs paritur à ſpeciebus, quæ in memoria ſuperſunt, dicitur virtualiter judicativa, aut etiam diſcurſiva, quia eſt quædam reminiſcentia judicii vel abſoluti, vel comparati, ideóque de convenientia mediorum cum fine virtualiter judicat, & æquivalet ſyllogiſmo practico.

V. Iudicium practicum eſt, quo res judicatur vel amanda, vel odio habenda; in quo à ſpeculativo diſtinguitur, quo res judicatur bona, vel mala ſine ordine ad amorem, aut odium, proſecutionem, aut fugam.

Digitized by Google

VI. Practicum iterum duplex, vniverſale, ſeu abſolutum: particulare, ſeu comparatum. Vniverſale eſt, quo judicatur quidpiam proſequendum, aut fugiendum, non ſpectatis circumſtantiis, vt Deus eſt colendus: parentes ſunt honorandi. Dicitur aliquando ſpeculativum, non abſolutè quidem, ſed comparativè ad judicium practicè practicum per regulam extremorum: particulare verò, quo examinatis, diſcuſsíſque circumſtantiis, quid amandum hîc, & nunc, fugiendúmque ſit, concludimus. Vt ergo hîc, & nunc parentes mihi ſunt honorandi: ergo hîc, & nunc amanda eſt mihi virtus temperantiæ. Dicitur ejuſmodi judicium comparatum, quia oritur ex accurata comparatione mediorum cum tali fine per ordinem ad talem perſonam, &c. mediatum, & vltimum, quia eſt concluſio ſyllogiſmi vel formalis, vel virtualis ex primis, & vniverſalibus judiciis deducta.

VII. Dixi, ſyllogiſmi vel formalis, vel virtualis. Duplex enim eſt ſyllogiſmus, formalis, & virtualis. Formalem dico, qui conſtat ex tribus terminis inter ſe ita connexis, vt expreſsè vnus ex aliis inferatur: vt filio parentes honorandi ſunt: ego ſum filius, Socrates meus pater: ergo Socrates mihi eſt colendus. Virtualem appello, qui habet quidem tres terminos, ſed quorum primus in ſecundo, ſecundus in tertio continetur, vt mihi colendus eſt hic homo, quia colendus eſt parens, qualis eſt iſte. Primus hominibus congruit, ſecundus ſemper Deo, Angelis verò circa ea, quæ cognoſcunt intuitivè.

§. 4. *Quæſtio ſolvitur.*

I. Assert. AD libertatem non ſufficit apprehenſio, niſi ſit fructus judicii practicè practici. Probatur. Nec ſimplex, nec complexa apprehenſio ſufficit ad libertatem: ergo nulla.

Non ſimplex, quia ad libertatem ſaltem requiritur ea apprehenſio, quâ res, & illius bonitas repræſentetur: apprehenſio ſimplex non poteſt repræſentare rem, & illius bonitatem: itaque ad libertatem non ſufficit apprehenſio ſimplex.

Non complexa, vel enim eſt rei apprehenſio ſub ſpecie boni, vel rei ſub ſpecie boni, & mali: neutra ſufficit ad libertatem. Non prima, reperitur enim in brutis, dormientibus, & amentibus. Vnde D. Thomas, 1. p. q. 59. a. 3. *Ovis*, inquit, *fugit lupum ex quodam judicio, quo exiſtimat eum ſibi noxium.* Et poſtea q. 83. a. 1. *Quædam agunt judicio, ſed non libero; ſicut animalia bruta: judicat enim ovis videns lupum, eum eſſe fugiendum, naturali judicio, & non libero, quia non ex collatione, ſed ex naturali inſtinctu judicat*: Quid autem eſt naturale judicium in brutis, niſi apprehenſio complexa objecti ſibi vel jucundi, vel mœſti, ex qua vel ad proſecutionem, vel ad fugam ſubito quodam impetu emicat? Non ſecunda, quia etiam in brutis reperitur, canis ſiquidem ſæpiùs, verberatus, quòd carnes devoraverit, rurſus ſibi oblatas, vt bonas apprehendit, proliciunt enim appetitum; & vt malas, nam ſibi repræſentat vt conjunctas cum memoria doloris præteriti. Deinde ipſi dormientes etiam inter ſomniandum ſæpe rem vident, & apprehendunt ſub duplici vultu, bonitatis, & malitiæ,

eámque proinde proſequuntur, & fugiunt, nec tamen liberè agunt.

2. Ad actum liberum ea cognitio requiritur, quam qui ſequitur, dicitur honeſtè agere: ex ſola apprehenſione agens non dicitur honeſtè agere; quia cum apprehenſione poteſt ſtare judicium, quo id ipſum, quod apprehendo, non eſſe honeſtum judicem, qua in hypotheſi non agerem honeſtè, quia apprehenſionem contra judicium ſequerer.

3. Ex Ariſtotele 2. de anima, text. 154. *Ampliùs,* inquit, *cùm opinamur aliquid malum eſſe, atque terribile, continuò perturbamur. Similiter, & cùm opinamur quidpiam eſſe tale, vt in illo ſit confidendum. At cùm imaginamur talia, perinde atque in pictura eadem ſpectaremus.* Ex quo loco ſic arguo. Non agimus liberè, niſi cùm opinamur, vt docet hîc Philoſophus: at opinio non eſt ſola apprehenſio, ſed judicium: ergo ex Ariſtotele ad libertatem requiritur judicium, nec proinde apprehenſio etiam complexa ſufficit. Item, lib. 3. de anima, cap. 8. ait animam intellectualem, cum bonum, aut malum affirmarit, aut negarit, fugere, aut proſequi. ὅταν δὲ ἀγαθὸν, ἢ κακὸν φήσῃ, ἢ ἀποφήσῃ, φεύγει, ἢ διώκει: ergo ex Philoſopho voluntas non fertur in bonum, aut malum liberè, niſi ex aliquo judicio. Ratio à priori eſt, quia qui agit liberè, agit vt arbiter: ergo vt judex: ergo ſupponit aliquod judicium libertas: ergo nulla apprehenſio ſufficit ad libertatem, etiam reflexa, niſi fructus ſit ſyllogiſmi practici, dormientes enim aliquando ſe reflectunt in operationes, nec tamen agunt liberè.

Colliges hinc nullam cognitionem ſenſuum ad actum liberum ſufficere: nam ſi apprehenſio intellectualis ne quidem ſufficit, multò minùs cognitio

Digitized by Google

ſenſitiva; hinc cùm ait D. Thomas voluntatem non tantùm moveri à bono vniverſali per intellectum appreheṅſo, ſed etiam à particulari per ſenſum cognito, intelligendus eſt de cognitione mediata, non immediata.

II. Assert. Nec judicium ſpeculativum, nec practicum ſimplex, & immediatum ad libertatem ſufficiunt.

Probatur prima pars. Iudicium enim ſpeculativum non verſatur circa aliquid agibile: aut certè ſi verſetur, non præcipit illud fugere, aut proſequi, οὐ κελεύει φεύγειν, ἢ διώκειν: ergo judicium purè ſpeculativum non ſufficit ad libertatem.

Probatur ſecunda pars. 1. Iudicium practicum immediatum non magis movet voluntatem, quàm apprehenſio complexa practica: apprehenſio complexa practica non movet voluntatem ſufficienter ad actum liberum, ex ſuperiori aſſertione: ergo nec judicium immediatum practicum. 2. Modus agendi, qui non diſtinguit agens neceſſarium ab agente libero, non ſufficit ad libertatem: modus amandi ex judicio practico immediato non diſtinguit agens neceſſarium ab agente libero: ergo judicium practicum immediatum non ſufficit ad libertatem.

Probatur minor. Modus amandi ex judicio practico immediato convenit dormientibus, & amentibus, dormientes enim dum cogitant de beatitudine inter dormiendum, amabilem judicant, eámque appetunt perinde, ac amentes, & ebrii; item quibus læſa eſt imaginatio, ſi ratio ſalva ſit, rectè judicant de fine, licèt aberrent in circumſtantiis, nec tamen agunt liberè: ergo modus amandi ex judicio practico immediato non diſtinguit agens neceſſarium ab agente libero.

Digitized by Google

Hæc doctrina ſupponit dormientes, amentes, & ebrios non agere liberè, quamvis apprehendant aliquando objecta, quæ non poſſunt cadere, niſi ſub intellectum, componant carmina, ſyllogiſmos informent, Deum invocent, &c. Ratio multiplex afferri poteſt.

Prima à cauſa finali libertatis petitur. Data quippe homini eſt indifferentia libertatis, vt actio ſit agenti imputabilis, adeóque mereri poſſit felicitatem, & laudem: at communis gentium omnium conſenſus obtinuit nihil præmii, aut pœnæ, laudis, aut vituperii dormientibus, amentibus, & ebriis ob ea, quæ agunt, tribui oportere: itaque nec illis pro eo ſtatu libertas ineſſe debet. Secunda eſt, quòd rationem honeſti perfectam in illo ſtatu dignoſcere nequeant, cognitio enim perfecta honeſti omnino abſtrahit à materia; deinde non habetur cognitio honeſti perfecta, niſi per ordinem ad regulam, ad quam exigitur: ergo opus eſt comparatione, & reflexione perfecta tum ad regulam, tum ad perſonam, quæ non cadit in dormientes, amentes, & ebrios.

Ad hæc opus eſt cognitione ſingularium, ſeu circumſtantiarum, vt quis liberè agat: debent enim cognoſci ſingula, in quibus eſt actio: regula ſingularium eſt ſenſus: ſenſus ligatur in dormientibus, & amentibus, quibus læſa eſt imaginatio, perinde ac in ebriis, nam ebrius eſt momentaneus amens. Tertia ratio petitur à poſteriori, vbi enim dormientes à ſomno excitati ſunt; amentes ad ſanam mentẽ rediere; ebrii crapulam edormierunt, agnoſcunt ſe vel operatos ex habitu, vel confuſam tantùm honeſti cognitionem habuiſſe, & ſe in diſcurſu, ſi quem fecerint, ferè ſemper erraſſe; hinc qui fir-

mum virtutis habitum contraxere, reſiſtunt etiam in ſomnis tentationibus, quia operantur ex habitu. Obſervat tamen Spartia Pallavicinus, diſput. 7. de libertate, quæſt. 1. art. 7. tum non reſiſtere tentationi viros ſanctos ex perfecta cognitione honeſti, quam in eo poſitam eſſe vult, vt cognoſcatur tanquàm bonum omnibus contrariis anteponibile, ſed ex ſola recordatione voluptatis, quam ex victoria ejuſmodi tentationum aliàs percepere.

III. Assert. Ad libertatem requiritur judicium practicè practicum ſive formale, ſive virtuale. Probatur 1. argumento negativo. Ad libertatem requiritur aliquis actus intellectus: ergo vel apprehenſio ſimplex, vel complexa, vel judicium ſpeculativum, vel practicum immediatum, vel mediatum, & practicè practicum: apprehenſio ſimplex, & complexa ex prima aſſertione non ſufficiunt; non judicium ſpeculativum, aut practicum immediatum ex ſecunda: ergo judicium practicè practicum requiritur.

Accedit authoritas Ariſtotelis, lib. 3. de anima, c. 11. Επεὶ δ' ἡ μὲν τοῦ καθόλου ὑπόληψις, καὶ λόγος, ἡ δὲ τοῦ καθ' ἕκαστα, ἡ μὲν γὰρ λέγει, ὅτι δεῖ τὸν τοιοῦτον τοιόνδε πράττειν, ἡ δὲ ὅτι τόδε τοιόνδε, κἀγὼ δὲ τοιόσδε. ἤδη αὕτη κινεῖ ἡ δόξα, οὐχ ἡ καθόλου, ἢ ἄμφω ἀλλ' ἡ μὲν ἠρεμοῦσα, ἡ δ' οὔ. Quia verò altera eſt exiſtimatio, & ratio rei vniverſalis, altera rei ſingularis: (illa enim dicit opus eſſe, vt qui eſt talis, hoc tale faciat: hæc verò ait hoc eſſe tale, & me eſſe talem) jam hæc opinio movet, non illa vniverſalis: aut ambo movent, ſed illa magis quieſcens, hæc verò minimè.

Ex quo loco duo habes. Primum dari duplex judicium, alterum vniverſale, alterum particulare,

Digitized by Google

& vltimum: Secundum, vniverſale judicium non movere voluntatem, ſed tantùm particulare; aut ſi vniverſale moveat, non movere, niſi quatenus cum particulari, ſeu vltimo conjungitur: ergo ex Ariſtotele ad actum liberum requiritur judicium practicè practicum, ſive formale, ſive virtuale. Dixi formale, ſeu virtuale, quia in Deo ſufficit judicium virtuale. Deinde ſæpiùs experimur nos agere ex diſcurſu virtuali præſertim in iis, de quibus ſæpiùs deliberavimus, tunc enim ex apprehenſione complexa agimus, quæ eſt fructus ſyllogiſmi practicè practici, vt jam monuimus.

Probatur 2. argumento poſitivo. Quiſquis agit ex libero arbitrio, agit ex electione: quiſquis agit ex electione, agit ex judicio practicè practico: ergo quiſquis agit ex libero arbitrio, agit ex judicio practicè practico. Probatur minor. Quiſquis agit ex electione, agit ex deliberatione: qui agit ex deliberatione, agit ex judicio practicè practico, nam deliberatio eſt judicium comparatum, quo media inter ſe, & cum fine intellectus comparat, vt ex iis voluntas vnum legat; quid enim aliud eſt eligere, niſi è multis vnum legere? ergo qui agit ex electione, agit ex judicio practicè practico. Major eſt Ariſtotelis 6. Ethic. c. 2. vbi probat Philoſophus electionem eſſe poſitam in appetitione conſultatrice, ideóque oportere, rationem veram eſſe, & appetitionem rectam, ſi modò electio proba eſt: & 5. Ethic. c. 8. *Electione fieri dicuntur*, inquit, *quæcumque antecedit deliberatio: ſine electione verò, quæ non antecedit deliberatio.*

Confirmatur 1. Quia motus indeliberati hoc ipſo, quòd indeliberati ſunt, cenſentur non liberi, contrà verò habentur pro liberis, cùm deliberati

cenſentur. 2. cur dicitur voluntas cæca, niſi quia intellectus ipſi prælucet, & examinatis circumſtantiis quid hîc, & nunc agendum, quídve non agendum ſit; vt conſiliarius judicat. 3. cur prudentia quæ Ariſtoteli ἐπιτακτική, ordinativa actuum voluntatis dicitur, neceſſaria foret, & ſemper cum actu virtutis moralis conjuncta, ſi actui libero judicium vltimum præire non deberet? Certè prudentis eſt quid hîc, & nunc faciendum ſit, decernere. 4. actus perfectè voluntarius duo dicit, inclinationem ex parte voluntatis, & cognitionem ſingulorum in quibus eſt actio ex parte intellectus: at cognitio ſingulorum eſt judicium, & quidem practicè practicum. Denique patet experientia cujuſque hominis liberè agentis, vt obſervat Bellarminus, lib. 3. c. 8. de grat. & lib. arb. *Nemo enim eſt*, inquit, *qui ſi ab eo quæratur, cur aliquid agat, non ſtatim reſpondeat, quia judico ita eſſe faciendum.*

Objicies 1. Apprehenſio objecti mali, aut boni ſufficienter movet voluntatem ad amorem, aut odium: ergo ſufficit ad libertatem.

Reſpondeo, nego antecedens, tum quia ejuſmodi apprehenſio reperitur in dormientibus, & amentibus, tum quia intellectus eſt verè arbiter, cùm ſit conſultatio de mediis: ergo debet judicare, quodnam ex pluribus mediis eligendum ſit hîc, & nunc, non judicio abſoluto, & immediato, vt patet: ergo comparato, & mediato.

Inſtabis 1. Voluntas dicitur amare objectum, quia apprehenditur illius bonitas: ergo apprehenſio ſufficit ad libertatem.

Reſp. diſt. ant. Dicitur amare neceſſariò, tranſeat; liberè, nego: Non enim ſufficienter apprehenſio

Digitized by Google

complexa objectum applicat voluntati, vt eſt liberum arbitrium.

Inſtabis 3. Experientia conſtat nos ſæpe agere ex apprehenſione complexa. Deinde Deus non agit ex judicio practicè practico; aliter deliberaret: at Deus non deliberat, quia deliberatio ſupponit ignorantiam, quæ nulla in Deo eſt.

Ad primum Reſp. diſt. Ex apprehenſione complexa, quæ ſit fructus ſyllogiſmi practicè practici, concedo: quæ non ſit fructus judicii practicè practici, nego.

Ad ſecundum diſt. Deus non agit ex judicio practicè practico virtuali, nego: formali, concedo: Porrò judicium formale practicè practicum tres continet actus diſtinctos; virtuale, vnicum, qui ita exprimitur, quia medium iſtud ad finem conducit, mihi eſt eligendum: ſecundum reperitur in Deo, non primum. Ad probationem diſt. minorem. Deus non deliberat deliberatione formali, concedo: deliberatione eminentiali, ſeu virtuali, nego: eminens deliberatio eſt ſimplex intuitus veritatis, ſeu objecti eligendi, quæ nihil habet ignorantiæ admixtum: formalis fit cum diſcurſu, ſupponítque ignorantiam, ideóque vtitur inquiſitione, & comparatione, vt quod ex multis mediis ad finem vtilius ſit, detegat.

Inſtabis 4. Illud judicium, ſive virtuale, ſive formale ſit, vel eſt practicum reſpectu convenientiæ objecti, vel reſpectu convenientiæ actus, vel vtriuſque: nihil horum dici poteſt: ergo, &c.

Reſp. cum Suare Luſitano eſſe practicum reſpectu vtriuſque, ita vt non tantùm oſtendat objectum amandum, ſed in actum etiam virtualiter feratur, concludátque hîc, & nunc exercendum eſſe.

Digitized by Google

Ratio eſt, quia voluntas dum liberè operatur, non tantùm debet velle liberè objectum, ſed etiam velle liberè actum, ſeu velle amare ipſum objectum hinc ex Auguſtino actus liber fit, cùm volumus eum exercere. Et ex D. Thoma, 1. 2. qu. 16. a. 3. ad 3. *voluntas conſentit ſe eligere, & conſentire.* Ratio à priori eſt, *quia actus voluntatis reflectuntur ſupra ſe ipſos*, vt ibidem ait Angelicus Doctor: ergo intellectus tum de convenientia objecti, tum de convenientia actus hîc, & nunc exercendi judicat.

Inſtabis 5. Hinc ſequeretur quemlibet peccatorem eſſe hæreticum, quia judicare deberet bonum ſibi eſſe hîc, & nunc peccare.

Reſpondeo, nego ſequelam, & illius probationem, quia judicium non ita concipit peccator, vt ipſam peccati rationem formalem ſibi appetendam hîc, & nunc judicet, ſed materialem dumtaxat peccati actionem attingit, quatenus hîc, & nunc ſibi ſic affecto jucundam, itáque expetendam concludit.

Objicies 2. Voluntas percipit vitaliter rationem boni, & mali, quæ in objecto exiſtit: ergo debet tantùm proponi ab intellectu ratio boni ſimpliciter, non verò ſub ratione eligibilis, vel eligendi.

Reſpondeo diſt. ant. Voluntas percipit vitaliter rationem boni, & mali tantùm, nego antecedens; rationem boni, & mali amandi, vel non amandi per media, concedo antecedens, & nego conſeq. Ratio eſt, quòd voluntati, dum liberè agit, proponi debeat medium eligendum, aut non eligendum, adeóque practico modo; hinc Ariſtoteles, lib. 3. de anima, c. 11. ait *praxim eſſe ſingularium,*

magiſque valere cognitionem particularem ad agendum, quàm vniverſalem.

Inſtabis ex Ariſtotele: magis valet cognitio particularis ad agendum liberè, quàm cognitio vniverſalis: ergo cognitio vniverſalis valet ad agendum.

Reſpondeo, diſtinguo conſeq. Valet ad agendum immediatè, & per ſe ſolitariè ſumpta; nego conſeq. Mediatè, & vt influit cum particulari cognitione, concedo conſeq. Nam particularis opinio movet, non vniverſalis, aut certè ambæ ſimul, inquit Ariſtoteles.

§. 5. *An judicium practicè practicum neceſſitet voluntatem.*

IN duas abeunt ſententias, qui judicium practicè practicum ad libertatem prærequirunt. Alii docent poſito judicio practicè practico voluntatem neceſſariò determinari, adeóque non eſſe ampliùs liberam: alii docent voluntatem non neceſſariò determinari, ſed manere adhuc indifferentem, atque adeò poſſe agere, aut non agere.

VNICA ASSERTIO. Voluntas poſito quolibet judicio practicè practico non neceſſitatur ad agendum, ſed poteſt adhuc agere, vel non agere. Probatur 1. authoritate Ariſtotelis, 3. Ethic. cap. 3. δῆλον δὲ τοῦτο καὶ ἐκ τῶν ἀρχαιῶν πολιτειῶν, ἃς Ομηρος ἐμιμεῖτο. οἱ γὰρ βασιλεῖς, ἃ προέλοιντο, ἀνήγγελον τῷ δήμῳ. Perſpicuum verò hoc etiam ex veteribus rebus publicis, quas Homerus imitabatur. Reges enim, quæ elegerant, renuntiabant populo. Comparat hîc Philoſophus regem facultati conſultatrici, populum verò voluntati.

Digitized by Google

Vt ergo apud Homerum reges deliberant, & inter ſe conſultant, & quæ deliberatione probarunt, populo referunt, agendáque proponunt; ita vt liberum ſit populo vel ſequi conſilium, vel contrarium amplecti, quia ſumma imperii penes populum eſt: ita intellectus conſultat, & poſt deliberationem voluntati renuntiat, quæ poteſt vel admittere, vel reſpuere conſilium: ergo ex Philoſopho ratio practica non magis neceſſitat voluntatem, quàm illì reges neceſſitabant populum ad aſſenſum eorum, quæ ipſi proponebant: reges non neceſſitabant populum, quia erat in poteſtate populi conſilia ipſorum admittere, vel rejicere: ergo nec intellectus voluntatem neceſſitat. 2. ex lib. 3. de anima, text. 47. *præcipiente intellectu, & dictante ratione fugere aliquid, aut proſequi, incontinens non movetur, ſed agit ſecundùm concupiſcentiam*: ergo ex Ariſtotele poteſt voluntas poſito judicio practicè practico non agere, ſiquidem incontinens rationem præcipientem, quæ nihil aliud eſt, quàm judicium practicè practicum, nec audit, nec ſequitur.

Conſentit D. Bernardus, lib. de gratia, & libero arbitrio. Ratio, inquit, data eſt voluntati, vt inſtruat illam, non vt deſtruat: at deſtrueretur voluntas, vt eſt liberum arbitrium, ſi judicium practicè practicum tolleret poteſtatem vtriuſque partis: ergo, &c.

Probatur 2. ratione multiplici. Prima ſit. Nullum ex prærequiſitis ad libertatem, ipſam neceſſariò determinat, eſt enim facultas ex natura ſua, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere, & non agere: judicium practicè practicum eſt vnum ex prærequiſitis ad agendum, vt jam demonſtratum eſt: ergo non determinat neceſſariò ad agendum.

Secunda. Si judicium practicè practicum tolleret poteſtatem vtriuſque partis, libertas foret in intellectu, non in voluntate: falſum conſequens: ergo & antecedens. Probatur ſequela. In ea facultate eſt libertas, quæ eſt determinativa indifferentiæ voluntatis: intellectus determinaret indifferentiam voluntatis, vni enim parti affigeret: ergo libertas foret in intellectu. Nec dicas voluntatem poſſe removere illud judicium practicè practicum. Nam vel removeret per actum alium liberum, qui aliud judicium practicum neceſſariò determinans exigeret, vel non. Si primum: ergo fieret proceſſus in infinitum: Si ſecundum, id eſt, ſi actus ille liber non requirit judicium practicum neceſſariò determinans: ergo nec alii actus.

Tertia ratio à priori petitur. Nullum judicium virtualiter duplex voluntatem neceſſariò determinat; relinquit enim poteſtatem vtriuſque partis, & ita proponit objectum eligendum, vt poſſit non eligi, alioqui non eſſet virtualiter duplex: omne judicium practicè practicum eſt virtualiter duplex: ergo nullum judicium practicè practicum voluntatem neceſſariò determinat. Probatur minor. Iudicium practicè practicum proponit objectum contingenter eligibile: ergo eſt virtualiter duplex. Probatur ant. 1. Quia bonum, quod judicio vltimo concluditur eligendum, finitum eſt, & contingenter connexum cum fine vltimo: ergo concluditur contingenter eligibile. 2. Concluſio ſyllogiſmi practicè practici eſt tantùm opinio ex D. Thoma, 1. part. quæſt. 83. art. 1. in corp. Opinio ſemper habet aſſenſum incertum, ſi non ex parte intellectus, ſaltem ex parte objecti, quod fundit ex ſe radicalem formidinem, ac proinde præbet viam ad

Digitized by Google

oppoſita: ergo concluſionem habet æquivalenter geminam, quæ dicat ex mediis hoc ita eſſe eligibile, vt poſſit non eligi, aut hoc eſſe melius quidem, ſed & iſtud bonum. *Homo*, inquit, *agit judicio, quia per vim cognoſcitivam judicat aliquid eſſe fugiendum, vel proſequendum. Sed quia judicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis, ideo agit libero judicio, potens in diverſa ferri. Ratio enim circa contingentia habet viam ad oppoſita, vt patet in dialecticis ſyllogiſmis, & rhetoricis perſuaſionibus: particularia autem operabilia ſunt quadam contingentia: & ideo circa ea judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad vnum, & pro tanto neceſſe eſt, quòd homo ſit liberi arbitrii, ex hoc ipſo, quòd rationalis eſt.* Et quæſt. 7. de malo, art. vnico in corpore, ait ſyllogiſmum practicum, quem ibi vocat conſilium, eſſe inquiſitionem quamdam non demonſtrativam, ſed ad oppoſita viam habentem, vtpote qui ſit de objecto eligibili, habéatque vnam ex præmiſſis ſaltem opinativam.

Quid quòd ſæpe habentur duo judicia vltima, etiam expreſſa? alterum à concupiſcentia; quod eſt concluſio ſyllogiſmi paſſionis: alterum à ratione, quod eſt concluſio ſyllogiſmi rationis, putà: ergo hîc, & nunc intemperanter edendum eſt, quia cupiditas imperat: ergo hîc, & nunc non eſt mihi intemperanter edendum, quia recta ratio vetat. Quo in caſu voluntati vtique integrum eſt alterutrum ex his duobus judiciis vltimis ſequi.

§. 6. *Diluuntur objecta.*

OBIICIES 1. Iudicium vltimum practicum prærequiritur ad agendum: at poſito vltimo judicio

udicio practico neceſſe eſt voluntatem agere: ergo poſito aliquo ex requiſitis ad agendum, neceſſe eſt voluntatem agere.

Reſp. nego min. Poteſt enim dupliciter formari judicium vltimum practicum; Vel ergo illud neceſſariò mihi hîc, & nunc eligendum eſt; vel ergo mihi hîc, & nunc illud eligendum eſt. Primo modo formatum officit libertati; hinc cùm Deus mundum produxit liberè, non dixit ex judicio eminentiali, mihi hîc, & nunc neceſſariò producendus eſt mundus: nec peccator dicit, mihi neceſſariò peccandum, ſed tantùm, id mihi eligendum eſt. At tale judicium movet tantùm voluntatem proponendo objectum, vel concludendo eligendum: ergo contingenter eligendum, hoc eſt, ita eligendum, vt poſſit non eligi.

Inſt. 1. Ariſtoteles, lib. 7. Ethic. cap. 3. Docet voluntatem poſito judicio practico agere neceſſariò: ergo judicium practicum ex Ariſtotele neceſſitat. *Neceſſe eſt*, inquit, *quod concluſum eſt hîc quidem* (id eſt in ſpeculativis) *affirmare animam: in iis verò, quæ ſub effectionem cadunt, agere ſtatim. Vt ſi omne dulce guſtandum eſt; hoc autem dulce eſt, neceſſe eſt eum, qui poſſit, & non prohibeatur, ſimul etiam id agere.*

Reſp. diſt. τὸ *neceſſe eſt*, neceſſe eſt neceſſitate morali, concedo: neceſſitate phyſica, & abſoluta, nego. Per neceſſitatem moralem eam intelligo, quâ aliquid dicitur neceſſarium, quòd ſemper ita ferè evenit, & à quo difficilè abſtinetur. Phyſicam autem, & abſolutam appello, quâ ſemper res ita fit, & non poteſt aliter fieri ex concurſu ordinario naturæ. Deinde ſolutio hujus loci, hac voce continetur (*& non prohibeatur*) ratio eſt ex Ariſtote-

le, quia ſemper adeſt altera vniverſalis propoſitio, quæ prohibet guſtare, putà, inquit D. Thom. ſi dicatur nullum dulce eſt guſtandum extra horam. In hoc enim eſt pugna rationis, & concupiſcentiæ, de qua poſtmodum.

Inſt. 2. Poſito aſſenſu præmiſſarum ſyllogiſmi practici ſequitur neceſſariò concluſio: ergo judicium practicum, quod illa concluſione continetur, eſt neceſſarium.

Reſp. diſt. ant. Sequitur neceſſariò concluſio neceſſitate morali, tranſeat: phyſicâ, nego: Deinde poteſt negari conſequentia, quia judicium in ordine ad voluntatem non ideò dicitur neceſſarium, quòd ex præmiſſis neceſſariò deducatur, ſed ex eo præſertim tantùm, quòd voluntati neceſſitatem agendi imponat: at licèt ex aſſenſu præmiſſarum neceſſariò ſequeretur, voluntati tamen permittit libertatem actionis, quia vt dixi, non ita concipitur, ergo neceſſariò hîc, & nunc mihi agendum eſt. Sed tantùm: ergo hîc, & nunc iſtud mihi agendum, ita vt poſſim illud non agere. Ratio à priori eſt, quia concluditur contingenter eligibile.

Inſt. 3. Quid ſi aliquis haberet tantùm iſtam majorem opinativam in mente, omne dulce guſtandum eſt, cum hac dumtaxat minori: atqui hoc eſt dulce. Numquid voluntas neceſſitaretur ad guſtandum?

Reſpondent aliqui in illa hypotheſi voluntatem neceſſariò aſſenſuram. Et verò ſceleratiſſimi homines numquam aliquid mali decernunt, quin vexentur conſcientiæ ſtimulis, audiántque Chriſtum ſibi contradicentem, teſte Auguſtino, homil. 12. ex quinquaginta.

Inſt. 4. Dum adeſt vltimum judicium practicum de objecto amando, voluntas non poteſt odiſſe: ergo non poteſt aliò ſe flectere. Prob. antec. Vt voluntas poſſit odiſſe, debet habere judicium aliquod de averſando objecto: at quando adeſt vltimum judicium de objectu amando, non poteſt adeſſe alterum judicium, quo judicetur bonum etiam odio habendum.

Reſp. diſt. conſeq. primi antecedentis: ergo voluntas non poteſt aliò ſe flectere per odium, concedo: per ceſſationem actus, ſeu amoris, nego. Nempe judicium practicum vltimum de objecto amando contingenti, eſt virtute duplex, quia proponit objectum vt eligibile. Porrò eligibile, vt tale, eſt amabile, vel non amabile. Quare licèt intellectus non poſſet habere duo judicia, alterum, quo judicaret amandum objectum, & alterum, quo judicaret odio habendum, poſſet tamen habere vnum de amando objecto, & alterum de non amando, quia hæc duo judicia non ſe deſtruunt ob diverſa objecta formalia.

Inſt. 5. Intellectus, vt radix libertatis debet apprehendere ipſam ceſſationem vt bonam: non apprehendit vt bonam, dum adeſt vltimum judicium de amando objecto.

Reſp. nego min. Nam hoc ipſo ceſſatio proponitur vt bona, quo objectum proponitur, vt contingenter eligibile, quia relinquitur via ad oppoſita, ex D. Thoma locis jam citatis.

Quæres an judicium illud practicum debeat eſſe per modum imperii, quo intellectus dicat voluntati, fac hoc, vel non. Reſpondet Suarez Luſitanus id non requiri, quia neceſſitaret voluntatem, jam enim eſſet determinata ad hoc faciendum. Deinde licèt

imperium ſit actus intellectus, præſupponit tamen eſſentialiter actum voluntatis vt pote intimatio ejuſdem voluntatis: ergo non poteſt ad omnem actum voluntatis prærequiri imperium, quia ſemper ſupponit aliquem actum liberum ex D. Thoma, 1. 2. qu. 17. art. 3. ad 1. *Ergo*, inquit, *dicendum, quòd non omnis actus voluntatis præcedit hunc actum rationis, qui eſt imperium: ſed aliquis præcedit, ſcilicet electio, & aliquis ſequitur, ſcilicet vſus.*

Colliges 1. ex dictis ad perfectam libertatem duo requiri: primum, vt agat ex ratione perfecta, qua concludit ex cognita conformitate vel difformitate actus faciendi cum recta ratione, aliquid vel faciendum vel non: ſecundum, ex indifferentia. Quare ſi vna pars deſit, erit tantùm dimidiata libertas; hinc pueri, ebrii, & amentes, licèt fortè habeant aliquam indifferentiam, non tamen propriè liberè agunt, quia habent tantùm libertatem phyſicam, ad quam ex multis ſufficit apprehenſio complexa duorum bonorum incompoſſibilium, quorum neutrum ſit ſummè, & neceſſariò bonum. At non habent indifferentiam moralem, quia ad eam prærequiritur judicium practicum, quo quidpiam faciendum, vel non faciendum, ex practicis prudentiæ regulis concluditur.

Porrò pueri non habent ejuſmodi rationem rectam, nec ſtulti, quia non diſcernunt honeſtum à turpi, licèt habeant indifferentiam ad aliquos actus, nec ebrii; item ſomniantes, licèt per ſomnium vnum ex alio colligant, non dicendi tamen ſunt liberi, quia non habent rationem rectam ſeu criterium boni à malo diſtinctivum.

Colliges 2. Motus indeliberatos, licèt cum indifferentia aliqua fortè fiant, exurgunt enim ad

objecti præſentiam*, quod non habet vim neceſſitandi voluntatem, vt pote finitum, non eſſe tamen liberos, quia exurgunt, antequam intellectus ad principia moralia attenderit, ac proinde rationem honeſti noverit. Idem contingit in actionibus levioris momenti, in quibus ſæpè de bono tantùm jucundo, vix de honeſto, aut inhoneſto cogitamus, quia jucundum vtpote magis ſenſibile faciliùs cogitatur, vt cùm quis manum movet ad cibos alios præ aliis accipiendos.

ARTICVLVS II.

De voluntario, & involuntario.

DE vtroque agit Ariſtoteles, lib. 3. Ethic. c. 1. & 2. Quia virtutem definierat, lib. 2. habitum electivum: electio eſt eorum, quæ liberè fiunt; liberum omne, voluntarium eſt; voluntarium verò ſpontaneum: itaque de ſpontaneo, & voluntario agere debuit, vt ratio liberi innoteſceret. Deinde Moralis ſcientiæ eſt ea noſſe, & tractare ex quibus laus, & vituperium actionis emanat: ex voluntario, & libero laus, & vituperium actionis emanat, vt enim quidlibet eſt maximè liberum, ita maximè laudabile, ſi honeſtum ſit, aut vituperabile, ſi turpe. Denique doctrina morum id perpendere debet, quod legum conditores potiſſimùm perpendunt: legum conditores rationem voluntarii in decernendis præmiis, aut ſuppliciis potiſſimùm perpendunt: ergo, &c. Et quoniam eadem eſt contrariorum diſciplina, par eſt quoque Philoſophum de involuntario agere. Videndum itaque hîc, quid ſit ſpontaneum, & voluntarium. Deinde

Digitized by Google

quomodo metus, & concupiſcentia, & ignorantia ſe ad voluntarium habeant.

§. 1. *De voluntario, ejúſque diviſione.*

QVADRVPLEX in genere voluntatis actus diſtingui poteſt, naturalis, ſpontaneus, voluntarius, & liber. Ratio diviſionis eſt, quia voluntas agit aliquando vt natura, aliquando vt appetitus ex cognitione ſenſitiva, aliquando vt appetitus ex cognitione intellectuali, ſed ad vnum determinante, aliquando ex cognitione objectum indifferenter proponente.

Naturale, vt violento opponitur, & ſpontaneum latè dicitur, definitur, id, quod eſt à principio intrinſeco, non renitente, ſed conferente paſſo. Dixi à principio intrinſeco, quod vel activum eſt, vt forma, vel paſſivum, ſeu formæ receptivum, vt materia prima. Non renitente paſſo, in quo diſtinguitur à violento, cui paſſum reſiſtit etiam poſitivè. Sed conferente paſſo, vt excludantur principia, quæ ſe indifferenter habent ad formarum receptionem, cujuſmodi ſunt cæli reſpectu motus circularis.

Spontaneum, quod dicitur voluntarium latè, definit Ariſtoteles, lib. 3. Ethic. c. 1. id, cujus principium eſt in eo, qui cognoſcit ſingula in quibus eſt actio, τὸ ἑκούσιον, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. Duo itaque ad rationem ſpontanei, ſeu voluntarii latè requiruntur. Primum, vt principium actionis ſit intrinſecum agenti, & ita diſtinguitur à violento. Secundum, vt cognoſcat ſingula, in quibus eſt actio, id eſt, objectum, & circumſtantias cognitione ſaltem ſenſitiva, & ita diſtinguitur à naturali, quod agit

Digitized by Google

quidem ab intrinſeco principio, ſed non ex cognitione; hinc nutritio voluntaria non eſt, ſed naturalis, quia non eſt ex cognitione ipſam cauſante. Porrò vt dicatur actio ſpontanea, non opus eſt ſingulas circumſtantias cognoſci, ſed ſufficit aliquas cognoſci, ſecundùm quas dicitur ſpontanea, & voluntaria latè; nam ſecundùm eas, quæ ignorantur, dicitur involuntaria.

Voluntarium ſtrictè, vt convenit naturis intelligentibus, eſt id, cujus principium eſt in eo, qui agit ex cognitione intellectuali circumſtantiarum, id eſt quod oritur à voluntate ex advertentia rationis. Quare triplicem conditionem requirit. 1. debet elici à voluntate vt à principio efficiente. 2. ex cognitione ſenſitiva ſaltem præſuppoſitivè, ſi ſit ab homine. 3. debet agens cognoſcere præcipuas actionis circumſtantias, & quidem cognitione intellectuali, eâque perfectâ; hinc ſi quis venator hominem occideret, ratus eſſe feram, non diceretur homicida, quia actus ille non eſſet voluntarius, vt eſt occiſio hominis. Item ſi quis hominem volens, ſciénſque occideret, ſed ignarus, an ſacerdos foret, patraret ille quidem homicidium, ſed non ſacrilegium. Hactenus de voluntarii natura, jam de diviſione.

Voluntarium aliud directum, aliud indirectum. Directum eſt, quod in ſe, & expreſsè eſt volitum, vt ſi quis de ſchola cogitans, velit ab ipſa abeſſe. Indirectum, quod conjunctum eſt cum altero expreſsè volito. Vt ſi quis de ſchola cogitans, non velit quidem expreſsè abeſſe à ſchola, ſed ludere expreſsè velit, licèt videat abſentiam à ſchola neceſſariò cum ludo conjunctam.

Aliud poſitivum, quod eſt actio realis depen-

Digitized by Google

dens à voluntate, v. g. cùm quis vult motus illicitós appetitus. Aliud negativum, quod eſt voluntaria omiſſio actionis, quam poſſis, & debeas facere, nec tamen facis, vt ſi quis die Dominica ſciens, voléńſque ſacrum audire omittat.

Aliud formale, aliud virtuale. Formale eſt, quod in ſe ipſo volitum eſt: virtuale, quod volitum eſt in ſua cauſa, v. g. inebriatur aliquis, ſciens ſequuturum ex ebrietate homicidium, formaliter vult ebrietatem, virtualiter autem homicidium.

Aliud perfectum, aliud imperfectum. Perfectum oritur ex cognitione perfecta: imperfectum ex cognitione imperfecta. Nam aliter cognoſcimus vigilantes, aliter dormientes: aliter pueri, aliter viri.

Perfectum ſubdividitur in liberum, & neceſſarium, vt genus in ſuas ſpecies; voluntarium enim prædicatur quidditatiuè de vtroque, & aliunde non omne ſpontaneum eſt liberum, vt poſtea oſtendam. Liberum eſt à principio intrinſeco ad agendum, vel non agendum indifferente: neceſſarium à principio intrinſeco ad vnum determinato. Aliud voluntarium ſimplex, aliud mixtum. Simplex eſt cùm voluntas ita fertur in objectum actu proſecutionis, vt illud non fugiat ſecundùm vllam rationem; talis eſt amor beatorum: mixtum, quod ſimul cum fuga habet actum proſecutionis, vt ſunt ea, quæ fiunt ex metu, à quibus voluntas nudè, & per ſe conſideratis abhorret, ea tamen circumſtantiis perpenſis amplectitur, talis eſt projectio mercium in mare ingruente tempeſtate.

Aliud denique voluntarium elicitum, quod eſt actus à voluntate phyſicè productus, putà volitio, aut nolitio, amor, & odium: aliud imperatum,

quod eſt actus facultatis ex nutu voluntatis ipſius operantis, vt motio manus. Elicitus dicitur intrinſecè, & formaliter voluntarius; imperatus verò extrinſecè tantùm, & denominativè ab actu voluntatis imperante.

Tria colliguntur ex dictis. Primum. Naturale, ſpontaneum, & voluntarium partim conveniunt, partim diſcrepant. Conveniunt 1. quia ſingula ſunt à principio intrinſeco. 2. Spontaneum, & voluntarium ſunt ambo ex cognitione ſingulorum in quibus eſt actio. Diſcrepant, 1. quia naturale non eſt ex cognitione: ſpontaneum, & voluntarium ſunt ex cognitione. 2. ſpontaneum, ſeu voluntarium latè eſt ex cognitione ſenſitiva, voluntarium ſtrictè ex cognitione intellectuali, quæ in homine ſupponit cognitionem ſenſitivam; hinc naturale latiùs patet ſpontaneo, ſpontaneum voluntario, voluntarium libero: nec enim naturale omne eſt ſpontaneum, licèt omne ſpontaneum ſit naturale: nec omne ſpontaneum voluntarium, licèt omne voluntarium ſit ſpontaneum: nec omne voluntarium liberum, vt patet in amore beatorum, licèt omne liberum ſit voluntarium.

Secundum. Nec in brutis, nec in pueris datur voluntarium ſtrictè ſumptum. Non in brutis, quia voluntarium propriè dictum eſt ex cognitione intellectuali, quæ nulla eſt in brutis. Non in pueris perinde, ac brutis, quia non cognoſcunt τὰ καθ' ἕκαστα, hoc eſt, circumſtantias, & rationem finis formaliter; eſt quidem in illis cognitio rei, quæ eſt finis, ſed non quà eſt finis, quia non vident idonea fini præſidia, nec ea dirigunt, deſtinántque in finem, vt jam probatum eſt. Ineſt tamen illis commune quoddam, ac generale voluntarium, quod

ſimplicem dumtaxat, rudémque finis, & circumſtantiarum cognitionem poſtulat, ideóque voluntarium brutis ex D. Thoma, per quamdam ſimilitudinem, & per regulam extremorum convenit; hinc voluntarium deſcribi poteſt, provt abſtrahit à libero, actio tum ſentientis, tum intelligentis appetitus ab intimo profecta principio cum cognitione circumſtantiarum.

Tertium. Voluntarium cùm definit Ariſtoteles, cujus principium eſt in eo, qui agit, opponit τῷ βιαίῳ: cùm addit ex cognitione, opponit involuntario per ignorantiam ſeu ἀκουσίῳ δι' ἄγνοιαν.

§. 2. *De involuntario, & ejus diviſione.*

NATVRALI opponitur violentum, ſpontaneo coactum, voluntario involuntarium, libero neceſſarium.

Violentum definit Ariſtoteles, lib. 3. Ethic. c. 1. id, quod eſt à principio extrinſeco, ad quod nihil confert, qui agit, aut patitur, βίαιον, οὗ ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν, τοιαύτη οὖσα, ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλεται ὁ πράττων, ἢ ὁ πάσχων, id eſt, quod eſt à principio extrinſeco contra naturalem paſſi inclinationem. Definitio continet duas partes.

Prima eſt principium, à quo vis infertur, quod extrinſecum eſſe debet, vt diſtinguatur à naturali, quod eſt à principio intrinſeco juxta inclinationem paſſi; & à voluntario, quod eſt à principio interno juxta inclinationem ejus, qui vult.

Secunda eſt ſubjectum, nempe id omne, contra cujus inclinationem, & appetitum vel naturalem, vel elicitum agens extrinſecum operari poteſt. Et quoniam ex Philoſopho *ea ſola violenta ſunt, quæ moleſtiam pariunt*, ideo ad rationem violenti non

Digitized by Google

tantùm requiritur reſiſtentia negativa, quæ eſt negatio inclinationis, ſed reſiſtentia poſitiva, id eſt, appetitus vel naturalis, vel elicitus tali formæ contrarius. Porrò ad illam reſiſtentiam poſitivam, & niſum naturalis inclinationis quidam requirunt actionem poſitivam, & impetum agentis, vt Vaſques; alii volunt interdum ſolum appetitum naturalem ſufficere ſine inclinatione vlla, quæ repellat formam; hinc ſi aqua divinitus detracto omni frigore calefieret, pateretur violentiam, licèt in ignem non ageret, quia eſſet illa calefactio à principio extrinſeco contra appetitum naturalem aquæ.

Exemplum geminum affert Ariſtoteles; primum venti hominem nolentem, reſtitantem, ac repugnantem etiam auferentis, aſportantíſque; alterum eorum, qui à dominis, quorum in poteſtate ſunt, ſive ab aliis valentioribus nolentes aguntur, compelluntúrque.

Coactum ſeu invitum, eſt id, quod eſt à principio extrinſeco contra inclinationem appetitus vel ſenſitivi, vel rationalis ex cognitione agentis. Talis eſt motus, quo quis ad ſuſpendium trahitur. Tria itaque ad coactum requiruntur. Primum, vt ſit à principio externo. Secundum, vt ad id paſſum nihil conferat, immò renitatur. Tertium, vt ſit ex cognitione. Per primum, & ſecundum convenit cum violento, per tertium ab eodem diſcrepat.

Involuntarium, Ariſtoteli ἀκούσιον, eſt id, quod fit à principio extrinſeco contra inclinationem appetitus rationalis.

Neceſſarium duplex, alterum coactionis, alterum determinationis. Neceſſarium coactionis eſt idem, quod violentum. Principium autem violen-

ti ſemper eſt extrinſecum ei, cui accidit violentum. Neceſſarium determinationis, eſt, cùm principium eſt intrinſecum, ſed tamen determinatum ad vnum; quare voluntarium eſt, non tamen liberum, quia appetitus poſitis omnibus ad agendum requiſitis non manet indifferens ad vtrumlibet, ſed determinatus eſt ad alterum, nempe ad agendum, vel non agendum, ad objectum amplectendum, vel fugiendum. Hoc neceſſarium opponitur voluntario, vt liberum eſt.

Involuntarium aliud ſimpliciter, quod eſt omnino contra inclinationem: aliud ſecundùm quid, ſeu mixtum, quod eſt partim contra inclinationem, partim ex inclinatione, vt projectio mercium in mare ingruente tempeſtate.

Aliud ex violentia, ſeu coactione, aliud ex ignorantia. Ita Ariſtoteles, lib. 3. Ethic. cap. 1. δοκεῖ ἀκούσια εἶναι τὰ βίᾳ, ἢ δι' ἄγνοιαν γινόμενα. Ratio hujus diviſionis eſt, quia voluntarium dicit duo, & inclinationem, & cognitionem: ergo ſi actioni non conſentit voluntas, actio dicitur violenta, ſeu invita per vim, quia violentia repugnat inclinationi, quæ eſt de ratione voluntarii: quando abeſt notitia, dicitur invita per inſcientiam, ſeu per ignorantiam, quia ignorantia tollit cognitionem, quæ eſt etiam de ratione voluntarii, ideóque de vtraque ſpecie involuntarii, ſeu inviti poſtea agendum.

Violentum ex dictis latiùs patet coacto, quia violentum complectitur omnia, quæ fiunt contra inclinationem cujuſque rei etiam inanimatæ. Quo ſenſu fluvius aggeribus coërcitus, dicitur pati violentiam: coactum ſoli opponitur ſpontaneo, & eſt contra inclinationem appetitus ſenſitivi, aut ratio-

Digitized by Google

nalis: involuntarium ſoli voluntario ſtrictè ſumpto, ideóque ſolis naturis intelligentibus congruit: neceſſarium, libero. Itaque omne involuntarium eſt coactum, & violentum, ſed non omne violentum eſt coactum, nec omne neceſſarium eſt coactum.

§. 3. *An voluntas poßit pati violentiam in actibus ſuis.*

I. OBSERVAT. VIOLENTIA inferri poteſt voluntati vel quoad actus elicitos, vel quoad actus imperatos.

II. OBSERV. Rurſus quoad actus elicitos violentiam pati poteſt voluntas vel negativè, vel poſitivè. Poſitivè dicitur pati violentiam, cùm cogitur elicere actum internum propenſioni repugnantem. Negativè, cùm impeditur, ne actum eliciat, ad quem naturaliter propendet; niſi enim inclinationi voluntatis repugnet id, quod fit, non cenſetur voluntas pati violentiam negativè, vt cùm poſitis omnibus ad agendum requiſitis avocatur ab actione per volitionem alterius boni, cujus electio libera ſit.

III. OBSERV. Non eſt idem pati violentiam, ſeu cogi, ac neceſſitari, quia res dicitur eſſe violenta, cùm fit contra inclinationem voluntatis, neceſſitate verò fieri, cùm fit ſine indifferentia, licèt non repugnet inclinationi voluntatis. Sic beati amant Deum voluntariè, ſed non liberè, & cum indifferentia.

I. ASSERT. Voluntas non poteſt pati violentiam, ſeu cogi poſitivè quoad actus elicitos. Ita D. Thomas, 1. 2. quæſt. 6. art. 4. Probatur. Si vo-

luntas cogi poſſet poſitivè quoad actus elicitos, idem actus eſſet voluntarius, & involuntarius. Eſſet voluntarius, quia eſſet à principio intrinſeco, vtpote à voluntate elicitus: involuntarius autem, quia foret à principio extrinſeco, vt pote violentus.

Confirmatur ex D. Auguſtino, lib. de libero arbitrio, c. 3. *Fieri*, inquit, *non poteſt, vt cùm non volumus, velimus*, *hoc eſt, vt coactè velimus; coactè enim velle, eſt velle cùm non vis*.

II. Assert. Voluntas quoad actus elicitos poteſt negativè cogi. Probatur. Tunc cogitur negativè, ſeu privativè voluntas, cùm poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt ab actu impediri: voluntas poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt ab actu ſuo impediri. Nam voluntati jam ex ſe, & in actu primo poſitæ Deus poteſt denegare concurſum ad actum ſecundum, ad quem propendet; vt ſi Deus videnti ſe deneget concurſum neceſſarium ad ſui amorem, tum certè vis voluntati privativa inferetur.

III. Assert. Voluntas tum poſitivè, tum negativè poteſt violentiam pati, ſeu cogi quoad actus imperatos. Probatur. Tunc vis infertur voluntati poſitivè, quoad actus imperatos, cùm facultates, quæ illius ſubduntur imperio, operantur propter vim ab agente extrinſeco ſibi illatam, contrà quàm voluntas ipſa velit; negativè autem cùm prohibentur operari, quod ipſa maximè velit: atqui vtroque modo vis inferri poteſt voluntati, nam homo nolens ambulare, impelli poteſt per vim ad ambulandum, aut volens ambulare poteſt externa vi à motu inhiberi. Quo in caſu motus, qui fiunt à potentiis voluntati ſubjectis, dicuntur vio-

lenti voluntati, quia fiunt contra ejus imperium, & ipſis etiam potentiis, quia factæ, natæque ſunt ad faciendum voluntatis imperium. Porrò violentia illa, quæ per actus imperatos voluntati infertur, dicitur moralis, non phyſica, quia actus imperati in ipſa voluntate non recipiuntur.

Objicies 1. Deus poteſt voluntati poſitæ in actu primo ad amandum aliquod objectum per vehementem illius cognitionem, infundere actum odii, quod erit contra inclinationem voluntatis: ergo voluntas poteſt pati violentiam quoad actus elicitos, etiam poſitivè.

Reſpondeo, nego conſeq. Nam primò ille actus odii infuſus ſaltem non eſt contra inclinationem naturalem voluntatis, quæ de ſe eſt indifferens ad omnem actum, quamvis ſit contra inclinationem elicitam, quare actus ille odii eſt tantùm violentus ſecundùm quid. Deinde ſi voluntas ſub actu odii infuſo poſita eliciat actum amoris, vtique eliciet ex inclinatione voluntatis: ergo ſimpliciter cogi non poterit, quia omnis actus elicitus à voluntate eſt à principio intrinſeco, & ipſa inclinatio voluntatis.

Inſtabis 1. Faciat Deus, vt immiſſa alia cogitatione voluntas oderit id, quod antea amabat. Reſpondeo, tunc nihil fore violentum, quia voluntas non reſiſtet per appetitum innatum, aut elicitum.

Inſtabis 2. Saltem Deus poteſt infundere habitum amoris voluntati etiam nolenti, & in odii actibus exercitatiſſimæ, proinde habitum odii exigenti: at ille habitus erit violentus voluntati, quia erit ab extrinſeco, renitente voluntate: ergo, &c.

Reſpondeo diſt. minorem: erit violentus volun-

tati ſub actu odii poſitæ, tranſeat; voluntati vt eſt in potentia ad actum, nego: ideóque erit violentus tantùm ſecundùm quid, non ſimpliciter. Vt enim eſſet violentus ſimpliciter, deberet eſſe contra appetitum voluntatis tum naturalem, tum elicitum: at habitus, ſive actus odii ſemper eſt intra capacitatem appetitus innati.

Objicies 2. Voluntas poteſt ſimul habere volitionem, & nolitionem efficacem ejuſdem rei.

Reſpondeo, nego: Non enim poteſt magis voluntas ſimul velle efficaciter, & nolle efficaciter idem objectum, quàm idem intellectus eidem objecto firmiter aſſentiri, & diſſentiri ſimul.

Objicies 3. Vt vis inferatur voluntati quoad actus imperatos, debet in ſe recipere illos actus: at non recipit: ergo, &c.

Reſp. diſt. majorem. Vt vis phyſica inferatur, concedo: vt vis moralis inferatur, nego.

Inſtabis 1. Voluntas eſt indifferens ad actus oppoſitos aliarum facultatum: ergo nihil fit contra inclinationem naturalem voluntatis per actus imperatos.

Reſp. diſt. conſeq. Nihil fit contra inclinationem voluntatis in actu primo ſpectatæ, concedo: in actu ſecundo ſpectatæ, nego. Dum enim voluntas cupit, & imperat quidpiam fieri, aut prohibet fieri à potentia exequente, patitur violentiam in actu imperato ſaltem moralem, niſi fiat à potentia exequente, licèt maneat quoad actum primum indifferens.

Inſtabis 2. Actus illi non poſſunt eſſe violenti potentiis, à quibus oriuntur.

Reſpondeo diſt. Potentiis ſecundùm ſe ſpectatis, concedo: vt ſubordinatis imperio voluntatis,

nego: v. g. oculus per vim apertus elicit viſionem ſibi quidem naturalem, ſi ſecundùm ſe ſpectetur: at ſi ſpectetur vt inſtrumentum voluntatis, vim haud dubiè patitur.

IV. Assert. Violentia eſt cauſa involuntarii: ita D. Thomas, 1. 2. quæſt. 6. art. 5. Ratio D. Thomæ eſt, quia violentia directè opponitur voluntario, ſicut etiam, & naturali; commune eſt enim voluntario, & naturali, quòd vtrumque ſit à principio intrinſeco: violentum autem eſt à principio extrinſeco: & propter hoc ſicut in rebus, quæ cognitione carent violentia aliquid facit contra naturam: ita in rebus cognoſcentibus facit aliquid eſſe contra voluntatem. Quod autem eſt contra naturam, dicitur eſſe innaturale, & ſimiliter quod eſt contra voluntatem, dicitur eſſe involuntarium. Vnde violentia involuntarium cauſat. Hactenus D. Thomas, ex quo patet vbi vis adeſt, ibi etiam involuntarium eſſe oportere, & factum invitè.

Objicies 1. Martyres violenter torquentur, trahuntúrque ad mortem, & tamen voluntariè torquentur; nam inter tormenta in ſupremâ ſpiritus conflictatione gaudio tripudiant. 2. Stuprum culpæ vertitur puellæ, licèt per vim ſtuprata ſit. Denique Chriſtiani, qui non ex animo, ſed metu mortis exterriti thus idolis incendunt, ſponte facere cenſentur, reprehenduntúrque ab omnibus: ergo poteſt ſtare violentum cum voluntario.

Reſpondeo ad primum, licèt tormenta, & tractio, violenta ſint reſpectu appetitus innati, reſpectu tamen appetitus eliciti non eſſe violenta, ſed maximè voluntaria; ſicut motio hominis, qui propria membra contra nativam inclinationem eorum intorquet, violenta quidem membris eſt, non

autem ipſi homini ſic membra moventi. Deinde licèt actio, quæ conficit martyres, ſit violenta, quia martyres nihil conferunt, ipſa vtique perpeſſio non eſt violenta, quia martyres ipſam vltrò perferunt, cùm ipſam perferre debent.

Ad ſecundum, & tertium Reſpondeo ideò ſtuprum vitio verti puellæ, & incenſionem thuris Chriſtianis, vel quòd directè interiùs conſenſerint, vel quòd cùm reſiſtere poſſent, ac deberent, non tamen reſtitere. Sic enim ſaltem indirectè ad peccatum contulere quidpiam, quod proinde non omnino per vim admiſſum fuit. Sic nauclero ſubmerſio navis tribuitur, qui clavum abjicit, cùm poteſt, & debet navem regere.

§. 4. *Quomodo metus ſit cauſa involuntarii.*

I. Observ. Metus duplex, alter gravis, alter levis. Levis eſt, quo vir conſtans non movetur; gravis, qui ſufficiens eſt ad dimovendum à propoſito conſtantem virum, ideóque cadere poteſt in virum fortem, dicitúrque juſtus, & probabilis, quia quiſquis ex eo operatur, juſtè ac probabiliter excuſatur à legibus.

II. Observ. Ad metum gravem tria requiruntur. Primum, vt ſit de malo per ſe gravi, qualis eſt mors, aut verberatio gravis. Secundum, vt incutiens metum ſit potens, & exiſtimetur probabiliter executurus. Tertium, vt patiens metum non poſſit facilè reſiſtere. Si quæ ex illis tribus conditionibus deſit, cenſetur metus levis.

III. Observ. Metus gravis aliquando tantus eſt, vt rationis vſum omnem adimat; ali-

quando vſum rationis relinquat..

IV. Obser. Aliud eſt fieri ex metu; aliud fieri cum metu. Tunc aliquid fit ex metu, cùm metus eſt cauſa, vt illud voluntariè fiat, licèt illud ipſum aliunde involuntarium ſit, quatenus repugnat affectui non faciendi, ſi abeſſet metus, fit tamen abſolutè prædominante metu, & contrarium affectum vincente. Fit verò cum metu, ad quod metus ſe habet concomitanter, nec eſt cauſa voluntarii, nec involuntarii, ſed id quod fit, ex alio oritur principio, puta ex affectu generoſo metui oppoſito, ipſúmque vincenté; ſic martyres mortem cum metu elegere, affectu non ex metu cauſato, ſed illi contrario, & ex Dei amore orto, metúmque ſuperante.

I. Assert. Quæcumque fiunt ex metu gravi, qui non eripiat rationis vſum, ſunt ſimpliciter voluntaria. Probatur. Illud eſt ſimpliciter voluntarium, quod examinatis, diſcuſsíſque circumſtantiis agimus: quæ ex metu gravi rationis vſum non eripiente facimus, examinatis, diſcuſsíſque circumſtantiis agimus, v. g. mercator, qui projicit merces in mare ex metu mortis ob ingruentem tempeſtatem, examinatis circumſtantiis vult illas efficaciter projicere, quia judicat illam projectionem medium neceſſarium ad cavendum gravius aliud damnum: ergo quæ fiunt ex gravi metu rationis vſum non eripiente, ſunt ſimpliciter voluntaria. 2. Illæ actiones ſunt ſimpliciter voluntariæ, ob quas laus, aut vituperatio, præmium aut pœna debetur agenti: ſed ob actiones etiam gravi metu extortas redditur agenti laus, aut vituperatio, præmium defertur, vel pœna irrogatur: ergo actiones etiam metu gravi extortæ ſunt ſimpliciter voluntariæ. Accedit authoritas Philoſophi, lib. 3. Ethic.

Digitized by Google

c. 1. *μικταὶ μὲν οὖν εἰσὶν αἱ τοιαῦται πράξεις. ἐοίκασι δὲ μᾶλλον ἑκουσίοις.* Mixtæ igitur ejuſmodi actiones cùm ſint, ſpontaneis tamen magis ſunt ſimiles, & D. Thomæ, 1. 2. q. 6. a. 6.

II. Assert. Quæ fiunt ex gravi metu, ſunt ſecundùm quid involuntaria. Prob. Quod fit cùm aliqua repugnantia, & quod nollet voluntas ſublatâ metus causâ, eſt ſecundùm quid involuntarium: at ſæpè quædam cum repugnantia ex gravi metu agimus, quæ ſublatâ metus causâ nollemus, v. g. mercator cum repugnantia merces projicit in mare, nollétque illam projectionem ſublato mortis jamjam imminentis periculo: ergo quod fit ex metu gravi, ſecundùm quid involuntarium eſt. Et verò qui operatur ex metu gravi, habet ſemper duos actus, alterum efficacem, quo dicit poſito eo metu volo facere hoc abſolutè, v. g. projicere merces in mare: alterum inefficacem, quo dicit inefficaciter; vellem hoc tamen non facere. Vult itaque ſimpliciter, & efficaciter, ſecundùm quid autem, & inefficaciter; ideóque quod per metum agitur, ſimpliciter voluntarium eſt, & involuntarium ſecundùm quid, ſeu mixtum.

III. Assert. Quæ fiunt ex gravi metu, à peccato non ſemper excuſant, minuunt tamen ſemper peccatum. Patet prima pars, quia ſunt ſimpliciter voluntaria. Patet quoque ſecunda, quia metus gravis minuit ſemper rationem voluntarii; hinc venia aliqua dignos exiſtimat Philoſophus, & commiſeratione, qui ex metu gravi agunt quidpiam, quod ipſos agere non deceat quæque humanam naturam ſuperant, & quæ nemo toleraret. *συγγνώμη δὲ, ὅπου διὰ τοιαῦτα πράξῃ τις ἃ μὴ δεῖ, ἃ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ὑπερτείνει, καὶ μηδεὶς ἂν ὑπομείναι.*

Dixi à peccato non ſemper excuſare, quia quæ fiunt ex metu gravi, aliquando excuſant à peccato, cùm præceptum eſt purè humanum, civile, & eccleſiaſticum, modò nullum inde fidei dedecus, nullúmque ſcandalum naſci videatur. 2. Cùm præceptum naturale eſt, aut divinum, ſed poſitivum, & affirmativum, vt præceptum dandi eleemoſynam egenti, vel peccantem coram ſe corripiendi, niſi fortè meritò timeretur contemptus fidei, ſcandalum, aut damnum proximi. Quòd ſi præceptum naturale ſit, prohibeátque quidpiam intrinſecè malum, numquam metus etiam gravis excuſat à peccato; hinc non licet vmquam mentiri, aut blaſphemare, &c.

IV. Assert. Cùm tantus eſt metus, vt rationis vſum eripiat, actio non eſt voluntaria, adeóque non eſt peccatum. Patet, quia tum nullus eſt libertatis vſus.

Objicies 1. ex Ariſtotele, 3. Ethic. c. 1. ait: *Spontanea igitur hujuſmodi* (quæ ſcilicet fiunt ex metu) *ſimpliciter verò invita, quippe cùm tale quidpiam per ſe eligat nemo:* ergo quæ fiunt ex metu, ſunt ſimpliciter invita.

Reſpondeo diſt. Sunt ſimpliciter invita nudè ſpectata, & extra has, & illas circumſtantias, concedo: in his, & illis circumſtantiis, nego. Cùm enim actio ſit ſingularium, præſertim ſpectanda eſt, cùm illigatur circumſtantiis, & cùm fit; non autem abſolutè: v. g. projectio mercium, quæ fit hîc, & nunc à mercatore, licèt abſolutè extra circumſtantias periculi mortis ſimpliciter involuntaria foret, tamen in illis circumſtantiis ſimpliciter voluntaria eſt, quia mercator in illis circumſtantiis volens potiùs agit, quàm nolens, eligit-

que vltro jacturam mercium, vt vitæ conſulat.

Inſtabis. Quod ſecundùm ſe tale eſt, remanet ſemper tale quolibet addito, v. g. quod ſecundùm ſe eſt calidum, cuicumque jungatur, ſemper eſt calidum: quod per metum agitur, ſecundùm ſe eſt involuntarium: ergo metu ingruente eſt involuntarium.

Reſp. cum D. Thoma diſt. majorem, quod ſecundùm ſe tale eſt in abſolutis, concedo: in relativis, qualis eſt mercium projectio reſpectu mercatoris naufragium timentis, nego.

Objicies 2. Si quæ fiunt ex metu gravi, ſunt ſimpliciter voluntaria, omnes contractus, qui ex gravi metu fiunt, jure naturæ validi ſunt, vtpote ſimpliciter voluntarii, ac proinde non poſſunt ab eccleſia irritari, quod falſum.

Reſpond. Nego ſequelam majoris, licèt enim contractus ſit voluntarius ſimpliciter, non ideo jure naturæ validus cenſeri debet, quia ad illius valorem exigitur conſenſus omni ex parte liber, nec injuria extortus. Certè donatio jure ipſo naturæ plenam libertatem requirit, adeóque nulla habetur, ſi ex gravi metu facta ſit; hinc latro tenetur ad reſtitutionem pecuniæ, quam illi viator vltro dedit, veritus ne interficeretur; cenſetur enim viator non habuiſſe voluntatem transferendi dominium ſuæ pecuniæ in latronem, ſed tantùm exhibendi actu externo pecuniam. Quin etiam venditio metu extorta pro juſto pretio, authoritate humana irritari poteſt, ob gravia damna, quæ ex ejuſmodi contractibus in rempublicam redundare poſſunt. Sed hæc ad Theologos Morales.

Objicies vltimò. Quæ fiunt ex metu gravi, veniam merentur ex Ariſtotele: ergo non ſunt voluntaria.

Digitized by Google

Reſp. nego conſeq. Licèt enim ſint voluntaria, veniam merentur aliquam ob maximum metum, & comparativè ad ea, quæ fiunt ſine metu.

Obſerva hîc affectum ex metu conceptum circa aliquid, talem aliquando eſſe poſſe, vt omnino ſit abſolutus ab omni affectu oppoſito, ipſámque adeò voluntatem planè poſſideat. Talis eſt deteſtatio ſupernaturalis, & dolor de peccatis admiſſis ex metu damnationis æternæ conceptus, qui ex Tridentino, Seſſ. 14. cap. 4. omnem peccandi voluntatem excludit, & ad juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ conſequendam ſalubriter diſponit; hinc doctrina Ariſtotelis, qua docet actus ex metu prodeuntes eſſe involuntarios, & mixtos, quatenus in voluntate relinquunt affectum oppoſitum, non debet intelligi vniverſaliter.

§. 5. *Quomodo concupiſcentia ſe habeat ad voluntarium & liberum.*

I. Observ. Per concupiſcentiam hîc intelligitur quælibet paſſio, ſeu motus appetitus ſenſitivi in bonum jucundum, qui ita voluntatem præveniat, vt vſum rationis non adimat.

II. Observ. Duplex concupiſcentia: altera prior electione, & actione voluntatis, quam proinde prævenit: altera conſequens, ſeu poſterior electione, & imperio voluntatis. Tales ſunt motus appetitus ſenſitivi, qui excitantur à voluntate quidpiam vehementer amante.

III. Observ. Duplex libertas diſtingui debet: altera accidentalis, quæ eſt immunitas à propenſione in alterutram partem, ſeu libertas æqui-

Digitized by Google

librii: altera eſſentialis, quæ dicitur libertas electionis, éſtque poteſtas agendi, vel non agendi.

I. Assert. Concupiſcentia antecedens non facit involuntarium ſimpliciter.

Prob. Quod fit ex concupiſcentia antecedente, nec fit ex ignorantia, nec contra omnem voluntatis inclinationem: ergo concupiſcentia antecedens non facit involuntarium ſimpliciter.

II. Assert. Concupiſcentia antecedens auget voluntarium, ſumptum pro eo, quod fit ex inclinatione voluntatis.

Prob. 1. Quia concupiſcentia efficit, vt intellectus magis ſe applicet ad objectum delectabile. 2. Vt voluntas ipſa magis inclinet, potentiúſque feratur in rem concupitam: Sed hæc duo augent voluntarium. Dixi, provt voluntarium ſumitur pro inclinatione voluntatis, quia ſæpe concupiſcentia menti offundit tenebras, ideóque avocat à circumſtantiarum conſideratione.

III. Assert. Concupiſcentia conſequens auget etiam voluntarium.

Prob. Quia excitata concupiſcentia ex imperio voluntatis efficit, vt homo conſtantiùs rem exequatur, & majori cum propenſione. Deinde voluntatem magis accendit, juvátque vt diutiùs actum ſuum continuet. Quamquam non eſt dicenda concupiſcentia conſequens ſed antecedens reſpectu illius continuationis.

Objicies 1. Metus minuit voluntarium, quia ea, quæ fiunt ex gravi metu, ſublato metu, non fierent: ſed quæ fiunt ex concupiſcentia, eâ ſublatâ non fierent: ergo concupiſcentia minuit, non auget voluntarium.

Reſp. nego paritatem. Ideò enim metus minuit voluntarium,

oluntarium, quia agens ex metu cum aliqua reugnantia præſenti agit, vt qui projicit merces in nare. At qui agit ex concupiſcentia, non agit cum epugnantia præſenti, ſed cum propenſione majoi, & conatu voluntatis.

Objicies 2. Concupiſcentia conſequens eſt effe-ctus voluntarii: ergo non auget voluntarium.

Reſp. Saltem augere extenſivè, quia efficit, vt voluntas pluribus inclinationibus feratur in rem concupitam. Deinde auget etiam intenſivè, quia concupiſcentiâ ſemel excitatâ voluntas vult ardentiùs objectum, quàm antea.

IV. Assert. Concupiſcentia minuit liberum, vt eſt immunitas à propenſione.

Prob. Quia premens concupiſcentia voluntatem rapit in objectum vnum potiùs, quàm in aliud: ergo minuit libertatem propenſionis. Patet antecedens experientiâ eorum, qui aliquod objectum vehementiùs concupiſcunt. Propendent enim in objectum concupitum, & ita non ſervant æquilibrium.

V. Assert. Concupiſcentia ita minuit liberum, vt tamen non tollat libertatem propriè dictam, ſeu electionis.

Prob. Poſitâ quâlibet propenſione in objectum, etiam vehementi, ſemper manet integra libertas electionis, ſeu poteſtas agendi, vel non agendi: ergo non tollitur libertas electionis per concupiſcentiam.

Confirmatur ex Auguſt. lib. de natura & gratia, cap. 66. *Si non poteſt ei* (id eſt concupiſcentiæ) *reſiſti, ſine peccato ei ceditur; quis enim peccat in eo, quod caveri nullomodo poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt.*

Objicies 1. Ait Auguſt. *pœnalem vitioſitatem*, hoc eſt, concupiſcentiam, *ex libertate feciſſe neceſſitatem*: ergo tollit libertatem electionis.

Reſp. diſt. anteced. Feciſſe neceſſitatem peccandi moralem, concedo: abſolutam, & phyſicam, nego. Nempe intelligit vel neceſſitatem moralem peccandi, hoc eſt, ſummam difficultatem abſtinendi à peccato; quia dum concupiſcentiæ pondere premimur, difficulter juſtitiæ obtemperamus: vel quamdam neceſſitatem patiendi motus indeliberatos, & turbulentos, quibus caro inſurgit adverſus ſpiritum. At motus illi indeliberati ſunt tantùm peccata materialiter, non formaliter.

Inſt. 1. Deſideria peccandi mala ſunt: concupiſcentia eſt deſiderium peccandi ex Auguſtino: ergo, &c. Reſp. diſt. maj. Deſideria peccandi materialiter & vt ſic, mala ſunt, nego. Deſideria peccandi in certis circumſtantiis, & formaliter ſumpta, mala ſunt, concedo. At concupiſcentia eſt deſiderium peccandi materialiter tantùm non formaliter. Motus enim ex concupiſcentia orti ſunt tantùm mali materialiter; niſi accedat conſenſus voluntatis, qui conſummet peccata.

Objicies 2. Concupiſcentia aliquatenus minuit liberum; ergo & voluntarium; nam quod minuit ſpeciem, minuit & genus.

Reſp. diſt. Quod minuit ſpeciem adæquatè, minuit genus, concedo: quod minuit ſpeciem inadæquatè, & ſecundùm differentiam ſpecificam tantùm, nego. At concupiſcentia minuit liberum, non præciſè, quà voluntarium eſt, ſed quà liberum.

Nota tamen motus indeliberatos voluntatis aliquando efficere involuntarium per ignorantiam.

Ratio eſt quòd concupiſcentiæ vis ardentior minuat ac debilitet cognitionem finis, & circumſtantiarum, in quibus eſt actio. Quare ſi vehementiſſimi ſint iſti motus, tollunt cognitionem ad voluntarium neceſſariam. Vnde motus illi indeliberati, qui præveniunt rationis vſum, dicuntur involuntarii, non quòd ſint violenti, ſed quòd careant cognitione ad voluntarium requiſitâ. Quare actiones externæ, ex illis motibus indeliberatis ortæ, dicuntur eodem modo involuntariæ. Certè cùm libertas ſit radicaliter in intellectus cognitione, quidquid illam cognitionem debilitat, ipſam quoque libertatem minuere cenſetur.

§. 6. *Quomodo ignorantia ſe habeat ad voluntarium, & liberum.*

REM vt definiam, quædam præmitto. I. Ignorantia vel ſumitur, vt eſt carentia cognitionis non debitæ, & dicitur neſcientia: vel ſtrictè, vt eſt carentia cognitionis debitæ.

II. Hæc ſubdividitur in ignorantiam pravæ diſpoſitionis, quæ vocatur error, éſtque poſitivum judicium falſum, vt ſi quis judicet mendacium eſſe licitum: & in ignorantiam puræ privationis, vt ſi quis neſciat homicidium eſſe licitum.

III. Ignorantia puræ privationis dividitur in antecedentem, concomitantem, & conſequentem. Antecedens eſt, quæ non eſt voluntaria, & eſt cauſa actionis, quæ fit ab ignorante. Quare duas conditiones requirit, nempe vt ſit invincibilis, id eſt, nullo modo volita; deinde vt ſit cauſa actionis, quæ ſine ea non fieret. Vt ſi inter venandum, amicum interficias, ratus eſſe feram, licèt antea dili-

gentiam adhibueris, vt diſpiceres, eſſétne fera, aut homo.

Concomitans eſt, quæ nec eſt cauſa actionis, nec effectus, ideóque duas conditiones exigit. 1. eſt invincibilis, id eſt, nullo modo volita, quod illi commune eſt cum antecedente ignorantia. 2. non debet eſſe cauſa actionis, in quo ab eadem diſtinguitur, v. g. ſi hoſtem tuum interficeres, putans eſſe feram, tunc diceretur ignorantia concomitans; eſſet enim invincibilis, nec directè, aut indirectè volita: deinde eſſet cauſa actionis.

Conſequens eſt effectus actionis, ſeu voluntatis ad actionem determinatæ, diſtinguitúrque à duabus aliis. 1. Quòd ſit vincibilis. 2. quòd volita vel directè, vel indirectè, vt ſi quis nolit intereſſe ſacro ſolemni die Dominico, ne diſcat à parocho craſtinum diem, eſſe diem jejunii.

IV. Ignorantia antecedens duplex, alia circumſtantiarum, quæ ad actus honeſtatem non pertinent, vt cùm latro interficit hominem, neſcius, an ſit Gallus, aut Hiſpanus: alia circumſtantiarum, quæ pertinent ad actus honeſtatem. Porrò monet Ariſtoteles videndum diligenter, quomodo ſit affectus poſt actionem, qui ignorans aliquid fecit. Nam ſi facto delectatur, ignorantia tantùm fuit vel conſequens, vel concomitans: ſi triſtatur, fuit antecedens. Ratio eſt, quia qui triſtatur, reſpicit operationem vt malam; qui verò gaudet, reſpicit vt bonam.

V. Ignorantia conſequens dividitur in affectatam, & non affectatam. Affectata eſt, quam nolumus tollere, ne ab opere nos ipſos revocet, &, vt ait D. Thomas, quâ quis ex induſtria vult ignorare aliqua, vt liberiùs peccet, juxta illud ſcripturæ,

Nolunt intelligere, vt bene agant. Non affectata oritur ex negligentia voluntaria, ſubdividitúrque in ſupinam, & craſſam. Craſſa ex deſidia oritur: ſupina ex nimia ſollicitudine terreni commodi, ſupinum enim idem eſt ac curvum.

VI. Ignorantia conſequens dividitur in vincibilem phyſicè, & vincibilem moraliter. Vincibilis phyſicè eſt, quæ potuit quidem vinci, ſed tunc non erat obligatio. Vincibilis moraliter, quæ potuit vinci tum, cùm erat obligatio.

VII. Inter ſe differunt agere cum ignorantia, & ex ignorantia. Nam agere cum ignorantia, eſt ignorantiam ſe habere tantùm concomitanter ad actionem: Agere verò ex ignorantiâ, eſt ignorantiam eſſe cauſam operis.

I. ASSERT. Ignorantia antecedens cauſat involuntarium, ſeu efficit actionem non voluntariam tum negativè, tum poſitivè.

Prob. 1. quòd faciat involuntarium negativè, quia voluntarium eſſe non poteſt, quod non eſt cognitum: at quod fit ex ignorantia antecedente, non eſt cognitum: ergo eſt involuntarium negativè, hoc eſt, non voluntarium. Iam quòd efficiat actionem poſitivè involuntariam.

Prob. Quia ſtatim atque deprehendit homo ex illa operans id, quod ab ipſo factum eſt, ſtatim eum facti pœnitet. Sic amici, qui loco feræ occiditur, interfectio non eſt voluntaria, quia non eſt cognita, quatenùs eſt interfectio amici. Et involuntaria poſitivè, quia ſtatim atque cognovit amicum pro fera à ſe quis cæſum, dolet quàm maximè.

Colliges à fortiori ignorantiam antecedentem nvincibilem tollere liberum, quia tollit ſimpliciter voluntarium.

Digitized by Google

Objicies. Qui occidit hominem, ratus eſſe feram, liberè catapultam exploſit: ergo occiſio ſimpliciter eſt voluntaria.

Reſp. Exploſionem illam eſſe contra inclinationem voluntatis ſaltem virtualem, quia voluntas numquam ipſam imperaret, ſi ſciret hominem latere in dumis.

II. Assert. Ignorantia vincibilis conſequens non efficit involuntariam actionem, ſed ſimpliciter voluntariam. Probatur. Quod fit ex ignorantia conſequente, eodem modo volitum eſt, quo ipſa ignorantia: ſed ignorantia conſequens eſt directè, vel indirectè volita: ergo quod fit ex ea, aut cognoſcitur cum ea neceſſariò conjunctum, eſt vel directè, vel indirectè volitum: ergo eſt ſimpliciter voluntarium.

Objicies 1. Ignorantia conſequens eſt cauſa actionis: ergo non facit actionem ſimpliciter voluntariam.

Reſp. nego conſequentiam. Colligitur enim tantùm ex antecedente, quòd actio ſit involuntaria ſecundùm quid, quatenùs eſt contra inclinationem virtualem voluntatis.

III. Assert. Ignorantia concomitans cauſat involuntarium negativè, non poſitivè, ſeu, quod idem eſt, efficit actionem non voluntariam, non tamen involuntariam.

Prob. 1. pars. Quiſquis agit ex ignorantia concomitante, non agit voluntariè quoad rem, aut circumſtantiam: ſed hoc eſt cauſare involuntarium negativè: ergo, &c.

Prob. 2. pars. Quia licèt abeſſet illa ignorantia, ageret tamen, vt patet ex eo, quòd re cognitâ ipſum facti non pœniteat, immo gaudeat, dum vi-

et hoſtem à ſe occiſum: ergo non cauſat involuntarium poſitivè, quia non agit invitè, & contrà inclinationem voluntatis.

APPENDIX.

An omnis ignorantia invincibilis tollat voluntarium.

DIXI omnis, nam multiplex eſt ignorantia invincibilis. Prima juris: ſecunda facti.

Ignorantia juris eſt, quâ quis ignorat, quid leges præcipiant.

Ignorantia facti, quâ ignoratur factum ipſum, ſive an jus cadat in hanc, vel illam materiam. Neſcis an die Veneris liceat comedere carnes? En ignorantia juris. Neſcis an ſit dies Veneris, licèt die Veneris ſcias abſtinendum à carnibus? En ignorantia facti.

Rurſus quia jus aliud naturale, aliud poſitivum; naturale, quod ex ipſa rerum natura, vt principio concluditur: poſitivum, quod voluntate liberâ ſtatutum eſt; hinc duplex ignorantia juris. Prima juris naturalis, quæ rarò circa prima principia contingit, frequentiùs verò circa concluſiones juris naturalis. Secunda juris poſitivi, quâ ignoratur præceptum ex libera Dei, vel hominum voluntate petitum.

Quæſtio hîc eſt, an quælibet ignorantia antecedens invincibilis excuſet à peccato.

Digitized by Google

Ianſenius poſt Calvinum cenſet ignorantiam invincibilem juris naturalis non excuſare à peccato, licèt ignorantia invincibilis juris poſitivi perinde ac facti excuſet à peccato. Hanc doctrinam fusè explicat, tom. 2. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 2. 3. 4. 5. & 6. Vt mentem ſuam aperiat, tria ſtatuit.

I. Quidquid fit ex ignorantia invincibili in ſtatu naturæ lapſæ excuſat à tanto peccato, quia qui peccat ex ignorantia invincibili, minùs graviter peccat, quàm qui ſciens, prudénſque, juxta illud, Luc. 12. verſ. 47. *Ille ſervus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

II. Ignorantia invincibilis juris naturalis non excuſat à toto peccato, quia nulla pœna peccati originalis excuſat à toto peccato: ignorantia invincibilis juris naturalis eſt pœna peccati originalis. Ratio eſt, ex principiis Ianſenii, quia ſcientia juris naturalis humanæ naturæ connaturalis eſt, eíque connaturaliter debita, quæ proinde cuilibet homini in ſtatu innocentiæ conceſſa à Deo fuiſſet. Vnde conſequens eſt ignorantiam illam eſſe culpabilem, nec excuſare à toto peccato, quippe quæ in pœnam peccati primi parentis inflicta ſit.

III. Ignorantia invincibilis tum facti, tum juris poſitivi excuſat à tanto, & toto peccato, quia vtraque non eſt pœna peccati originalis. Non eſt pœna peccati originalis, quia ſcientia legis Dei poſitivæ homini in ſtatu innocentiæ non erat connaturalis, pendet enim ex Dei libertate leges poſitivas condere, provt ejus ſapientiæ viſum fuerit: aliunde quia ſingularia ſine fine variari poſſunt, nec naturam rationalem eorum cognitio ita natu-

Digitized by Google

raliter perficit, ſicut primorum principiorum practicorum, quæ jure naturæ continentur; ideo in ſtatu innocentiæ cognitio factorum omnium, & accidentium ſingularium primis parentibus defuit: vt ex colloquio ſerpentis cum muliere, & mulieris cum marito facilè colligitur. Ita Ianſenius, cujus doctrinæ quid veri ſubſit, aut falſi, paucis oſtendo.

§ I. *Solvitur quæſtio.*

I. ASSERT. IGNORANTIA invincibilis tum facti, tum juris poſitivi excuſat à peccato. Ita Doctores omnes. Probatur. Nullum involuntarium eſt peccatum: omne quod fit ex ignorantia tum facti, tum juris poſitivi, eſt involuntarium: ergo nullum factum ex ignorantia invincibili tum facti, tum juris poſitivi, eſt peccatum.

Conſentit huic doctrinæ Ianſenius, cap. 6. lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ. Sed ex alio principio, quòd nempe ignorantia juris poſitivi non ſit pœna peccati originalis, vt modò explicui, júſque poſitivum in ſtatu innocentiæ, vtpote à libera Dei voluntate pendens, potuerit ignorari. *Vnde*, inquit, *videtur fieri, vt illius legis ignorantia invincibilis non ſit vitioſa: & conſequenter neque peccato deputandum id, quod ex ea fit, quandoquidem & in illa prima conditionis præſtantia, ſine vllo peccato, aut vitio præcedente, cujus pœna eſſet, potuit ignorari.*

II. ASSERT. Ignorantia invincibilis juris naturalis excuſat à toto peccato: hæc propoſitio eſt contra Ianſenium, & doctrina Eccleſiæ, fatente Luthero in caput 12. Geneſis. *Scholaſtici*, inquit, *invincibilem ignorantiam dixerunt excuſabilem, quæ*

ſimpliciter à toto excuſet, id eſt, peccatum prorſus tollat, tanta cacitas eſt in Papa ſcholis, & eccleſiis.

Prob. Omnis culpa debet eſſe voluntaria, & libera. Nullum factum per ignorantiam invincibilem, quatenus invincibilis eſt, voluntarium eſt, & liberum: ergo nullum factum per ignorantiam invincibilem eſt peccatum. Major probatur ex eo, quòd voluntas, dum liberè agit, agit ſemper ex cognitione perfecta, vt jam dictum eſt. Quare prob. minor. Nullum factum ex ignorantia invincibili, vt tale, eſt ex cognitione. Omne voluntarium, & liberum eſt ex cognitione: ergo nullum factum ex ignorantia invincibili eſt voluntarium, & liberum.

Ad hæc omne peccatum propriè dictum vel eſt peccatum in ſe, vt ebrietas, vel in ſua cauſa, vt homicidium in ebrietate commiſſum: factum ex ignorantia invincibili juris naturalis, nec eſt peccatum in ſe, nec in ſua cauſa; non in ſe quidem, quia non eſt cognitum ſub ratione peccati, alioqui non eſſet ex ignorantia juris: non in cauſa, quia cauſa non eſt voluntaria; cauſa enim eſt ignorantia, quæ cùm ſit invincibilis ex hypotheſi, voluntaria eſſe non poteſt.

Nec dicas cum Ianſenio peccatum ex ignorantia invincibili nobis eſſe voluntarium, & liberum in Adamo, in quo vt in capite nobis cognitum fuit. Nam primò peccatum, quod committimus ex ignorantia invincibili, nobis proprium eſt: ergo debet propria voluntate committi: at quidquid propria voluntate committitur, fit ex propria cognitione, non ex aliena: ergo, &c. 2. Quia motus indeliberati concupiſcentiæ tam ſunt liberi, & voluntarii in Adamo, quàm ignorantia invincibi-

lis: ergo eſſent peccata formaliter.

Confirm. ex Auguſt. lib. 3. de libero arb. cap. 19. & lib. de natura, & gratia Chriſti, cap. 67. vbi ſic alloquitur hominem expoſtulantem de ignorantia ad poſteros tranſmiſſa. *Non tibi*, inquit, *deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras.* Et ibidem. *Quis peccat in eo, quod nullomodo caveri poteſt?*

Nec dicat Ianſenius Auguſtinum eo loco locutum de alio naturæ ſtatu, in quo homines hereditariam à primo parente ignorantiam non accepiſſent. Nam ibi agit adverſus eos, qui de ignorantia ex Adami peccato in poſteros tranſmiſſa conquerebantur, eóſque inde refutat, quòd homini ad culpam non deputetur, quod invitus, id eſt, invincibiliter ignorat, ſed tantùm quòd negligit quærere, quod ignorat.

Prob. 4. argumento ad hominem. Ignorantia facti, & juris divini invincibilis excuſat à peccato, ex Ianſenio: ergo & ignorantia juris naturalis: quia ignorantia juris naturalis tam deſtruit rationem voluntatis, quàm ignorantia facti, aut juris poſitivi; hinc Hugo Cardinalis in Pſal. 34. ait: *Ignorantia invincibilis excuſat à tanto, & toto: ſimplex excuſat à tanto, & non à toto: affectata nec à tanto, nec à toto:* hinc D. Thom. 1. 2. quæſt. 76. art. 2. ita pronunciat de ignorantia invincibili: *Non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſcit ea, quæ ſcire non poteſt. Vnde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt. Et propter hac talis ignorantia, cùm non ſit voluntaria, eo quòd non eſt in poteſtate noſtra, eam non repellere, non eſt peccatum.*

III. Assert. Malè dixit Ianſenius ignoran-

Digitized by Google

tiam invincibilem ideo à peccato non excuſare, quia eſt pœna peccati.

Prob. Multa, quæ ſunt pœna peccati originalis, excuſant à peccato: ergo falſum eſt ideo ignorantiam invincibilem juris naturalis non excuſare à peccato, quia eſt pœna peccati originalis; non enim eſt potior ratio vnius, quàm alterius. Prob. ant. Ignorantia, in qua parvuli naſcuntur; amentia, in qua alii; & phreneſis, ex quibus multa fiunt jure naturali, & divino prohibita, ſunt pœna peccati originalis, ex Auguſtino contra Iulianum. At infantes, amentes, phrenetici non peccant cùm matri iraſcuntur, aut verberant obvios, vt docet idem Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 36. contra Pelagianos, qui docebant baptizari infantes ad delenda peccata propriâ voluntate contracta.

Prob. 2. Ex Ianſenio, lib. 2. naturæ lapſæ, cap. 5. *Excuſantur Gentiles de ſua infidelitate, ſi non audierint Evangelium Chriſti.* Atqui ignorantia Evangelii, quæ reperitur in gentilibus, ad quos non pervenit Evangelium Chriſti, eſt pœna peccati originalis: ergo datur aliqua ignorantia excuſans à peccato, quæ eſt pœna peccati originalis. Prob. minor. Illa derelictio, quâ nec prædicatur Chriſtus gentilibus, nec miſeretur eorum, eſt effectus reprobationis; ergo & peccati: nam cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: ergo originale peccatum, cùm ſit cauſa reprobationis, eſt etiam cauſa effectuum inde conſequentium.

Prob. eadem minor ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 1. *Si infidelitas*, inquit, *accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in iis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ,*

Digitized by Google

quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt.

Denique Auguſtinus rem conficit, Epiſt. 150. ad Sixtum. *Ipſa ignorantia*, inquit, (nempe Evangelii) *in iis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in iis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.*

IV. Assert. Aliqua ignorantia juris poſitivi eſt pœna peccati originalis.

Prob. Ignorantia Evangelii eſt ignorantia juris poſitivi: ignorantia Evangelii eſt pœna peccati originalis: ergo aliqua ignorantia juris poſitivi eſt pœna peccati originalis. Minor patet ex Auguſtino mox citato.

§. 2. *Diluuntur objecta.*

NVllum ex ratione petunt argumentum Calvini, & Ianſenii aſſeclæ, ſed ex Patrum authoritate, præſertim Hieronymi, & Auguſtini. Vt ſolvas, hæc principia accipe.

I. Peccatum aliud eſt peccatum tantùm, aliud peccatum ſimul, & pœna peccati. Peccatum tantùm illud eſt, quod non ex aliquo alio peccato, ſed ex ſe ipſo rationem voluntarii ducit, & vnde eſt liberum abſtinere. Hoc porrò peccatum verè reperitur in ſtatu naturæ vitiatæ, juxta doctrinam D. Auguſtini, lib. I. operis imperfecti. *Fatemur*, inquit, *in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate: quæ tantummodo peccata ſunt, vnde ab eis liberum eſt abſtinere.*

II. Peccatum, quod eſt peccatum ſimul, & pœna peccati, eſt iterum duplex: alterum, quod voluntarii rationem à ſe ipſo non habet, ſed ab alio quodam peccato, in quo, vt in cauſa volitum eſt,

Digitized by Google

Sic homicidium ab ebrio commiſſum peccatum eſt, & pœna peccati, quia non eſt in ſe voluntarium, ſed in cauſa tantùm, nempe in ebrietate, quæ in ſe volita eſt liberè. *Homicidium*, inquit D. Thomas quæſt. 3. de malo, art. 10. *per ebrietatem commiſſum imputatur homini ad culpam, quia principium ebrietatis fuit voluntarium.* Sic Apoſtoli ignorantis crimina ex antegreſſa ejus negligentia formalem peccati rationem traxiſſe dicuntur. Sic denique peccatum originale eſt peccatum, & pœna peccati, quia ex Adami peccato voluntarii rationem habet, cum hoc tamen diſcrimine, quòd peccatum originale non poſſit dici peccatum actuale poſterorum, ſecus verò alia duo, de quibus ſuprà, quia homo nullum poteſt peccatum actuale, niſi propria voluntate, contrahere. Alterum eſt, quod impropriè peccatum, & propriè eſt pœna peccati, cujuſmodi eſt concupiſcentia, & motus indeliberati, ex D. Auguſtino, lib. 1. operis imperfecti. *Tertium*, inquit, *genus, vbi peccatum ipſum eſt, & pœna peccati, poteſt intelligi in eo, qui dicit: quod nolo malum, hoc ago.* Duo porrò hoc genus peccati requirit, primum, vt ſit materialiter peccatum, & metonymicè; ſecundum, vt in pœnam peccati inferatur.

III. Quæ fiunt ex ignorantia invincibili, non ſunt peccata, niſi impropriè, & metonymicè, quatenus ſunt à peccato, & peccati originalis effecta, ſicut locutio dicitur lingua, quia linguâ fit, & ſcriptura vocatur manus, quia manu fit. *Illud*, inquit D. Auguſt. lib. 3. de libero arbit. cap. 19. *quod ignorans quiſque non rectè facit, & quod rectè volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis* (primi nempe parentis) *originem ducunt. Illud enim præcedens meruit iſta*

ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, ſed etiam illud, quod membri hujus motum conſequitur, id eſt, formam, tenorémque verborum, &c. *Sic non ſolùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum: liberâ enim voluntate, & ab ſciente committitur: ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur neceſſe eſt.* Hæc linguæ comparatio planè evincit Auguſtinum ibi loqui de peccato tantùm impropriè dicto.

IV. Ignorantia vincibilis, & peccatum eſt, & cauſa peccati, dum quidpiam ex illa fit. Peccatum quidem eſt, quia quiſquis ipsâ laborat, ita ſcit ſe ignorare, vt poſſit, & debeat ignorantiam vincere: quod ex ea fit peccatum quoque eſt, ſaltem in cauſa ſua, ſicut homicidium commiſſum per ebrietatem, cujus principium liberum fuit, verè peccatum eſt, qui enim vult ignorantiam, cenſetur vtique velle quæ ex ea conſequuntur.

V. Quæ objiciunt adverſarii ex Scriptura, DD. Hieronymo, Auguſtino, & Conciliis, intelligi debent ferè omnia de ignorantia, quæ non omnem mali cognitionem tollat, ſed dumtaxat minuat, de peccatis vincibilis ignorantiæ juris poſitivi, & facti: aut ſi ex ignorantia invincibili oriuntur, ſunt tantùm peccata materialiter, impropriè, & metonymicè juxta phraſim Auguſtinianam.

VI. Pelagiani negabant ignorantiam invincibilem eſſe peccatum tum propriè, tum impropriè dictum, eo nempe ſenſu, quo concupiſcentia involuntaria cum ſuis motibus inordinatis dicitur peccatum impropriè, quatenus eſt pœna peccati, & per peccatum primi parentis invecta; immo naturæ primordia ignorantiam, & concupiſcentiam

pugnabant, teſte Auguſtino, lib. de don. perſev. cap. 11. *Dicunt*, inquit, *Pelagiani ignorantiam*, & *difficultatem*, (id eſt concupiſcentiam) *ſine quibus nullus naſcitur, primordia, non ſupplicia eſſe naturæ.* Denique id, quod fit ex ignorantia vincibili, ne peccatum quidem eſſe volebant, ne aliquod peccatum in cauſa admitterent. Ratio eſt, quod negarent peccatum originale: ergo ne tenerentur peccatum originale admittere, quod eſt peccatum in cauſa, nempe in peccato Adami, conſequenter peccatum ex vincibili ignorantia contractum agnoſcere nullum debebant. Contra quos Auguſtinus ignorantiam, & concupiſcentiam eſſe pœnam peccati originalis acriter defendit; deinde quæ fiunt ex ignorantia vincibili, eſſe propriè dicta peccata.

VII. Synodus Dioſpolitana nihil definivit contra communem doctrinam Eccleſiæ, vt patebit ex mox dicendis.

Objicies 1. Synodus Dioſpolitana damnat hanc Celeſtii propoſitionem, *Oblivio*, & *ignorantia non ſubjacent peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem*: ergo contradictoria illius vera eſt, oblivio, & ignorantia ſubjacent peccato: at ibi loquitur de ignorantia invincibili juris naturalis: ergo ignorantia juris naturalis verè ſubjacet peccato, adeóque quod ex ea fit, peccatum eſt.

Reſp. 1. Sive Synodus intelligat propoſitionem damnatam de ignorantia invincibili, ſive de ignorantia vincibili, ſive de vtraque, meritò eſſe damnatam, & quidem eo ſenſu, quo Pelagiani eam defendebant. Nempe ex principio 6. ignorantiam, aut quod fiebat ex ignorantia, non ſubjacere pec-

cato originali; nec eſſe peccatum etiam materialiter, pertinaciter defendebant, ne peccatum originale admittere cogerentur. Definivit contrà Synodus, ignorantiam omnem peccato originali ſubjacere, & quod ſit ex ea, eſſe peccatum, ſaltem materialiter, ſi ſit ex ignorantia invincibili, aut formaliter in cauſa, ſi ex ignorantia vincibili. Quod verum eſt. Ad probationem: ergo contradictoria vera eſt: Ignorantia invincibilis ſubjacet peccato. Diſt. conſ. Si ſenſus ſit, ignorantia invincibilis ſubjacet peccato originali, concedo: ſi ſenſus ſit, ſubjacet peccato actuali, nego. Verè quippe eſt à peccato originali, & quidem ſecundùm neceſſitatem, & in pœnam illius irrogata ignorantia invincibilis.

Deinde cùm triplex ſit ignorantia invincibilis, vna juris naturalis, altera juris poſitivi, tertia facti, quæro à Ianſenii partiariis, cur Synodus ſine vlla diſtinctione propoſitionem damnavit, quæ quoad ſecundam, & tertiam ignorantiam vera erat, fatente Ianſenio, & falſa tantùm quoad primam? at

Reſp. vltimò, Patres illius Synodi intelligere ſuum dogma etiam de ignorantia vincibili juris poſitivi, & facti, ex qua ſi quid ſit, peccatum eſt. Ratio eſt, quia Pelagianum dogma, ex eo refutant, quòd ſacrificia pro ignorantia, ſicut pro peccato offerrentur: at pro ignorantia vincibili facti, aut juris poſitivi ſacrificia offerebantur ex Auguſtino, lib. de natura, & gratia, cap. 16. *Aliud eſt*, inquit, *non curare ſcire, quæ negligentia peccata per ſacrificia quadam legis videbantur expiari.*

Inſtabis 1. Hæc poſtrema verba, *quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm ne-*

Digitized by Google

ceſſitatem, videntur excludere ignorantiam vincibilem, quæ cùm vincibilis ſit, non ſecundùm neceſſitatem evenit. Reſpondeo illis verbis excludi quidem ignorantiam, quæ directè voluntaria ſit, quia evenit voluntate ipſam procurante, & affectante, non autem eam, quæ indirectè volita ſit, quòd voluntas ad eam depellendam, non omnem quam poteſt, & debet, diligentiam adhibeat, quæ proinde peccatum eſt, quia præceſſit negligentia, aut aliquid aliud à nobis cognitum, à quo vt voluntatem, ita formalem culpæ rationem traxit.

Objicies 2. In eo eſt peccator inexcuſabilis, quod ſequitur ex pœna peccati originalis: at quod ſequitur malum ex ignorantia invincibili, ſequitur ex pœna peccati originalis: ergo in eo malo, quod ſequitur ex ignorantia invincibili, peccator eſt inexcuſabilis, adeóque quod fit ex ignorantia invincibili peccatum eſt. Prob. vtraque propoſitio ab Auguſt. epiſt. 16. ad Sixtum. *Inexcuſabilis*, inquit, *eſt humana ſuperbia, quæ ſe excuſatam putat, quando ignorantiæ eſt, quod peccat, non voluntatis, quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in iis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.*

Reſp. 1. Ibi Auguſtinum agere de ignorantia juris poſitivi, in iis, qui non audierunt Evangelium. Sed vera reſponſio eſt, ad Auguſtini mentem, infideles juſtè damnari, nec poſſe juſtam excuſationem prætexere. Vel enim non potuerunt, & ſic juſtè damnantur ob peccatum originale: vel noluerunt intelligere additamento propriæ voluntatis, & ſic juſtè damnantur ob perſonale peccatum; Et ſic omnis peccator eſt inexcuſabilis, vel reatu originis, vel additamento propriæ libertatis, nec po-

teſt conqueri, quòd non ſit prædicatum Evangelium, quia in eo eſt peccati originalis pœna, & juſta damnatio.

Inſt. 1. ex Auguſt. lib. de peccat meritis: *Nolunt homines facere, quod juſtum eſt, ſive quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum, & ab opere malo abſtinendum*: ergo cauſæ, cur homines non ſint ſine peccato, duæ ſunt ex Auguſt. nempe infirmitas, & ignorantia.

Reſp. ibi Auguſt. per ignorantiam, eam intelligere, non quæ ſit per defectum ſcientiæ juris naturalis, ſed gratiæ illuminantis, quâ congruè ſcimus, quid agendum ſit. Hæc porrò ſcientia ſæpè negatur ad confundendam ſuperbiam. Deinde manet ſemper ſufficiens ſcientia, ideóque non eſt omnis omninò ignorantia. Hæc reſponſio patebit legenti totum caput, vbi de gratia loquitur, quæ hominum adjuvat voluntatem.

Inſt. 2. Lib. de gratia, & libero arb. cap. 3. vbi oſtendit graviùs peccare ſcientem, quàm neſcientem, ſubdit: *Nec ideo confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quiſque requirat excuſationem; aliud enim eſt neſciviſſe, aliud ſcire noluiſſe.*

Reſp. 1. ibi agere Auguſt. de ignorantia juris poſitivi, nempe Evangelii, quod Ianſenio ſolvendum eſt. 2. Ibi non agi de ignorantia prorsùs invincibili, vnde addit Auguſt. (*tamquam ſimpliciter neſciunt.*) Quare illa ignorantia, cùm ſit vincibilis non impedit damnationem, tum ob originis peccatum, tum ob alia perſonalia. Mitiùs tamen ardebunt, quàm ij, quibus aperta eſt ſalu-

Digitized by Google

tis via, ob majorem Evangelii lucem.

Objicies 3. Excæcatio non excuſat à peccato: ergo nec ignorantia invincibilis. Prob. ant. ex Auguſt. de natura, & gratia, cap. 22. Prob. conſeq. Cæcitas eſt invincibilis ſicut ignorantia, ex Auguſt. de natura, & gratia, cap. 51. *Cæcus, puto, quòd velit videre, ſed non poteſt. Si autem vult, & non poteſt, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas.*

Reſp. ad primum anteced. nego paritatem, & ejus probationem. Quia excæcatio non excludit omne lumen practicum, ſed illud tantùm, quod eſt efficax, efficítque, vt invictiſſimè velimus. Sic Pharao habuit lumen practicum ſufficiens, quia, vt ait Auguſt. *libero contra Deum pugnavit arbitrio.* At ignorantia invincibilis excludit omne lumen. Quid plura? neceſſitas orta ex cæcitate eſt tantùm conſequens; quæ autem oritur ex invincibili ignorantia, eſt antecedens.

Objicies 4. Ante legem à Deo latam (*non concupiſces*) homo peccabat: ergo ex ignorantia juris naturalis, quia ex Apoſtolo peccatum per legem innotuit.

Reſp. nego conſeq. Quia ante legem poſitam peccabatur contra legem naturalem, & homicidium erat verè peccatum. Quare innotuit per legem peccatum non in ratione mali, ſed in ratione prævaricationis, ſub qua priùs latebat. Peccatores quippe erant, non prævaricatores ex D. Thoma, qui illud Pauli, *Peccatum non cognovi, niſi per legem*, ita explicat. *Dicendum ergo quòd ſine lege peccatum non cognoſcebatur, id eſt, non apparebat ſecundùm quod offenſa Dei, & prævaricatio, ſed adhuc ſecundùm quod malum, & turpe.*

Digitized by Google

Objicies 5. in quartam propoſitionem. In ſtatu innocentiæ ignoratum fuiſſet Evangelium: ergo ignorantia Evangelii non eſt pœna peccati in ſtatu præſenti.

Reſp. nego conſeq. Quia in ſtatu innocentiæ ignorantia Evangelii fuiſſet tantùm negativa, non privativa, &, vt aiunt, pura neſcientia, cognoſci enim non debuiſſet. At in ſtatu præſenti eſt ignorantia privativa, quia tenemur ſcire Evangelium, ideóque eſt pœna peccati.

Denique vt principium ſolvendis innumeris, quas ex Auguſtino, & Hieronymo petunt Ianſenii Aſſeclæ, authoritatibus, par habeas, memineris, in eo hallucinari fœdiſſimè Ianſenium, vt jam inſinuavi, 1. quòd ſupponat Auguſtinum cum Pelagianis de vna ignorantia juris naturalis agere, cùm agat de ignorantia juris poſitivi, & facti. 2. quòd transferat ad ignorantiam invincibilem, quod de ignorantia vincibili dixere Auguſtinus, & Hieronymus. 3. quòd illud pugnet peccatum eſſe formaliter, quod à D. Auguſtino, & D. Hieronymo tantùm appellatur peccatum materialiter. Vt patet ex Hieronymo, epiſt. ad Algaſiam: *Peccatum*, inquit, *quod priuſquam haberem intelligentiam, abſque peccato erat, per prævaricationem mandati incidit mihi eſſe peccantius peccatum.* Ibi enim D. Hieronymus non comparat minorem malitiam formalem cum majori formali, ſed materialem dumtaxat cum formali contendit, ideóque peccatum formale vocat peccantius, quia erat antea tantùm peccatum materialiter.

§. 3. *An omnis peccans ſit ignorans.*

QVAESTIO hîc duplex inſtitui poteſt. Prima, an aliqua ſemper ignorantia peccatum antecedat, & quænam illa ſit. Secunda, an aliqua ignorantia peccatum conſequatur. Vt primæ ſatisfaciam, certa ab incertis ſejungo.

Certum eſt 1. aliquem defectum præexiſtere in mente peccantis, ſive ſit inconſideratio eorum, quæ voluntatem à peccato retrahere poſſent, ſive ſit judicium falſum, & erroneum, quo concluditur appetendum vt bonum, quod reipſa appetendum non eſt. Patet 1. ex Ariſtotele, 3. Ethic. cap. 1. *Omnis*, inquit, *pravus, quid agendum, & à quibus abſtinendum ſit, ignorat; & ob ejuſmodi errorem injuſti, & omnino mali homines efficiuntur*: & paulò infrà: *Ignorantia non eſt inviti cauſa, ſed pravitatis*. Denique docet incontinentem, lib. 7. c. 3. ex inconſideratione particularis propoſitionis agere. Quamvis enim per vniverſalem noverit, *omne malum fugiendum*, tamen paſſione præpeditus, non ſubſumit, pro minore practici ſyllogiſmi, *hoc eſt malum*, vt concludat practicè, *ergo eſt fugiendum*. Sed è contrà ſub iſta majori, *omne delectabile eſt amandum*, ſubſumit, *atqui hoc eſt delectabile*: omiſsâ alterâ minori rationis ſub vniverſali prima, vt ex paſſione concludat: *ergo hoc eſt mihi amandum*. Accedit authoritas Scripturæ. Proverb. 14. *errant qui operantur malum*. Ratio eſt, quia voluntas, vtpote potentia cæca numquam ſe movet ad opus, niſi ex præmicante intellectûs cognitione, cujus eſt ipſi lumen præpandere. Quare ſi deſit in intellectu cognitio congrua, agere non poteſt voluntas, vt oportet: Si errat ille in judicio

practicè practico, hæc errabit quoque in electione.

Certum 2. non omnia peccata fieri ex ignorantia malitiæ ipſorum. Quia dantur peccata ex pura malitia, in quibus voluntas ſe ipſam determinat ad peccandum ex inclinatione ſua vel naturali, vel acquiſita, licèt nec ignorantia ſit ipſius malitiæ in intellectu, nec vehemens cupiditas voluntatem abripiat: de peccantibus ex pura malitia illud Iob c. 34. intelligi debet: *Qui quaſi de induſtria, receſſerunt ab eo, & vias ejus intelligere noluerunt.* Ideóque peccatum ex pura malitia gravius eſt cæteris paribus, quàm peccatum ex paſſione, aut ex ignorantia, quia fit ex majori cognitione, majori libertate, & majori contemptu Dei, denique cum majori affectu ad malum. 2. ex Auguſtino in Enchir. cap. 81. datur duplex cauſa peccati, ignorantia nempe, & infirmitas. *Dicam*, inquit, *hoc nunc, quod in aliis operum locis ſæpè jam dixi. Duabus ex cauſis peccamus: aut non videndo, quod facere debeamus: aut non faciendo, quod faciendum viderimus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum, hoc infirmitatis.* & lib. 2. de peccat. meritis, cap. 17. *Ignorantia, & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum.*

Status quæſtionis eſt an defectus, qui eſt in mente peccantis ſit tantùm carentia cognitionis, quæ ſi adeſſet hîc, & nunc, à peccato vtique revocaret; an verò judicium falſum, ſeu error quo homo peccans hîc, & nunc judicat ſibi, vt taliter affecto, ita agendum eſſe. Cui quæſtioni vt ſatisfiat,

Obſervandum 1. ignorantiam poſſe præire peccato vel neceſſariò, vel non neceſſariò, ſed ex

connaturali modo operandi voluntatis.

Obſervandum 2. Errorem practicum de quo hîc agitur, poſſe eſſe duplicem. Primus eſt actus judicii practici, quo res vna judicatur eligibilior alterâ, quæ tamen non eſt; vel certè eligibilis ex recta ratione, quæ reipſa ex ipſa ratione non eſt eligenda, ideóque talis actus dicitur difformis cum rebus eligibilibus: alter eſt actus judicii, quo licèt non judicetur furtum, v. g. eligibile ex recto appetitu, cui diſſentit, tamen hîc, & nunc eligendum concluditur, quia concupiſcentiæ conforme eſt; talis actus dicitur difformis rectæ rationi, non rebus ipſis. Primus dicitur error propriè; ſecundus, imprudentia, & error in moralibus, quia contra regulas prudentiæ judicat eligendum, quod ex recta ratione non eſſe eligendum cognoſcit.

I. Assert. Ad omnem actum peccaminoſum ſemper in intellectu peccantis præcedit error practicus moralis, qui dicitur imprudentia. Probatur 1. ratione, ad omnem actum liberum voluntatis ſemper prærequiritur judicium practicè practicum vel formale, & explicitum, vel virtuale, & implicitum: jam illud judicium vel verum eſt, vel falſum, vtpote conforme rectæ rationi, vel difforme. Si primum, cùm ex eo agit voluntas, honeſtè agit, & laudabiliter. Si ſecundum, malè agit, & peccat, quia agit conformiter rationi falſæ, & corruptæ. Conſentit D. Baſilius, homil. in Pſal. 37. explicans illa verba, *Putruerunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Inſipientiam*, inquit, *ſtultum factum ſuum nominat ab inſipientia procedens: omne enim peccatum per ſtultitiam fit.*

II. Assert. Ex connaturali operandi modo voluntatis creatæ præcedit in intellectu error practicus,

ꝏticus, ſeu inconſideratio eorum, quæ voluntatem à peccato retrahere poſſent. Probatur. Voluntas, vtpote facultas homini conceſſa ad bonum ſuppoſiti procurandum, connaturaliùs ferri debet in illud bonum, quod majus ab intellectu hîc, & nunc judicatur: ergo defectus attentæ conſiderationis in cauſa eſt, cur honeſtas virtutis oppoſita ab intellectu leviter tantùm apprehendatur, quæ ſemel clarè, & efficaciter apprehenſa voluntatem moveret.

Dixi ex connaturali modo, quia voluntas pro innata ſibi libertate, poteſt in peccatum ſibi ſub aliqua ratione jucundi propoſitum ferri, etiam cùm intellectus plenam habet eorum notitiam, quæ à peccato retrahere poſſunt. Ratio à priori eſt, quia libertas creata à nullo objecto creato neceſſitari poteſt; quod proinde contingenter eligibile: ergo poteſt abſolutè è duobus ſibi propoſitis bonis eligere, quod judicatum eſt minùs eligibile; hinc dicitur à D. Baſilio, hom. quòd Deus non eſt author mali, radix moralis erroris iſtius eſſe in voluntate, licèt radix phyſica, quæ eſt defectus cogitationis congruæ, ſit in intellectu.

Deinde quæcumque ignorantia præceſſerit, niſi invincibilis fuerit, poteſt corrigi ex attentiori conſideratione intellectus.

Dixi radicem peccati, quæ eſt negatio cognitionis congruæ, phyſicam eſſe, quia cùm cogitatio congrua, vtpote prima, quæ in negotio quolibet occurrit, ſit independens à voluntate, moralis eſſe non poteſt.

Confirmatur vtraque aſſertio ex doctrina, quam Ariſtoteles, lib. 7. Ethic. tradit de incontinente. Ibi enim ait incontinentem, id eſt, qui in propoſi-

to rationis contra paſſionem ſtare non poteſt, peccare, 1. ex ignorantia actuali, quamvis habeat ſcientiam in habitu, idcóque non eſt ſciens actu, ſed habitu tantùm. Durum enim eſt, inquit Ariſtoteles, ſi quis actu videat, intelligátque turpe eſſe furari, & tamen furtum perpetrare non dubitet. Itaque incontinens ſic peccans, eſt ſciens in actu primo, ſed neſciens in actu ſecundo, quia non vtitur ſua ſcientia. Idcóque eſt ſimul ſciens, & non ſciens, ſed diverſo reſpectu. Sicut Grammaticus, inquit Euſtratius, licèt habitu Grammaticæ probè inſtructus ſit, tamen dum alia cogitat omnia, interrogatus, aliqua ſyllaba, brevis ne ſit, an longa, ſi longam eſſe reſpondeat, quæ brevis eſt, in Grammaticam peccat, quia non attendit actu ad id, quod quæritur.

2. Cùm habet quidem ſcientiam vniverſalem actu, ſed reſtrictam, & ſingularem in habitu ſolùm, & non in actu. Cùm enim non attendat ad ſingularem, quæ eſt principium actionis, actio enim eſt ſingularium, contra ſcientiam: & cognitionem vniverſalem agit, nec intelligit ſingularia, ideóque peccat ex ignorantia, ſeu minùs attenta conſideratione minoris, & particularis propoſitionis, retentâ ſemper vniverſali. Sed hic modus videtur difficilis Patri Vaſques, quia difficile eſt, inquit, non conſiderare particularem propoſitionem, cùm quis aggreditur opus, niſi ignoret illud eſſe tale.

Nodum hunc ſolvit Ariſtoteles, dum ait circa quodlibet vniverſale id non ſemper contingere, ideóque diſtinguit duplex vniverſum, alterum in ſe ipſo, alterum in re. διαφέρει δὲ καὶ τὸ καθόλου. τὸ μὲν γὰρ ἐφ' ἑαυτοῦ, τὸ δ' ἐπὶ τοῦ πράγματός ἐστι:

per vniverſum in ſe ipſo intelligit vniverſalem propoſitionem, quæ eſt ita in ipſo homine, qui eam intelligit, & conſiderat, vt ſingularem hanc etiam norit, ego ſum homo, v. g. qui propoſitionem hanc generalem intelligit: *Omni prorſus homini agere juſta convenit*, ſingularem hanc quoque intelligat neceſſe eſt, *Ego ſum homo, & mihi agere juſta congruum eſt*, quia non poteſt ignorare ſe hominem eſſe. Vniverſum in re eſt, cujus ſingulare ſubjectum, & ipſius cognitio non eſt in ipſo homine, qui cognoſcit, ſed in re ipſa latet, vnde poteſt quiſpiam illud non noſſe, adeóque contra generalem ſcientiam agere, v.g. qui intelligit hanc propoſitionem: Omne ſiccum homini prodeſt, non continuò hanc novit, inquit Ariſtoteles, *hoc eſt ſiccum*. Item qui ſcit omnia honeſta peragenda eſſe homini, fugienda turpia, poteſt ignorare, an hoc ſit juſtum, an hæc voluptas ſit turpis, atque adeò honeſtum reſpuere, & turpem ſequi voluptatem, quod eſt agere contra cognitionem generalem, non contra ſingularem, quæ nulla tum eſt. Itaque cùm ait Philoſophus incontinentem ſcire, quod generale eſt; quod autem ſingulare, non noſſe, loquitur de vniverſali in re, non de vniverſali, quod ita ſit in ipſo ſciente, vt intelligi non poſſit, quin ſingulare quoque intelligatur. Scit igitur incontinens vniverſale quod eſt in re, at non intelligit vniverſale, quod eſt ἐφ' ἑαυτοῦ, & ita poteſt neſcius ſingularis agere.

3. Aliquando incontinens habet duas propoſitiones vniverſales, alteram rationis rectæ, quæ prohibeat omne dulce guſtare, v. g. alteram paſſionis, quæ dicat omne dulce eſſe delectabile, adeóque guſtandum, & ſub vtraque propoſitione aſſu-

mit hanc ſolam minorem, hoc eſt dulce, & ita paſſio concludit, non ratio: ergo hoc dulce mihi hîc, & nunc guſtandum eſt, ex quo ſequitur, vt incontinenter agat, quia concluſio ſingularis eſt principium operandi. Porrò minorem paſſionis ſubſumit incontinens ex dominante concupiſcentia, quæ rationem ligat, impedítque perfectum vſum ſcientiæ.

Denique quartum modum tradit his verbis Ariſtoteles, quo incontinens ab actione honeſta impeditur. *Cùm autem vltima propoſitio rei ſub ſenſum cadentis opinio ſit, & actuum domina; hanc incontinens aut non habet, dum eſt in perturbatione, aut ſic habet, vt in habendo non ſit ſcire, ſed dicere, perinde ac temulentus Empedoclis carmina profert.*

Adverte hîc ab Ariſtotele vltimam concluſionem ſyllogiſmi practici vocari dominam actuum, quia proximè movet ad opus. Patet autem ex mente Ariſtotelis incontinentem aut non habere vltimam concluſionem ob perturbationem inſurgentem, aut ita ad illam leviter attendere, vt illius conſideratio ſit veluti temulenti, qui recitat ſententias, quarum ſenſum imperfectè tantùm intelligit. Mentem ſuam clariùs explicat Philoſophus, lib. 7. cap. 10. οὐδὲ δὴ ὡς ὁ εἰδὼς καὶ θεωρῶν, ἀλλ' ὡς καθεύδων ἢ οἰνώμενος, καὶ ἑκὼν μέν. Τρόπον γάρ τινα εἰδώς, καὶ ὃ ποιεῖ, καὶ οὗ ἕνεκα. Neque igitur vt ſciens, & contemplans ſcit incontinens, ſed vt dormiens, & vinolentus: & ſponte quidem; ſcit enim quodammodo, & quod facit, & cujus cauſa: ergo incontinens ſcit aliquando circumſtantias, ſed non eas ſatis accuratè expendit, quæ à peccato retrahunt. Hunc modum aliis præfert Vaſques, diſp. 128.

Digitized by Google

quia reperitur tum in incontinente, tum in maligno. Peccat itaque incontinens, quia rationem jucundi in peccato efficaciùs, attentiúſque conſiderat, rationes autem, quæ à peccato avocare poſſent, leviter expendit; hinc fit vt bibaciſſimi homines inter bibendum dicant identidem moderatè eſſe potandum, nec tamen ideò à potando deſinant.

Ex hac doctrina Ariſtotelis ſequitur eum, qui furatur, v. g. facere ſyllogiſmum quatuor propoſitionibus conſtantem. Prima eſt, homini, quà rationali inhoneſtum eſt bonum alienum ſuffurari: Secunda, homini egenti bonum eſt ſuffurari bonum alienum: tertia, atqui ego ſum rationalis, & egens: quarta, hoc bonum eſt alienum. Vnde gemina concluſio duci poteſt. Prima, ergo mihi, quatenus ex ratione agenti hîc, & nunc inhoneſtum eſt ſuffurari bonum alienum: ſecunda, ergo mihi, quatenus egenti, bonum eſt ſuffurari bonum alienum; vt autem alterutram inferat, pendet ex attenta conſideratione geminæ iſtius vocis, mihi, & alieni. Ratio eſt quia bonum alienum, quà alienum diſſentit mihi ex ratione agenti, cùm tamen mihi congruat vt egenti: ſed quia homo peccans, prout hîc, & nunc affectus eſt, magis attendit ad egeſtatem ſuam, quàm ad bonum, vt alienum, ideò ſub majori vniverſali, homini egenti bonum eſt ſuffurari bonum alienum, concludit in gratiam paſſionis, aut ſi geminam concluſionem eliciat, vix attendit ad concluſionem rationis, temulenti, aut dormientis ad inſtar, ideóque non movetur ad opus ex ratione, ſed ex cupiditate.

Monet Ariſtoteles haud aliter inſcitiam incontinentis ſolvi, ac depelli, quàm ſolvatur ignorantia ebrii, aut dormientis; ſolvitur autem ebrii, aut

dormientis ignorantia per immutationem, quæ fit in corpore, nempe vaporibus, qui mentis intelligentiam caligine obducunt, diſſipatis, ac reſolutis: ita cupiditas quæ in incontinente dominatur, reprimi debet, quâ ſemel repreſsâ, ſcientiam turpitudinis recuperat, quæ nihil aliud eſt, quàm cognitio congrua, ſeu gratia illuminationis, vt obſervat Vaſques, quam D. Auguſtinus vocat ſcientiam certam, quâ quid hîc, & nunc agendum ſit, aut non agendum, certò indicat, vnde oritur victrix delectatio, quâ vincitur peccatum.

III. Assert. In peccante datur etiam ignorantia conſequens, quæ eſt effectus prioris peccati, & cauſa ſubſequentis. Probatur 1. peccatum præcedens privat gratiâ illuminante. Vnde ſequitur cœcitas in mente juxta illud Sap. cap. 2. text. 29. *excæcavit illos malitia.* 2. Per peccatum ſæpius iteratum habitus vitioſi contrahuntur in voluntate, qui cùm ſint quædam ſemina objectorum, voluntatem in eadem objecta inclinant, ipſiúſque adeò æquilibrium tollunt tum vi ſibi innatâ, tum cupiditate in parte inferiori auctâ, corroboratáque. Aliunde intellectus voluntati in judiciis ſuis lenocinatur, & provt eſt affecta, judicat; itáque circa propoſitionem particularem ſyllogiſmi rationis, immò aliquando circa propoſitionem vniverſalem, quæ legem continet, præſertim in depravatis hominibus, & nequam ſæpius errat, vnde ignorantia vtriuſque propoſitionis oritur, quod vbi contingit, tunc homo peccans corrigi non poteſt ex Philoſopho, quia nullum ſupereſt principium vnde emendetur.

Quæres hîc, quî fiat, vt intellectus voluntati in judicando faveat. Reſpondeo 1. id oriri ex ſym-

Digitized by Google

pathia, & conſenſu facultatum. Reſpondeo 2. id etiam oriri ex dependentia intellectus à voluntate, cujus quoddam eſt imperium ſaltem civile in intellectum. Res quippe de quibus judicat intellectus vel ſunt evidentes, vel contingentes, & obſcuræ. Porrò licèt in rebus evidenter propoſitis intellectus à voluntate non pendeat, vt hoc, vel illo modo judicet, quia veritati ſibi evidenter propoſitæ diſſentiri non poteſt; pendet tamen à voluntate vt acriùs juxtà, & diutiùs in partem notiorem incumbat, potéſtque indirectè ab illa avocari, & ad eam, quæ voluntati arridet magis ac lenocinatur, partem ſedulò expendendam traduci, quàm, vel vt voluntati blandiatur, diligentiùs diſcutit, conquirit rationum præſidia, quibus voluntati id licere, quod amat, evincat vtcumque, atque adeò id ipſum, quod evidens antea apparebat, elevet, & in dubium revocet. Aliunde in rebus contingentibus, dubiis, & obſcuris intellectum determinat voluntas. In dubiis quidem intellectum vtpote ſuſpenſum, & vacillantem determinat, ſicut judex, cùm cauſæ momenta vtrimque ſunt dubia, alterutri, vt collibitum eſt, cauſam adjudicat, quod in rebus facti ſæpiùs obvenit: in obſcuris autem, quia intellectus vnâ dumtaxat rei evidentiâ rapitur ad aſſenſum. Quare ſi voluntas malè affecta ſit, intellectum aliò ſæpe trahit, quàm quò veritas ipſa ducit, vt patet ex Pſalm. 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Vnde priùs ſanari debet affectus, quàm judicium, ſi ſanè judicare in ejuſmodi rebus velimus.

Patet ex dictis quomodo ambæ potentiæ ſe mutuò fallant, paulatímque errorem promoveant ſuum; voluntas quidem applicando intellectum

ad eam partem, in quam ipſa propendet; intellectus verò ejuſdem propenſioni in ſingulis ſtudendo. Sic enim intellectus quaſi corruptus judex auget difficultates, quibus pars, quæ voluntati minùs placet, oppugnetur, quæ ipſi contraria ſunt rationum momenta, expendit ſedulò; & quia rebus ita diſcuſſis ſubdubitare incipit, pronum eſt voluntati propter offuſam caliginem ex imperio ſive expreſſo, ſive tacito intellectum ad ſentiendum vt lubet, adigere. Denique intellectus ex aſſuetudine judicandi, crebríſque actibus eò denique adducitur, vt ita rem ſe habere ſibi certò perſuadeat. Vnde poſteà voluntas accenſa fertur ardentiùs in rem concupitam, cùm ſe jam jure agere præſumat.

Ab hac propenſione voluntatis excœcantur, qui vel quæ muneris, & partium ſuarum ſunt, addiſcere non curant; *nolunt enim intelligere, vt bene agant*, vel aliorum deſpiciunt monita, vel ſecum ipſi diſſimulant, cupiditati favendo, vel veritates ſpeculativas fidei, aut practicas morum apertè impugnant, vtpote in erroribus ſuis ex aſſuetudine judicandi obfirmati.

Articvlvs III.

De eſſentia libertatis.

Dvplicem quaſi libertatis partem eſſe diximus, alteram ex parte intellectus, nempe rationem perfectam: alteram ex parte voluntatis, nempe indifferentiam. Primæ neceſſitatem aſtruximus, dum judicium practicè practicum ad libertatem requiſivimus. Secunda ſupereſt exami-

Digitized by Google

nanda. Videndum itaque, an requiratur indifferentia ad libertatem: deinde quænam ſit illa indifferentia, an objectiva, an paſſiva, aut activa.

§. 1. *Prænotanda ad intelligentiam liberi.*

PRIMVM. Liberum ſumitur multis modis. Vniverſim idem ſonat ac non determinatum, ſeu non neceſſitatum; hinc liber Philoſopho dicitur, qui eſt ſui juris, & expers alienæ ſubjectionis. Quare totuplex eſt libertas, quotuplex determinatio, ſeu neceſſitas; & quia neceſſitas vel eſt ab extrinſeco principio, vt neceſſitas dependentiæ naturalis à Deo, aut legibus Principum, &c. vel ab intrinſeco, vt neceſſitas, aut determinatio lapidis ad motum deorſum, quæ dicitur naturalis; vel quaſi naturalis, vt determinatio ab habitibus bonis, aut malis; hinc

Secundum. Liberum aliud eſt à dependentia, quod idem eſt ac independens. Aliud ab obligatione legis, quod idem eſt ac immune. Sic nobilis dicitur liber à legibus vectigalium. Aliud ab impedimento, quod idem eſt ac non impeditum: ita quis dicitur liberè ſtudere, cùm ſtudet ſine impedimento. Aliud à coactione, quod idem eſt ac non coactum. Sic lapis dicitur deſcendere liberè, quia non deſcendit coactè. Sic pater æternus dicitur producere Spiritum ſanctum liberè, quia non producit coactè, ſed voluntariè. Aliud à ſimplici neceſſitate, quod eſt indifferens activè, id eſt, poteſt agere, vel non agere, quo ſenſu hîc à nobis ſumitur libertas arbitrii.

Tertium. Hinc quoque libertas apud Theologos multiplex, quia multiplex eſt vinculum. Alia

libertas naturæ, quæ convenit naturaliter naturæ intelligenti. Alia libertas à peccato, quæ dicitur libertas gratiæ, & per Chriſtum. Alia libertas à miſeria, quæ vocatur libertas gloriæ.

Quartum. Libertas naturæ duplex, altera à coactione, quâ voluntas ab omni violentia externa, ſive coactione immunis eſt, de qua jam antea: altera à neceſſitate, quæ ſimplicem neceſſitatem ſeu determinationem ad vnum excludit. Porrò determinatio ad vnum eſt ea, quâ voluntas ita ad vnam partem alligatur, vt ſe ad alteram convertere non poſſit. Sic clara Dei viſio ſimplicem neceſſitatem affert Beatis, quia ita ſponte amant Deum, vt tamen ament neceſſariò, nec poſſint non amare: libertas à neceſſitate dicitur libertas indifferentiæ, ſeu electionis.

Quintum. Libertas à neceſſitate duplex. Prima contrarietatis, ſeu ſpecificationis, quâ poteſt voluntas ex duobus actibus contrariis alterutrum elicere, v. g. amare, vel odiſſe: dicitur libertas ſpecificationis, quia eſt ad actus diverſæ ſpeciei. Secunda contradictionis, ſeu exercitii, quæ eſt poteſtas agendi, aut non agendi, ſeu poteſtas, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere, vel non agere, quare tria requirit. Primum, vt ponantur omnia prærequiſita, tum ex parte cauſæ primæ, nempe oblatio concurſus ad alterutram partem: tum ex parte cauſæ ſecundæ, nempe judicium practicè practicum vel formale, vel virtuale. Secundum, vt potentia ſit indifferens activè ad oppoſita, hoc eſt, ad ponendum actum, vel non ponendum. Tertium, vt ex pleno dominio, quod habet in actus, poſſit ſe determinare ad ponendum actum, vel non ponendum.

Digitized by Google

Sextum. Huic duplici indifferentiæ duplex neceſſitas opponitur. Prima ſpecificationis, quæ voluntatem ad vnam contrarietatis partem determinat, v. g. ad odium, vel amorem. Secunda exercitii, quæ voluntatem ad alterutram contradictionis partem determinat, v. g. ad amoris actum, vel ad non actum amoris.

Ianſenius mox traditam libertatis definitionem poſt Calvinum excludit à ſtatu naturæ lapſæ, obtrudítque planè oppoſitam. Quare ſit

§. 2. *Principia doctrinæ Ianſenianæ, & Catholicæ.*

HÆc ſtatuit Ianſenius. 1. Libertatem reponit in immunitate coactionis, & violentiæ, cujus proinde eſſentiam ex duabus partibus conſtituit, alterâ privativâ, quæ eſt negatio coactionis: alterâ poſitivâ, quæ eſt poteſtas actus.

2. Hanc poteſtatem vt ſtabiliat, ſupponit voluntatem nudam, vt talis eſt, non poſſe fieri potentem elicere actum, quia nuda voluntas numquam ſeparatur à nobis, nec tamen poſſumus amorem quemlibet in nobis excitare. Quare

3. Cauſam illius poteſtatis ex parte objecti repetit, quæ nihil aliud eſt, quàm illecebroſa quædam ex parte objecti congruentia, quâ potentiam prolectat, trahítque vehementiùs ad ſe, quàm oppoſitum juxta Auguſt. tract. 41. *Delectet te, & liber es: ibi enim ſumus veraciter liberi, vbi non delectamur inviti.*

4. Cauſa hujus dogmatis fuit, quòd putaret Ianſenius libertatem indifferentiæ per peccatum Adæ periiſſe. Audi ipſum tomo 3. lib. 7. cap. 10.

Cùm arbitrio in vtramque partem libero, ac flexibili conditus eſt Angelus, & primus homo. Deinde ſubdit. *Ex hac igitur ſpontanea creatura rationalis in vtramque partem liberrima diſcretione illa æquabilis libertatis indifferentia, velut bilancis æquilibrium periit.*

5. Hinc ponit duo principia bonorum, & malorum operum. Alterum neceſſitatis ad bonum, quod eſt gratia efficax, (nam ſufficientem vt monſtrum explodit) alterum neceſſitans ad malum, quod eſt concupiſcentia prædominans, & neceſſitans ad peccatum, dum abeſt gratia.

Ex quibus ſequitur ex mente ipſius. 1. Indifferentiam libertati accidentalem eſſe. 2. In ſtatu naturæ lapſæ abſolutam voluntati, & antecedentem neceſſitatem inferri, quia vel trahitur à gratia per ſe efficaci, vel à dominante concupiſcentia. 3. Libertatem primò, & per ſe eſſe circa finem, ſecundariò circa media, quia finis ſummè delectat, vt pote amabilis propter ſe. 4. In ſola charitate erga Deum poſitam eſſe perfectam libertatem hominis, ideóque ſolos Sanctos poſſidere libertatem boni, & mali, &c.

Huic doctrinæ opponitur Catholica, quæ docet. 1. Libertatem tam naturæ lapſæ, quàm integræ, eſſe poteſtatem agendi, & non agendi ex ratione.

2. Quidquid eſt in noſtra poteſtate, eſſe liberum, ſi poteſtas ſumitur vt eſt ἐξουσία, ſeu vtriuſque partis oppoſitæ poteſtas, non autem ſi ſumitur poteſtas pro natura, ſeu δυνάμει. Vnde

Sequitur primò indifferentiam activam eſſe eſſentialem libertati, ideóque non tantùm in Adamo fuiſſe, ſed etiam in ejus poſteris poſt peccatum

remanſiſſe tum ad actus naturales, tum ad ſupernaturales.

2. Libertatem eſſe tantùm circa media, non circa finem, quia poſita eſt in electione, & electio eſt tantùm de iis, quæ in deliberationem cadunt. At de fine non deliberatur.

3. Gratiam efficacem non afferre neceſſitatem antecedentem, quia violaret indifferentiam, quæ eſt radix meriti, & demeriti.

4. Libertatem, quæ eſt in charitate, non eſſe libertatem ſtrictè ſumptam, ſed eam dumtaxat, quæ eſt propria Sanctorum, & dicitur libertas gratiæ in hoc ſtatu, & gloriæ in altero.

§. 3. *Sententia Catholica aſtruitur.*

VNICA ASSERT. ESSENTIA libertatis humanæ poſita eſt in indifferentia agendi, vel non agendi, etiam poſt peccatum Adami, ſeu, quod idem eſt, non ſufficit ad liberum arbitrium libertas à coactione, ſed requiritur libertas à neceſſitate.

Prob. 1. argumento negativo, nempe ex refutatione ſententiæ Ianſenii. Sententia, quæ docet ſolam coactionem libertati repugnare, non ſimplicem neceſſitatem, eſt hæretica: ergo noſtra, quæ illi repugnat, eſt Catholica, adeóque tenenda.

Prob. antec. 1. Ex Bulla Innocentii X. contra Ianſenium lata, quam Alexander VII. confirmavit; præſules Galliæ Pariſiis congregati animis conſentientibus accéperunt, in qua quinque propoſitiones damnat hæreſeos, quarum hæc tertia eſt. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu natura lapſa non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſuffi-*

cit libertas à coactione. Huic propoſitioni hanc cenſuram ſubjungit Innocentius X. *Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Nec dicant Ianſenii aſſeclæ hanc propoſitionem, vt jacet in Bulla, apud Ianſenium non reperiri. Nam tom. 3. lib. 7. cap. 5. ſic ait: *Vt igitur diviſionis natura percipiatur, memoriâ repetendum eſt id, quod tam prolixè ex Auguſtino, Bernardo, cæteriſque tum Patribus, tum ſcholaſticis aſſeruimus, libertatem arbitrii generalem, & naturalem non eſſe aliam, niſi à neceſſitate, per quam eos ſolam coactionem intellexiſſe, demonſtravimus. Ex quo fit, vt apud eos liber actus idem ſit, qui non coactus, qui non fit, nobis nolentibus ſeu invitis, & qui hoc ipſo eſt in noſtra poteſtate*, &c. Quid hoc clarius? Rurſus tom. 3. libro 6. cap. 6. *Neceſſitas, quæ eſt voluntaria, quâ ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri, non repugnat libertati. Sola neceſſitas coactionis adimit libertatem, non neceſſitas ſimplex.* Hinc ſic arguo.

Qui dicit ſolam neceſſitatem coactionis libertati repugnare, idem prorsùs dicit, ac ille, qui dicit ſufficere ad libertatem quòd ſit libertas à coactione: atqui idipſum dicit Ianſenius: ergo, &c. 2. Qui dicit liberum actum eumdem eſſe, ac non coactum, idem dicit, ac ille, qui dicit ad actum liberum requiri tantùm immunitatem à coactione: atqui Ianſenius id affirmat, & quidem diſtinctiùs verboſiúſque, quàm ipſa propoſitio damnata ab Innoc. X. Ergo non potuit illa propoſitio tertia anathemate peti, quin Ianſenius eodem fulmine peteretur.

Prob. 2. Sententia Ianſenii eſt ſententia Calvini, Chamieri, Petri Molinæi. Ergo eſt hæretica. Prob. antec. 1. Authoritate Calvini, lib. 2. in Pighium. *Si coactioni*, inquit, *opponitur libertas, liberum eſſe*

Digitized by Google

arbitrium, *& fateor*, *& conſtanter aſſevero.* Chamierus inſignis Calviniſta, tomo 3. lib. 2. cap. 8. *Retineatur*, inquit, *ſanè non tantùm liberum arbitrium Latinorum*, *ſed etiam* τὸ αὐτεξούσιον *Græcorum*, *ne inutili* λογομαχίᾳ *tempus teramus*, *dum nihil aliud ſignificet*, (nempe libertatem à coactione.) Denique Petrus Molinæus in Clypeo fidei ad actum 9. *Non auferimus*, inquit, *ab hominibus libertatem voluntatis. Filii Dei volentes benè agunt, non coactè. Neceſſitas ad peccandum non repugnat libertati*, *ſed coactioni.*

Reſpondet Ianſenius ſe hac in parte hæreticis conſentire, ſed non ideo eſſe hæreticum, quia non ſunt hæretica omnia, quæ dixerunt hæretici.

Contrà. Illa doctrina eſt hæretica, quam tenent hæretici, & per quam à Catholicis diſſentiunt. Hæretici tenent libertati ſolam coactionem repugnare, & per hanc opinionem à Catholicis diſſentiunt: ergo hæc doctrina eſt hæretica. Prob. minor ex Scarpio qui lib. 2. cap. 1. & 2. ſic loquitur. *Status controverſiæ inter nos*, *& Papiſtas eſt*, *an ad liberum arbitrium conſtituendum requiratur libertas à neceſſitate ; an verò ſufficiat illa*, *quæ eſt à coactione. Papiſtæ negant*, *nos affirmamus.*

Confirm. 1. Hæretici dixerunt per præſcientiam divinam tolli liberum arbitrium. At nolebant tolli libertatem à coactione, ſed à neceſſitate, ſic argumentando. Quod ſubeſt præſcientiæ Dei neceſſariò fit, nec poteſt non fieri: ergo non eſt liberum.

2. Semper viſa eſt SS. PP. difficilis concordia libertatis cum Dei præſcientia ex Auguſt. de lib. arb. cap. 2. atqui facillima fuiſſet, ſi ſola coactio repugnaret libertati. Nam reſpondiſſent, licèt præſcientia rebus neceſſitatem ſimplicem imponat,

Digitized by Google

& voluntatem ad vnum determinet, non tamen ideò tollere libertatem, quia præſcientia non cogit, ſed tantùm neceſſitat. Contrà verò aliam rationem inierunt, conciliandæ Dei præſcientiæ cum libertate. Nempe quòd effectus liber, ſit cauſa præſcientiæ, aut quòd præſcientia ſupponat actum jam liberè poſitum. Vnde ſic arguo. In iis Patrum ſolutionibus nulla fit mentio coactionis, ſed determinationis ad vnum: ergo ſupponunt neceſſitate antecedente tolli liberum arbitrium.

Denique ideò SS. PP. Genethliacos refutabant, quia neceſſitas, quam inducebant ex aſtris perimebat liberum arbitrium At neceſſitas, quam inducebant ex aſtris Aſtrologi, non erat neceſſitas coactionis, ſed ſimplex, & ad vnum determinans. Nam volebant, v. g. eum, qui ſub Mercurio natus ſit, neceſſariò furari, quare hæc concluſio apud eos tam neceſſaria eſt, Petrus natus eſt ſub Mercurio: ergo furabitur; quàm iſta, Sol ortus eſt: ergo dies eſt. Quid quòd Monachi Adrumetini, qui per gratiam efficacem liberum arbitrium tolli volebant, non ideò damnati ſunt, quòd putarent tolli libertatem à coactione, ſed à neceſſitate? nam quod fit à gratia efficaci, non fit coactè, ſed voluntariè: ergo à pari jure damnatus eſt Ianſenius, quòd putarit per gratiam efficacem voluntatem neceſſariò ad vnum determinari.

§. 4. *Probatur authoritate Scripturæ, & Conciliorum.*

DVPLICEM locum ex Scriptura profero. Primus habetur, Geneſ. 4. verſ. 6. & 7. vbi Deus Caïnum à fratricidio jam mente concepto his

verbis revocat: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies?* Mercedem, nempe boni operis. *Sin autem malè: ſtatim in foribus peccatum tuum aderit*, pœna nempe peccato debita. *Sed ſub te erit appetitus ejus*, nimirum ad peccatum illicientis. Ex quo loco ſic arguo. In Caïno etiam poſt lapſum Adæ datur libertas tum contrarietatis, poteſt ſiquidem benè, vel malè agere, tum contradictionis, nempe dominium ſupra appetitum, cui obſequi, vel non obſequi poteſt; illius enim dominatur: ergo vtraque libertas indifferentiæ non periit per peccatum. Deinde cùm Deus quærit, *quare iratus ſit*, vtique indicat Caïnum potuiſſe, ſi voluiſſet, non iraſci. Denique ſi antecedentem habuiſſet peccandi neceſſitatem, appetitum ſub ſe non habuiſſet; ſed potiùs ſub appetitu premente, & dominante fuiſſet.

Secundus locus petitur ex Eccleſiaſtici 15. verſu 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi*; hinc ſic argumentor. Qui relictus eſt in manu conſilii ſui, haud dubiè habet poteſtatem vtriuſque partis, nam conſilium ex D. Thoma eſt inquiſitio habens viam ad oppoſita: & nemo de his rebus conſultat, quæ aliter ſe habere non poſſunt ex Philoſ. 6. Ethic. cap. 2. at homo relictus eſt in manu conſilii ſui: ergo, &c. Deinde quorſum dantur præcepta homini, ſi caret libertate, & antecedenti, atque ineluctabili neceſſitate

Digitized by Google

premitur: Quomodo poteſt porrigere manum ad quod voluerit, & quod ei placuerit, ſi ex electione non porrigat?

Reſpondet Ianſenius hunc locum de primo parente ante lapſum intelligi debere. Contrà 1. hæc eſt Calvini interpretatio, cui refragantur Concilii Tridentini interpretes. 2. licèt de primo parente intelligi locus ille poſſit, optimè quoque de ejus poſteris accipi poſſe verba illa indicant; *Si volueris, porrige manum*, &c. Vnde hunc locum adhibet D. Auguſtinus, lib. de grat. & libero arbitrio, contra Monachos Adrumetinos, vt liberum arbitrium etiam poſt lapſum Adæ in nobis non eſſe extinctum probet; poſtremò dum Moyſes, Deuter. 30. verſ. 19. populo Iſraëlitico Dei mandata proponit, & ad illorum obſervantiam his verbis exhortatur. *Teſtes invoco cœlum, & terram, quòd propoſuerim vobis hodie vitam, & mortem: benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu vivas, & ſemen tuum*, &c. alloquitur Adæ poſteros, qui tum præſentes aderant, & ad electionem boni præ malo impellit: ergo ſupponit in illis poteſtatem vtriuſque partis; Nam. *cùm electio*, ex D. Thoma, 1. 2. quæſt. 13. art. 2. *ſit præacceptio vnius reſpectu alterius: neceſſe eſt, quòd ſit reſpectu plurium, quæ eligi poſſunt. Et ideo in his, quæ ſunt penitus determinata ad vnum, electio locum non habet.*

Conſentiunt Scripturæ Concilia, quibus damnati ſunt Marcionitæ, Manichæi, aliíque fati propugnatores; maximè autem Concilium Tridentinum, cujus verba ſunt, ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti*

atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque paſſivè ſe habere, anathema ſit. Et Can. 5. ejuſdem Seſſionis. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re .... anathema ſit.*

Ex vtroque Canone duo habemus. Primum, non extinctum eſſe Adami peccato liberum arbitrium illud, quod extinctum jactabant Lutherani, & Calviniſtæ: at extinctum liberum arbitrium jactabant, vt eſt libertas à neceſſitate: ergo non eſt extinctum liberum arbitrium, vt eſt libertas à neceſſitate. Secundum, quod ſequitur ex primo, liberum arbitrium quod in nobis eſt, eſſe poteſtatem in vtramque partem ſolutam, & liberam, tum quia illam poteſtatem hæretici, adverſus quos hic Canon conditus eſt, in nobis eſſe negabant: tum quia per iſtas voces: *nec poſſe diſſentire, ſi velit*, libertas indifferentiæ à Concilio innuitur. Modus enim ille loquendi juxta ſenſum vſitatum ſignificat pendere à voluntate, ejúſque arbitrio, vt res ſit, vel non ſit; hinc Pater æternus non dicitur generare Filium vel producere cum illo Spiritum ſanctum, ſi vult, aut quia vult: nec volitio ſolet aſſignari pro cauſa ejus, quod aliunde habet internam, aut externam neceſſitatem, vt fiat. Quid agat Ianſenius, vt fulmen Concilii à ſe amoliatur? Non vnum ſuo more, ſed multiplex confingit effugium.

Primum eſt. Concilium, inquit, non loquitur ibi abſolutè, ſed hypotheticè tantùm, nempe ſi homo velit. Deinde hanc hypotheſim ſic explicat,

Digitized by Google

quaſi homo non poſſit abſolutè gratiæ excitanti diſſentire: ſed quia velle diſſentire gratiæ, & diſſentire ſunt idem; ſi vellet diſſentire, diſſentiret, ideóque bene dicitur poſſe diſſentire, ſi velit, id eſt, ſi diſſentiat: at quia non poteſt ſimpliciter id velle, propterea non poteſt diſſentire ſimpliciter.

Contrà 1. Hic Canon contra Lutherum, & Calvinum conditus eſt: ergo Concilium eo Canone id ipſum aſſerit, quod ambo negabant: at non negabant hominem poſſe diſſentire, ſi diſſentiat, ſed reipſa abſolutè poſſe diſſentire: ergo Concilium oppoſitum aſſerit, nempe voluntatem poſſe abſolutè, & ſimpliciter diſſentire.

2. Hæc explicatio ridiculam facit Concilii definitionem. Sic enim pari jure dici poſſet beatum quemlibet, immò & Deum, poſſe peccare ſi velint; lapidem poſſe peccare, ſi velit: quia ſi vellent peccare, peccarent: at quia non poſſunt velle, ideò non poſſunt peccare. Quæ omnia, quàm abſurda ſint, nemo non videt. Sequeretur enim Patres Tridentinos, vt optimè arguit R. Pater Stephanus Dechamps in aureo ſuo opere de hæreſi Ianſeniana, lib. 3. diſp. 2. de libero arbitrio, cap. 7. cùm definierunt homini liberum eſſe gratiæ diſſentire, idem prorſus feciſſe, ac ſi definiiſſent Patri æterno, & Filio liberum eſſe, Spiritum ſanctum non producere, quo nihil inſulſius. Ratio autem à priori, cur ejuſmodi propoſitiones pro falſis habeantur: *Deus peccare poteſt, ſi velit: Pater æternus cum Filio poteſt non producere Spiritum ſanctum, ſi velit*, hæc eſt, quòd ex vulgato loquendi modo dum dicimus de aliquo, *poteſt hoc, ſi velit*, ſupponimus poſſe illum id velle, ſeu ex eminentia dominii in actus ſuos, poſſe ipſum ſe ad volendum,

aut non volendum determinare. Si enim velle non poteſt, falsò dicitur, *poteſt, ſi velit*, ſed abſolutè dicendum, *non poteſt*. Itaque ſi conditionalis propoſitio in abſolutam veram mutari poteſt, reſpectu voluntatis, id argumento eſt voluntati ineſſe liberam agendi, vel non agendi poteſtatem: ſi in abſolutam, quæ falſa ſit, mutatur, arguit voluntatem non eſſe ſui juris, ſed vni addictam parti: at hæc propoſitio abſoluta, Deus peccare poteſt, eſt falſa: igitur & iſta, Deus peccare poteſt, ſi velit; è contra abſolutè dici debet: Deus peccare non poteſt, juxta hanc regulam, *quod non eſt poſſibile, niſi ſub conditione impoſſibili, abſolutè non eſt poſſibile*: adeóque nec in libera poteſtate, & fieri non poteſt vt Deus peccet, niſi poſita conditione impoſſibili; nimirum quòd velit peccare: ergo non eſt in libera Dei poteſtate peccare, atque ita hæc propoſitio *Deus poteſt peccare ſi velit*, falſa eſt, ſicut iſta, beatus poteſt ceſſare ab amando Deo, ſi velit, quia hæc vtraque falſa abſolutè: Deus poteſt peccare: beatus poteſt ceſſare ab amando Deo.

Dices, vtraque hæc propoſitio: Deus poteſt peccare, ſi velit: beatus poteſt ceſſare ab amore, ſi velit, eſt vera ſub conditione impoſſibili: ergo vtraque hæc abſoluta vera eſt: Deus poteſt peccare: beatus poteſt ceſſare ab amore Dei.

Reſp. diſt. conſequens, vera eſt, ſi ſolius conſequentiæ ordinem inferat, concedo: ſi ordinem principii, & cauſæ includat, nego: ſcilicet juxta doctrinam D. Thomæ quodlib. 5. quæſt. 2. art. 4. conjunctio, *ſi*, ejuſmodi propoſitionibus illigata, poteſt ſumi vel vt cauſalis, vel vt purè conditionalis. Vt cauſalis ordinem principii involvit: vt purè

conditionalis, ſolius conſequentiæ ordinem infert. Eſto hæc abſoluta deducta ex hac conditione impoſſibili, Deus poteſt peccare ſi velit: *ergo Deus poteſt peccare*, ſit vera, poſito impoſſibili, ex quo infertur, & in quo conjunctio, *ſi*, purè conditionalis eſt: at nihil hoc ſenſu ad liberæ poteſtatis rationem pertinet, quia numquam abſolutè vera eſt. Deus poteſt peccare, ſed ſemper falſa, quia in conditionali propoſitione conjunctio, *ſi*, nullum ordinem principii involvit, ſed meræ conſequentiæ. Audi D. Thomam, dum huic objectioni: *Si hac propoſitio eſt vera, Deus poteſt peccare, ſi vult: ſequitur quòd hac ſit vera, Deus poteſt peccare: ſed hoc eſt erroneum: ergo, & primum.* ita reſpondet: *Dicendum, quòd cùm dicitur, ſi homo vult currere, poteſt currere, antecedens eſt poſſibile, & ideò conſequens eſt ſimpliciter poſſibile. Sed cùm dicitur ſic: Si Deus vult peccare: antecedens eſt impoſſibile, unde nihil prohibet conditionalem eſſe veram, conſequente exiſtente impoſſibili.*

Secundum effugium eſt, ibi Concilium non agere de libertate indifferentiæ, ideóque voce *indifferentiæ* conſultò abſtinuiſſe. Sed ex antè dictis erroris ſatis arguitur hæc reſponſio, cùm conjunctio, *ſi*, rationem principii liberi importet, & veram indifferentiam, quid enim aliud eſt hominem *poſſe diſſentire, ſi velit: eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere*, quàm habere indifferentiam ad conſenſum, vel diſſenſum, ad bene, vel malè agendum?

Tertium eſt, Hominem, ſi velit, poſſe diſſentire gratiæ, non eo tempore, quo ei conſentit, ſed tempore ſubſequente conſenſum, quatenus poſt opus bonum, v. g. propoſitum ſe convertendi ad Deum

ex gratia conceptum, mutata voluntate homo reſilit à propoſito. Sed refellitur 1. ex mente Tridentini condentis hunc Canonem adverſus Lutherum, qui duo dicebat. Primum, liberum arbitrium non cooperari Deo vocanti, & excitanti, ſed tamquam inanimum quoddam recipere gratiam: ſecundum, liberum arbitrium imperioſa quadam, & ineluctabili neceſſitate Deum ſequi trahentem, nec poſſe ejus inſpirationi reſiſtere, tum cùm offertur: ergo Tridentinum duo definit, primum, liberum arbitrium agere, & coperari gratiæ: ſecundum, ſic agere, & cooperari; vt liberè, non neceſſariò aſſentiatur: ergo Tridentini Patres volunt hominem eodem tempore, quo gratiæ conſentit, eidem poſſe diſſentire, & loco conſenſus adhibere diſſenſum; alioqui nihil contra Lutherum definirent. Nemo enim negat hominem relicto bono propoſito, quod obſtetrice gratiâ concepit vno tempore, poſſe alio in malum flecti, atque ita priorem gratiam per peccatum ſubſequens deſerere.

§. 5. *Stabilitur authoritate Divi Auguſtini, & ſancti Thomæ.*

QVONIAM vnius S. Auguſtini, ac D. Thomæ præſidium Iprenſis quæſivit ambitioſiùs, juvat paucis vtriuſque authoritate libertatis indifferentiam aſtruere, atque adeò ipſum ex arce, quâ ſe tutatur, & munit, dejicere.

Hanc veritatem multis locis inculcat Auguſtinus. Lib. 2. contra Fauſtum, cap. 5. *Et nos quidem,* inquit, *ſub fato ſtellarum nullius hominis Geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene, vel malè vivitur, propter juſtum judicium Dei ab*

Digitized by Google

omni vinculo neceſſitatis vindicemus. & lib. 3. de libero arbitrio, cap. 1. *Nulla culpa*, inquit, *deprehendi poteſt, vbi natura, neceſſitáſque dominatur.* Libro de vera religione, cap. 14. *Si neceſſitate id feciſſet, nullo peccato teneretur.*

Ex quibus locis ſic argumentor. Auguſtinus negat voluntatem ex neceſſitate agere, ſive benè, ſive malè operetur; culpâ, & peccato teneri, quoties neceſſitate dominante agit: ergo voluntatem negat tum agere vel ex neceſſitate cogente, vel ex neceſſitate ad vnum determinante, vel ex vtraque: non ex neceſſitate cogente, aut ex vtraque ſimul. 1. Quia etiam homo ſub fato ſtellarum natus nullatenus ab aſtris cogitur, fatentibus etiam aſtronomis. 2. *Vbi natura, neceſſitáſque dominatur*, nulla eſt planè coactio; quia natura ſemper agit à principio intrinſeco, licèt ad vnum determinetur: ergo ſupereſt, vt neget Auguſtinus voluntatem agere ex neceſſitate ſimplici, & ad vnum determinante; ſive benè, ſive malè operetur: ergo quoties benè, vel malè operatur; culpâ, & peccato tenetur voluntas, toties agit ex indifferentia activa juxta principia Auguſtini.

Lib. de Spirit. & lit. cap. 34. Indifferentiam ad agendum, vel non agendum agnoſcit, dum ait: *Miſericordiam Dei in omnibus pravenire nos: ſed conſentire Dei vocationi, vel ab ea diſſentire, propria voluntatis eſſe.* Quid enim eſt *conſentire Dei vocationi, vel ab ea diſſentire poſſe*, quàm in noſtra ſitum eſſe voluntate Deo vocanti conſenſum dare, vel non dare: atque adeò liberè alterutrum facere? & lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2. *Quis noſtrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit,*

periit, ſed ea, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.

Vides hîc ex mente Auguſtini peccato primi parentis non periiſſe libertatem, quæ ipſi inerat: at inerat libertas indifferentiæ ex Ianſenio: ergo non periit libertas indifferentiæ, ſed libertas dumtaxat agendi honeſtè, facilis, & expedita, ad quam *natura humana indiget divinâ gratiâ.*

Denique quòd D. Auguſtinus indifferentiam activam libertatis in ſtatu naturæ admiſerit, perſuadent iſtæ conjecturæ.

Prima. Eodem planè modo loquitur de libertate hominis in ſtatu naturæ lapſæ, atque de libertate Adami in ſtatu naturæ integræ. Nam lib. de corrept. & grat. cap. 10. ait Adamum fuiſſe liberum, quia *habuit in ſua poteſtate non mori, & non miſerum fieri.* & lib. 1. operis imperfecti contra Iulianum de homine lapſo ſic loquitur. *Ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, peccare, & non peccare poteſt: ſed alterum horum non facit, niſi adjutus ab eo*, (id eſt, Chriſto, quo homo indiguit poſt lapſum) *qui dixit, ſine me nihil poteſtis facere; alterum verò propria voluntate*: atqui Adami libertas Ianſenio etiam fatente fuit à ſimplici neceſſitate immunis: ergo & libertas hominis lapſi, ſi Auguſtinum audimus.

Secunda. Libertatis, quæ eſt in homine lapſo, concordiam cum gratia efficaci difficilem intellectu teſtatur, lib. de gratia Chriſti contra Pelagium: at ſi ſola neceſſitas coactionis pugnaret cum gratia efficaci, facillima foret, & obvia cuilibet illa conciliatio, quia gratia efficax non tollit libertatem à coactione.

Tertia. Cùm agit contra Pelagianos, numquam

reprehendit definitionem libertatis, quam ipſi per indifferentiam ad vtrumlibet explicabant, ſed vult tantùm libertati gratiam adjungi ad bona opera patranda, quam neceſſariam eſſe nolebant. *Neque enim ideò voluntatis arbitrium tollitur, quia juvatur; ſed ideo juvatur, quia non tollitur*, inquit Auguſtinus, Epiſt. 99. ergo admittit libertatem in indifferentia poſitam.

Quarta. Licèt Auguſtinus ſæpius dixerit voluntatem divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter agi: Deo donante inviċtiſſimè, quod bonum eſt, velle, numquam tamen dixit neceſſariò, aut neceſſitate agi, aut non poſſe reſiſtere; immò conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſſe; conveniri quidem arbitrium: at velle, & nolle voluntatis eſſe; hominem libera voluntate facere, cùm amat, quod laudat, quia non ex neceſſitate, ſed quia placet. Audi ipſum in Pſal. 113. ad illud, *Omnia quæcumque voluit, fecit. Invenimus aliquid*, inquit, *quod liberâ voluntate faciamus? invenimus planè, cùm ipſum Deum amando laudamus; hoc enim libera voluntate facis, quando amas, quod laudas; non enim ex neceſſitate, ſed quia placet.*

Suffragatur Auguſtino D. Thomas in 2. diſtinct. 25. quæſt. 1. art. 5. ad primum. *Libertas à neceſſitate ſtatibus omnibus communis eſt*: ergo, ex D. Thoma, libertas à neceſſitate non vnius fuit ſtatus innocentiæ propria, vt garrit Ianſenius, 1. p. qu. 83. art. 3. *Proprium*, inquit, *liberi arbitrii eſt electio. Ex hoc enim liberi arbitrii eſſe dicimur, quòd poſſumus vnum recipere, alio recuſato; quod eſt eligere.* Porrò electio, vt habet 1. 2. qu. 13. art. 2. *neceſſariò eſt plurium, quæ eligi poſſunt: & ideo in iis, quæ ſunt penitus determinata ad vnum, electio locum non*

Digitized by Google

habet. Quæſt. 16. de malo, art. 5. ait *voluntatem Dei non ſic ferri ad vnum in ſuis effectibus, quin quantum eſt de ſe, poſſit ferri in aliud; Et ſecundùm hoc competere Deo libertatem arbitrii.*

Idem inculcat, 1. p. q. 19. art. 10. in corp. & q. 6. de malo, art. vnico, cujus titulus eſt, *vtrum homo habeat liberam electionem ſuorum actuum, aut ex neceſſitate eligat.* Eorum ſententiam, qui pugnant voluntatem hominis ex neceſſitate quidem moveri, non tamen cogi, hæreticam pronunciat. *Hæc autem opinio*, inquit, *eſt hæretica: tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe demeritorium, vel meritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, vt vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas philoſophiæ opiniones. quia non ſolùm contrariatur fidei; ſed ſubvertit omnia principia philoſophiæ moralis. Si enim non ſit aliquid liberum nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium.*

Hîc vides opinionem Iprenſis hæreſeos notari à ſancto Doctore. Rationem ſubjungit, nempe quòd meritum, aut demeritum non ſit, cùm quis *ſic ex neceſſitate agit, vt vitare non poſſit.* Poſtea eamdem vt Philoſophorum calculo damnatam proſcribit. Quâ ergo fronte audet Ianſeniana factio S. Doctorem in partes antiſtitis ſui pertrahere, & ſuæ opinioni patronum adſciſcere, quam hæreticam, & Philoſophorum cenſurâ infamem tam apertè pronuntiat?

Deniquè 1. p. qu. 19. art. 10. novum dogma labefactat, convellítque penitùs, vbi poſtquam quæſivit, *vtrum Deus habeat liberum arbitrium*, Re-

ſpondet in corpore articuli: *Dicendum, quòd liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſariò volumus, vel naturali inſtinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quòd volumus eſſe felices, ſed ad naturalem inſtinctum, vnde, & alia animalia, quæ naturali inſtinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cùm igitur Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia verò non ex neceſſitate, vt ſuprà oſtenſum eſt; reſpectu illorum, quæ non neceſſitate vult, liberum habet arbitrium*; hinc ſic arguo: ergo amor, quo Deus ſe ipſum amat, non eſt liberi arbitrii, vt falsò pugnat Ianſenius, quia liberum arbitrium habemus tantùm reſpectu eorum, quæ non neceſſariò volumus, & Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem vult.

Quid plura? vbicumque D. Thomas ex profeſſo de libertate agit, vt eſt liberum arbitrium, ſive reſpectu Dei, ſive reſpectu hominum, ſemper in indifferentia ſitam eſſe conſtantiſſimè defendit; nec vllum adverſarii ex iis locis argumentum repetunt, in quibus de libero arbitrio ex induſtria diſputat, ſed ex iis tantùm, in quibus obiter, & quaſi alia agendo de libertate agit, vt patebit ex ſolutione objectorum.

§. 3. *Confirmatur authoritate Ariſtotelis.*

TOTVS planè noſter eſt Ariſtoteles, ex cujus principiis libertas indifferentiæ probari poteſt tum à priori, tum à poſteriori.

A priori quidem, quia omne liberum eſt in noſtra poteſtate, etiam fatente Ianſenio poſt D. Auguſtinum: nullum neceſſarium eſt in noſtra pote-

Digitized by Google

ſtate ex Ariſtotele: ergo nullum neceſſarium eſt liberum ex Ariſtotele. Probat minorem Philoſophus, lib. 3. Ethic. cap. 5. ἐφ ἡμῖν καὶ ἡ ἀρετὴ ὁμοίως καὶ ἡ κακία. ἐν οἷς γὰρ ἐφ' ἡμῖν τὸ πράττειν, καὶ τὸ μὴ πράττειν, καὶ ἐν οἷς τὸ μὴ καὶ τὸ ναί. ὥστ' εἰ τὸ πράττειν καλὸν ὄν, ἐφ' ἡμῖν ἐστιν, καὶ τὸ μὴ πράττειν ἐφ' ἡμῖν ἔσται αἰσχρὸν ὄν. καὶ εἰ τὸ μὴ πράττειν καλὸν ὂν ἐφ' ἡμῖν, καὶ τὸ πράττειν αἰσχρὸν ὂν ἐφ' ἡμῖν. εἰ δ' ἐφ' ἡμῖν τὰ καλὰ πράττειν, καὶ τὰ αἰσχρά, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ μὴ πράττειν, ἐφ' ἡμῖν ἔσται τὸ ἐπιεικέσι, καὶ φαύλοις εἶναι. In noſtra poteſtate eſt virtus ſimiliter, & vitium; quas enim res agere in noſtra poteſtate eſt, eas etiam non agere eſt. Itaque ſi agere quod honeſtum ſit, in nobis eſt, etiam non agere in nobis erit, quod turpe ſit: & ſi non agere quod bonum ſit in nobis eſt, etiam agere quod turpe ſit in nobis eſt. Si verò in nobis eſt honeſta agere, & turpia, ſimiliter verò, & non agere, in nobis erit probos, & improbos eſſe. Ex hoc loco probatur minor. Illud tantùm eſt in noſtra poteſtate, quod poſſumus agere, & poſſumus non agere: nullum neceſſarium ita poſſumus agere, vt poſſimus non agere: ergo nullum neceſſarium eſt in noſtra poteſtate.

2. Eſſe liberi arbitrii, idem eſt ac eſſe liberæ electionis: omnis electio libera eſt ex deliberatione, ſeu conſultatione: conſultatio eſt de mediis ad finem; de iis quæ ſunt in noſtra poteſtate, & quorum incertus eſt euentus, non autem de iis, quæ neceſſitate, aut naturâ fiunt: omnis actus, qui verſatur circa ea, quæ ſunt in noſtra poteſtate, & quorum incertus eſt euentus, habet indifferentiam ſibi eſſentialem: ergo omnis actus liber habet indifferentiam ſibi eſſentialem.

Primam propoſitionem probat Philoſophus,

lib. 3. Ethic. c. 2. vbi agit de libero arbitrio ſub nomine electionis, quam ſic definit: ὅλως ἔοικεν ἡ προαίρεσις περὶ τὰ ἐφ' ἡμῖν εἶναι, omnino electio videtur eſſe de rebus quæ ſunt in noſtra poteſtate. Secundam ibi quoque aſtruit, cap. 3. βουλευτὸν δὲ, καὶ προαιρετὸν τὸ αὐτὸ, quod in deliberationem cadit, idem, & eligibile. & cap. 2. τὸ δ' ἑκούσιον οὐ πᾶν προαιρετὸν, ἀλλ' ἆρά γε τὸ προβεβουλευμένον. ἡ γὰρ προαίρεσις μετὰ λόγου, καὶ διανοίας: voluntarium autem non omne eligibile, ſed id, de quo antè deliberatum eſt; electio enim cum ratione, & deliberatione fit. Tertiam denique conficit, cap. 3. περὶ τῶν ἀϊδίων οὐδεὶς βουλεύεται . . . οὐδὲ περὶ τῶν ἐν κινήσει, ἀεὶ δὲ κατὰ ταὐτὰ γιγνομένων, εἴτε ἐξ ἀνάγκης, εἴτε φύσει. De rebus æternis nemo deliberat, ſed neque de iis, quæ in motu ſunt, cùm ſemper eodem modo fiant, ſive neceſſitate, ſive naturâ. Paulò pòſt, βουλόμεθα δὲ περὶ τῶν ἐφ' ἡμῖν πρακτῶν. deliberamus autem de rebus, quas agere noſtræ facultatis eſt. τὸ βουλεύεσθαι ἐν τοῖς ὡς ἐπὶ πολύ. ἀδήλοις δὲ πῶς ἀποβήσεται, καὶ ἐν οἷς ἀδιόριστοι: conſultatio verſatur in iis, quæ vt plurimùm fiunt; in incertis verò, quomodo ſint eventura, & in quibus, nihil eſt definiti, neque certò conſtitutum. βουλόμεθα δὲ οὐ περὶ τῶν τελῶν, ἀλλὰ περὶ τῶν πρὸς τὰ τέλη.

A poſteriori verò nullo negotio conficitur Ariſtotelem libertatem in indifferentia poſuiſſe. 1. quia cenſuit Deum mundum ab æterno condidiſſe, & quidem neceſſariò, non liberè, ſed tamen voluntariè: ergo mens Philoſophi fuit non eſſe idem agere liberè, & voluntariè, provt idem eſt voluntarium, ac non coactum. Deinde ſi libertatem in immunitate à coactione conſtitutam voluit, cur tantopere laboravit in concilianda Dei præſcientia cum hu-

Digitized by Google

mana libertate? id enim pronum cuilibet, obviúmque eſt, cùm præſcientia rationem voluntarii non tollat, quocumque ſenſu ſumatur.

Ex dictis vtroque paragrapho 5. & 6. juxta principia Philoſophi, Auguſtini, & D. Thomæ, poteſt haberi multiplex definitio libertatis: definiri enim poteſt per ordinem ad cognitionem, facultas agendi ex ratione perfecta, ſeu deliberatione: per ordinem ad objectum, poteſtas vtriuſque partis: per ordinem ad actum, facultas domina ſui actus, ſeu facultas ſui determinativa ex eminentia dominii, quod habet in ſuos actus. Porrò dominium duo includit, 1. potentiam completam ad oppoſita, 2. facultatem electivam hujus vel illius partis. Dominus enim ille dicitur, qui ex multis, quæ videt in ſua poteſtate eſſe, id facit, quod ſibi placet, & quod voluntariè eligit. Denique facultas à ſimplici neceſſitate immunis, tres primæ poſitivæ ſunt, quarta negativa.

§. 4. *Probatur Ratione.*

PRIMA ſit. In eo conſtituenda eſt eſſentia libertatis, per quod differt eſſentialiter voluntas vt libera à potentiis non liberis: per ſolam indifferentiam ad agendum, vel non agendum diſtinguitur eſſentialiter voluntas vt libera à potentiis non liberis, cujuſmodi ſunt potentiæ brutorum, puerorum, & amentium: ergo eſſentia libertatis conſtituenda eſt in indifferentia ad agendum, vel non agendum. Probatur minor. Voluntas vt libera non diſtinguitur à potentiis non liberis, quòd agat ſpontaneè, & voluntariè, bruta enim ſæpe operantur ſine reniſu appetitus: pueri, & amentes agunt

Digitized by Google

voluntariè, non coactè, quia habent voluntatem pro principio intrinſeco ſuæ operationis: ergo per ſolam indifferentiam ad agendum, vel non agendum voluntas vt libera diſtinguitur à potentiis non liberis.

Secunda. Voluntas ſi neceſſitatur in actibus, vel ex parte objecti, vel ex parte ſubjecti neceſſitatur: neutra ex parte neceſſitatur: non ex parte objecti, quia objectum, quod neceſſitat ad amorem, eſt purum bonum; quod neceſſitat ad odium, eſt purum malum: at nullum eſt ejuſmodi objectum in hac vita. Non ex parte ſubjecti, ſi quid enim neceſſitaret voluntatem, vel qualitas prædeterminans, vel concurſus Dei: non qualitas prædeterminans, quam lib. 2. Phyſic. nullam eſſe oſtendam: non concurſus Dei, qui eſt tantùm concomitans: ergo, &c.

Tertia. Vt proponatur. Nota actionem hominis, vt homo eſt, eſſe laudabilem, & præmio dignam, vel vituperabilem, & ſupplicio dignam. Ita S. Irenæus, lib. 4. adverſus hæreſes, cap. 9. *Homo*, inquit, *rationabilis, & ſecundùm hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt, vt aliquando frumentum, aliquando palea fiat. Quapropter juſtè condemnatur.* Et S. Iuſtinus Apolog. ad Antoninum Imp. *Neque*, inquit, *ille remuneratione, aut laude dignus eſſet, ſi per ſe ipſum bonum non eligeret.*

Ex hoc principio ſic argumentor. In eo eſt eſſentia libertatis, quod eſt principium meriti, & demeriti: ſola indifferentia activa eſt principium meriti, & demeriti: ergo in indifferentia activa, eſſentia libertatis poſita eſt. Major patet ex antedictis. Quare Prob. min. Vbi eſt meritum, & demeritum, datur actus quaſi pretium pro præmio ex D. Thoma;

quæſt. 19. de gratia Chriſti, art. 6. Et aliunde cælum venale eſt, emitúrque bonis actibus: atqui ſola poteſtas activè indifferens poteſt dare actum tamquam pretium pro præmio: ergo ſola poteſtas activè indifferens eſt principium meriti, aut demeriti. Prob. minor. Qui dat actum ſuum, vt pretium pro præmio, eſt dominus ſui actus, ex eodem D. Thoma: non poteſt eſſe dominus ſui actus, niſi habeat poteſtatem indifferentem ad vtrumlibet ex D. Thom. 1. parte, quæſt. 82. art. 1. *Domini ſumus*, inquit, *noſtrorum actuum, in quantum hoc, vel illud poſſumus eligere: electio autem non eſt de fine, ſed tantùm de iis, quæ ſunt ad finem, vnde appetitus vltimi finis, non eſt de iis, quorum domini ſumus.* Item contra Gentes, c. 68. *Dominium, quod habet volũtas in actus ſuos, per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem ad vnum.*

Confirmatur. Ex D. Hieronymo, lib. 2. contra Iovinianum. *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia trahimur; alioquin vbi neceſſitas, nec damnatio, nec corona eſt.*

Quarta. Illa opinio non eſt admittenda, quæ omnem vim conſiliis, minis, & exhortationibus adimit: opinio, quæ indifferentiam libertatis activam tollit, & ad vnum antecedenter determinat, eſt ejuſmodi: ergo, &c. Quorſum enim me exhorteris ad fugam peccati, à quo abſtinere non poſſim? Quorſum Deus ſub pœna damni agenda præcipiat, quæ in mea poteſtate non ſunt? Hæc omnia argumenta colligit D. Thomas, quæſt 6. de malo, art. vnico, locum conſule, §. 5.

Dices, Neceſſitatem illam eſſe pœnam peccati, quod in Adamo contraximus, ideóque non excuſare à peccato. Primò hæc reſponſio ipſiſſima eſt

Digitized by Google

Calvini, lib. 3. & 4. de libero arbitrio.

Secundò, fides docet peccatum nobis condonari per baptiſmum; non eſſet verè condonatum, ſi in illius pœnam neceſſariò peccaremus, perinde enim damnaremur propter illud, ac ſi non eſſet condonatum.

Tertiò. Non eſt infligenda nova pœna, vbi non eſt peccatum novum: At peccatum meum non eſt novum peccatum ex adverſariis, ſed idem cum peccato Adami: ergo nova pœna non eſt ipſi infligenda. Prob. min. Ad id peccatum, quod committo non habeo indifferentiam activam, ſed tantùm habui in Adamo: ergo non eſt novum peccatum.

Quartò. Si Deus damnat nos ob peccata, quæ vitare non poſſumus, quolibet tyranno crudelior eſt. Certè tyrannum herum jure dixeris eum, qui ſervum arctiſſimis conſtrictum vinculis, aut truncatum manibus, ac pedibus, etiam ob culpam, jubeat ſubinde ſub pœna mortis irrogata currere, aut prandium parare, cibos opiparè condire; menſas inſternere, aulæa intendere, præſertim ſi culpam condonaverit, propter quam aut in vincula conjectus, aut manibus pedibúſque truncatus ſit: atqui Deus non aliter ſe in homines gereret, dum juberet ſub pœna damnationis æternæ nos à peccato abſtinere, ſervare mandata, quæ nobis forent impoſſibilia, etiam poſt culpam condonatam.

§. 5. *Quæ indifferentia requiratur ad eſſentiam libertatis.*

TRIPLEX indifferentia cogitari poteſt, objectiva, paſſiva, & activa.

Objectiva ſe tenet ex parte intellectus, quâ per judicium voluntati repræſentatur objectum, vt bonum, aut malum: eligendum, aut non eligendum.

Paſſiva triplici ſenſu ſumi poteſt. 1. Pro capacitate ſubjecti ad recipiendam formam hanc, vel illam, ad quam ab extrinſeco neceſſariò determinetur, non ab intrinſeco, & per ſe. Talis eſt indifferentia paſſiva materiæ ad formas recipiendas. 2. Pro vi, quâ voluntas, poſitis duobus objectis, reſiſtat vni, non alteri, hac tamen ratione, vt objecta vim ſuam exerant; voluntas verò ſine vlla actione, permittendo ſe vni objecto, patiatur in ſe ejus actionem recipi, non actionem alterius, aut ſi vnicum ſit objectum, admittat ejus actionem, perinde ac ſi quis ab alio impulſus, vel reſiſtat impulſui, ſtando tantùm firmiter; vel cedat, recipiendo in ſe ejus motum. 3. ab aliis ſic ſumitur, vt dicant voluntatem agere mediatè, hoc eſt, mediante gratia in actibus ſupernaturalibus, non verò immediatè, ſicut in ſententia multorum anima rationalis non agit immediatè in actus vitales, ſed mediante potentiâ.

Activa denique eſt, per quam ſe voluntas determinat activè ex dominio in actum, vnde dicitur potentia agendi, vel non agendi.

I. Assert. Ad libertatem, indifferentia activa, quæ ſit poteſtas agendi, & non agendi, etiam immediata requiritur.

Prob. Ex dictis ad libertatem requiritur aliqua indifferentia: ergo vel objectiva, vel paſſiva purè, vel activa mediatè, vel activa immediatè. Non ſufficit objectiva, nec purè paſſiva, nec activa mediatè: ergo requiritur indifferentia immediatè activa.

Digitized by Google

Non objectiva, ſeu ex parte judicii. 1. Quia hæretici admiſerunt illam indifferentiam objectivam, & tamen damnati ſunt. 2. Si ſufficit indifferentia objectiva, licèt gratia neceſſariò rapiat voluntatem, vt volunt Ianſeniſtæ, non deſtruet libertatem, quia relinquit indifferentiam ex parte judicii. 3. Voluntati ſub indifferentia objectiva poſitæ poteſt Deus denegare concurſum ad omnem actum, quâ in hypotheſi voluntas non erit libera, quia concurſus Dei eſt vna è conditionibus prærequiſitis ad agendum: ergo indifferentia objectiva non ſufficit ad libertatem. 4. Deus ſtante indifferentiâ objectivâ præbeat concurſum tantùm ad vnam partem contradictionis, aut contrarietatis; aut qualitatem immittat neceſſariò prædeterminantem, tunc voluntas neceſſitabitur, non defectu indifferentiæ objectivæ: ergo defectu indifferentiæ formalis ex parte voluntatis: perinde enim ſe habebit homo ita prædeterminatus à Deo, ac ille qui geminam itineris viam apertis oculis videns, traheretur tamen in vnam partem, adeóque non diceretur liberè alteram viam relinquere.

Non purè paſſiva primo modo ſumpta, quia hæc opinio damnata eſt in Luthero, qui voluntatem cum gratia præveniente ſe habere, vt aliquid inanimum, & paſſivum volebat. Deinde materia prima eſſet libera. Porrò cauſa purè materialis non poteſt eſſe libera, quia cauſat libera cauſa quatenùs eſt in actu, continétque effectum in ſua virtute dominatrice, quæ dicit actum, non potentialitatem. Deinde de conceptu cauſæ liberæ eſt eligere: at eligere dicit actionem, non puram receptionem. 3. cauſa libera eſt ita indeterminata in actu primo, vt ipſa ſe determinet in actu ſecundo, quod non

convenit niſi cauſæ efficienti: cauſa autem purè paſſiva, ita eſt indeterminata, vt debeat determinari à virtute alterius.

Non paſſiva ſecundo modo, quâ nempe voluntas ſinat ſe duci ab objecto, & non reſiſtat vni objecto, dum reſiſtit alteri. Nam dum reſiſtit, vel aliquid agit, vel non. Si aliquid agit: ergo per indifferentiam activam agit. Si non agit: ergo tantùm patitur. Atqui hoc dici non poteſt, quia reſiſtit, ne patiatur ab vno objecto, dum ab altero patitur: ergo indifferentia illa ſimul activa eſt, & paſſiva. Deinde quæro per quid voluntas de indifferente ad reſiſtendum, & non reſiſtendum fiat actu reſiſtens. Debet enim afferri terminus realis illius mutationis contradictoriæ. Iam ille terminus vel eſt aliquid, per quod agit, vel per quod patitur. Si reſpondeas reſiſtere per ſolam entitatem: ergo neceſſariò reſiſtit, quia quod reſiſtit præcisè, quia eſt, neceſſariò reſiſtit. Denique cùm voluntas ſit indeterminata ad vtrumlibet, vel determinatur à principio intrinſeco, vel ab extrinſeco. Si ab intrinſeco: ergo à ſe ipſa: ergo agendo. Si ab extrinſeco: ergo non eſt libera, quia omne liberum eſt ſui determinativum.

Non activa mediatè. 1. Quia libertas debet habere dominium in ſuos actus. At dominium illud non poteſt eſſe à gratia, quæ ex natura ſua non modò non cohibet actum, ſed ad illum aliquatenus determinat, quia datur gratia propter actum: ergo illud dominium in actus eſt immediatè à voluntate. 2. de ratione actus vitalis eſt, vt à potentia vitali immediatè producatur, ſed gratia non eſt potentia vitalis; eſt enim ab extrinſeco: ergo actus, quà vitalis eſt, immediatè eſt à voluntate.

Digitized by Google

Nec dicas ſatis eſſe ad vitalitatem actus, quòd remotè producatur à potentia vitali. Nam contrà, principium remotum non ſe communicat effectui niſi per proximum: ergo vt vita communicetur effectui, debet priùs eſſe in principio immediato. At gratia, quam adverſarii volunt eſſe principium immediatum, non eſt capax vitæ: ergo actus vitalis debet immediatè oriri à potentia vitali.

Objicies 1. Efficacia actuum ſupernaturalium à Deo tota eſt: ergo voluntas nihil agit in actibus ſupernaturalibus. 2. Suſceptio actualis gratiæ eſt voluntati libera. 3. Pura omiſſio actus eſt libera, licèt ad eam non concurrat vis activa voluntatis.

Reſp. ad 1. diſt. Tota eſt à Deo totaliter, nego: à Deo ſimul, & libero arbitrio, concedo. Sic enim Deus agit, vt ſimul coagamus: tribuitur tamen præcipuè Deo honeſtas actionis Moralis, & meritum, quia prævenit gratiâ illuminationis, & adjuvat gratiâ operante.

Ad 2. diſt. Eſt libera voluntati objectivè, concedo: anima enim ſe diſponit per actus ſupernaturales ad gratiam: eſt libera elicitivè, nego. Nam gratia habitualis infunditur à Deo, non à voluntate elicitur.

Ad 3. Licèt voluntas non concurrat phyſicè activè ad actus ſuſpenſionem juxta multos, concurrit tamen moraliter, & interpretativè, quia dum poteſt, & tenetur actum elicere, nec tamen elicit, cenſetur velle ejuſdem carentiam.

II. Assert. Indifferentia contradictionis ſufficit ad libertatem. Prob. Nam vt quis ſit liber ad amandam virtutem, non opus eſt, vt virtutem poſſit odiſſe; ſed ſatis eſt, ſi poſſit ponere actum, vel non ponere. Et verò Deus habet liberta-

Digitized by Google

tem contradictionis, quâ poteſt agere, vel non agere.

Objicies. Liberum arbitrium eſt facultas, ſed nulla facultas eſt ad non agendum: ergo liberum arbitrium non eſt ad non agendum.

Reſp. nego min. Nam neceſſitas agendi ex limitatione appetitus ad bonum particulare orta, eſt quædam impotentia. Hinc Ariſtoteli impotens eſt iræ, vel cupiditatis, qui ſe ab ira cohibere non poteſt. Item neceſſitas cadendi in lapide non impedito, eſt quædam impotentia lapidis; quare ſi lapis ſe cohibere poſſet à caſu, vt homo, qui ſtat, aut ſedet pro libito, haberet vtique potentiam, quâ caret: ergo ad non agendum, ſeu ad cohibendum ſe ab actione, requiritur facultas aliqua.

§. 6. *Quæſtiones variæ de natura libertatis.*

PRIMA. Quandonam adſit indifferentia actiua agendi, vel non agendi. Reſp. Cùm adſunt omnia requiſita ex parte cauſæ, vt poſſit voluntas agere, aut non agere, nempe concurſus Dei paratus, entitas voluntatis, & judicium practicè practicum. Quamdiu enim aliquid deeſt ex prærequiſitis, tamdiu non eſt potentia agendi, aut non agendi proxima, vt patet ex definitione libertatis.

Itaque potentia agendi, & non agendi proxima, dicit in recto propriam entitatem voluntatis, & in obliquo omnia principia, à quibus pendet in cauſando, tamquam connotata, putà concurſum Dei, judicium practicum, & alia, quæ determinationem antecedunt. Quare licèt non mutetur in-

trinſeca entitas potentiæ liberæ, poteſt tamen mutari de potente in impotentem defectu connotati alicujus extrinſeci. Hinc potentia libera poteſt de libera mutari in neceſſariam per mutationem ſolius cognitionis, aut per defectum concurſus generalis indifferentis, quia vtrumque prærequirit, vt ſit proximè libera.

Secunda. Quomodo voluntas ſe ipſam moveat, & determinet ad actus liberos. Reſp. 1. Non requiri duos actus, quorum alter ſit imperans, & activè tantùm liber: alter verò imperatus, & formaliter liber.

Prob. Actus ille imperans vel fieret neceſſariò, vel liberè. Non primum, quia ſi primus ſit neceſſarius, ſecundus ex ejus imperio productus non erit liber. Non ſecundum: nam ſi liber ſit, ab altero itidem libero debet imperari, & ſic fiet proceſſus in infinitum. Quòd ſi velint adverſarii ad electionem prærequiri actum circa finem, non nego id quidem, quia electio mediorum fit ex amore finis; ideo enim voluntas applicat intellectum ad inquiſitionem mediorum, & iiſdem examinatis alterutrum eligit, quia amat finem. Et ita facilè explicabis D. Anſelmum, dum ait dialogo de lib. arb. *Omnis volens velle ſuum vult.* Ibi enim ſumit voluntatem pro libero arbitrio quatenus voluntas ex amore finis vult electionem mediorum. Sic Auguſtinum explicabis, cùm ait *in noſtra poteſtate eſſe, quod fit, cùm volumus, & quod fit, cùm nolumus,* id eſt, cùm volumus ipſum fieri. Niſi velis fortè Auguſtinum ibi loqui de effectu externo, qui dicitur eſſe in noſtra poteſtate, quia producitur ſtatim atque volumus.

Reſp. 2. Voluntatem hoc ipſo ſe determinare

liberè, quòd ſine vlla neceſſitate antecedente producit actus ſuos. Prob. Quia hoc ipſo, quòd voluntas nulla neceſſitate antecedente ad agendum inducitur, agit, quia vult. Nam quærenti, v. g. cur Petrus peccaverit, reſponderi poteſt, quia voluit, nulla enim fuit ratio antecedens cur voluerit: At ſecus ſe res habet in beatis, qui non amant, quia volunt, ſed quia vident, vtpote neceſſariò determinati ab illecebris infiniti objecti, ante omnem actum voluntatis ad Deum amandum. Quo ſenſu D. Iuſtinus, quæſt. 3. ad Græcos. *Si Deus facit quia eſt, neceſſariò facit; ſin facit, quia vult, liberè facit.* Itaque omnis actus liber priùs eſt virtualis volitio ſui ipſius, quàm volitio objecti. Ex Anſelmo, lib. de caſu diaboli, cap. 12. *Quidquid ſe movet ad volendum, priùs ſe vult ita movere*: atqui illud, *priùs ſe vult*, non ipſam volitionem objecti ſignificat, quia ſic volitio non eſſet libera; nec denotat actum antecedentem, quo velimus velle, aliter fieret proceſſus in infinitum: ergo tantùm virtualem illam volitionem ſignificat, quâ quilibet actus liber priùs ratione ſeipſum vult, quàm objectum; hinc explicabis Auguſtinum, cùm ait lib. 2. retract. *Sine vllo intervallo præſto eſt voluntas ipſa, cùm volumus.* Sed

Quoniam duplex eſt determinatio; altera activa, quâ voluntas creata aliquid potuit ex ſe: altera formalis, quâ actionem, ſeu volitionem in ſe recipit.

Reſp. 3. Voluntatem ſe determinare activè per entitatem ſuam, quia omnis potentia libera debet eſſe determinativa ſui, adeóque ſuam determinationem producere; determinari autem formaliter per volitionem in ſe receptam, ſi creata ſit. Prob. Poſita

actione voluntatis, & in eadem recepta, voluntas creata intelligitur formaliter determinata, & ante actionem non intelligitur: ergo per ipſam actionem formaliter determinatur. Prob. anteced. prima pars. Quia voluntas, actione ſemel poſitâ, non eſt ampliùs indifferens, vt ponat eam, vel non ponat: ergo eſt determinata formaliter poſitâ actione. Prob. 2. pars. Inter actionem, & ea, quæ ad agendum præerequiruntur, nihil eſt, per quod tollatur indifferentia: ergo nondum poſitâ actione voluntas manet indifferens; quare voluntas, ſi ſpectetur in illo priori, quo omnibus ad agendum præſidiis inſtructa, neutram adhuc in partem ſe determinare intelligitur, tunc dicitur habere dominium in ſuos actus; hinc patet, cur voluntas, vt eſt liberum arbitrium, dicatur à Cyrillo, lib. 3. & 8. in Iulianum volitionum ſuarum *habenas, clavum, gubernaculum tenere*, ab Auguſtino, lib. 3. de libero arbitrio, cap. 1. poſſe *huc atque illuc detorquere quemdam quaſi cardinem voluntatis ſuæ*: à D. Baſilio, homil. in Pſal. 61. ſtateræ comparetur: *Vnicuique noſtrûm*, inquit, *intus ineſt ſtatera quædam à conditore noſtro fabricata.*

Objicies. Actio libera voluntatis oritur à voluntate jam determinata: ergo per actionem liberam non determinatur formaliter voluntas.

Reſp. diſt. anteced. Oritur à voluntate jam determinata activè, concedo: jam determinata formaliter, nego. Non enim determinatur activè per actionem, ſed per ſuam entitatem, licèt determinetur formaliter per actionem.

Inſt. 1. Voluntas non poteſt fieri determinata activè ex non determinata ſine mutatione reali: ergo non determinatur activè per ſuam entitatem.

Reſp. diſt. ſine mutatione reali, quam inferat, concedo: quam in ſe admittat, nego. Nam agens vt agens non mutatur, ſed mutat.

Inſt. 2. Voluntas debet habere aliquid in illo inſtanti, quo intelligitur determinata activè, quod anteà non habebat. Reſp. nego anteced. Sed ſatis eſt, quòd ponat aliquid ex ſe, & mutet; Ponit autem actionem, & dum activè ſe determinat, producit determinationem formalem.

Inſt. 3. Dum ſe determinat activè, recipit in ſe actionem ſuam; agit enim immanenter: ergo mutatur intrinſecè. Reſp. diſt. anteced. Recipit in ſe actionem in eodem inſtanti rationis, quo agit, nego: per accidens, & velut conſequenter, ſeu in poſteriori rationis, concedo: & verò licèt actus voluntatis reciperetur in alio ſubjecto, verè adhuc voluntas ageret, & agendo ſe determinaret.

Inſt. Cauſa de non agente dum fit agens, mutatur intrinſecè. Reſp. nego. Sic voluntas de non agente liberè fit agens liberè poſito Dei concurſu indifferente, & judicio practico, quæ ſunt ipſi extrinſeca, & mutato rursùs judicio practico in aliam cognitionem, de agente liberè fit agens neceſſariò, v. g. idem actus voluntatis, qui ab homine ſui compote liberè producebatur, ab eodem in amentiam lapſo, ſi continuetur, neceſſariò elicitur.

Colliges libertatem creatam eſſe potentiam activam ſimul, & paſſivam; activam quidem, quatenus ſe determinat ad actum; paſſivam verò, quatenus actum in ſe recipit.

Tertia quæſtio. An voluntas ſit libera dum agit. Reſp. eſſe.

Prob. 1. Niſi eſſet libera eo inſtanti, quo agit,

numquam eſſet libera in actu ſecundo. Nam antequam operetur, eſt libera in actu primo: ergo ſi cùm operatur, neceſſariò operatur, numquam liberè operatur.

2. Quia aliter divina voluntas non eſſet libera: nam ab æterno ſe determinavit ad omnes volitiones liberas, quas jam habet, adeóque numquam fuit ſine actuali determinatione.

3. Si ad libertatem actus ſufficeret indifferentia libertatis, toto tempore antecedente operationem, vt docent Nominales, beati Deum amarent liberè, ſtatim à primo inſtanti ſuæ beatitudinis, quia toto tempore antecedente liberi fuerunt.

Objicies 1. Voluntas, dum actu operatur, determinata eſt: ergo non eſt libera.

Reſp. diſt. anteced. Conſequenter, concedo: antecedenter, nego. At ſola determinatio antecedens tollit libertatem.

Inſt. Omne, quod eſt, neceſſe eſt eſſe, quando eſt. Reſp. diſt. neceſſitate conſequenti, & hypothetica, concedo: antecedente, & abſoluta, nego.

Quarta quæſtio. An libertas ſit formaliter in potentia, an in actu. Reſp. Vtrique ineſſe libertatem formalem, ſed propriam, adeóque diverſam. Ratio eſt, quòd libertas formalis potentiæ in eo poſita ſit, quòd poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, aut non agere: libertas verò actus in eo ſit, quòd à potentia ſine vlla neceſſitate antecedente agente oriatur. Quare vtraque denominatio partim intrinſeca eſt, partim extrinſeca: denominatio quidem potentiæ, quia vt ſit in actu primo libera, præter entitatem requirit extrinſecus omnia ad agendum prærequiſita: denominatio

Digitized by Google

verò actus, quia vt dicatur liber, præter entitatem ſuam, dicit cauſam cum indifferentia agentem.

Articvlvs IV.

Diluuntur objecta.

CONGERIT vndique argumenta Ianſenius, quibus ruinoſum, & malè materiatum dogma ſuum de libertate fulciat vtcumque, & imperitis fucum faciat. Alia petit ex authoritate D. Auguſtini, & D. Thomæ: alia ex parte Dei, Chriſti, & Beatorum: nonnulla ex natura habitus, aliqua ex vi, & efficientia gratiæ efficacis; ſingulis ordine ſatisfacio, ſed juvat quoſdam canones ad intelligentiam doctrinæ tum Auguſtini, tum Doctoris Angelici antè præſcribere, quàm locis ex vtroque petitis occurram.

§. I. *Canones ad intelligentiam doctrinæ D. Auguſtini, & D. Thomæ præſcribuntur.*

I. DVM Auguſtinus pugnat contra hæreticos, tam longè ab eorum opinione diſcedere videtur, vt in aliorum, qui minùs ſanè ſentiunt, in ſpeciem propendere videatur; hinc cùm liberum arbitrium contra Manichæos defendit, ita pro illo pugnat, vt gratiam negare credas: vbi gratiæ neceſſitatem contra Pelagianos, & Semipelagianos aſtruit, tantùm ei tribuit, vt liberum arbitrium auferre videatur, vt obſervat Bellarminus; hinc multa cautione opus eſt in explicando Auguſtino.

II. *Conditionis* triplex ſignificatio. 1. idem eſt ac

vis interna, quâ voluntas invita prorſus ac reluctans ad volendum adigeretur; & ita cogi ſtrictè idem eſt ac vim pati internam. 2. idem eſt ac vis moralis, quæ efficit, vt id, quod agimus, licèt voluntarium ſit ſimpliciter, & liberum, tamen ſecundùm quid non ſit voluntarium. Sic mercator latroni in ſylva pecuniam dare dicitur coactè, & non liberè: morali ſcilicet libertate, quæ requiritur, vt actio laude digna ſit, quamvis ita det pecuniam vt poſſit non velle dare, ideóque ſit à ſimplici neceſſitate immunis. 3. coactio idem eſt aliquando, ac ſimplex neceſſitas libertati indifferentiæ oppoſita, quâ voluntas vni parti, ereptâ ſibi alterius partis poteſtate, addicitur. Secundo ſenſu ſumit D. Paulus, Corinth. 1. cap. 9. *Si volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Tertio ſenſu ſumit Auguſtinus, cùm lib. de duabus animabus, cap. 10. de primi hominis libera voluntate diſputans, eam docet fuiſſe *animi motum cogente nullo.* Item cùm de præſcientia diſputat, aítque homines juſtè puniri, quos Deus prævidet peccaturos, *quia Deus præſcientiâ ſuâ non cogit facienda, quæ futura ſunt*, lib. 3. de libero arbitrio, cap. 4. Denique D. Thomas hoc etiam ſenſu vſurpat, cùm liberum arbitrium ex eo definit, quæſt. 24. de verit. quod cogi non poteſt, id eſt, neceſſitari, aut cùm ait 3. Sentent. quæſt. 5. art. 2. liberum arbitrium non amittere libertatem, etiamſi determinetur ad vnum, quia in illud vnum non coactè, ſed ſponte tendit, id eſt, non neceſſariò, ſed ſponte perfecta, ſeu liberè. Nam ſit

III. Quod ſponte fit, coacto opponitur. Quare tot ſpontanei, quot coacti ſpecies. Prima eſt, quæ violentiæ opponitur, quo ſenſu omnis actus inter-

mus voluntatis ſponte fit, quia quoad actus elicitos vim internam pati non poteſt. Secunda morali coactioni reſpondet, quâ quis ſponte dicitur agere, cùm nulla vi extrinſecus admotâ, ſed nutu ſuo agit. Tertia ſimplicem neceſſitatem excludit, dicitur ſpontis perfecta ſive poteſtas vtriuſque partis. Hoc ſenſu vſurpat Auguſt. lib. de Natura boni, & mali cap. 42. dum ſic loquitur de Manichæis. *Dicunt etiam nonnullas animas, quas dicunt eſſe de ſubſtantia Dei, & eiuſdem omnino natura, qua non ſponte peccauerunt, ſed à gente tenebrarum,* &c. Ait enim ex Manichæis bonas animas non ſponte ponere, quòd ſimplici neceſſitate ad malè agendum determinentur.

Hac geminâ obſeruatione factâ ruunt omnia teſtimonia, quæ Ianſenius congerit, vt probet ſola coactione interna, quæ voluntatibus noſtris inferri non poteſt, liberum arbitrium peſſumdari, aut ſpontaneum id omne eſſe, quod exponitur violentiæ internæ; quia ibi Patres non de coactione primo ſenſu accepta, ſeu impoſſibili, ſed de coactione, quæ ſit vel violentia moralis, vel ſimplex neceſſitas, loquuntur, & ſpontaneum ſæpius pro libero accipiunt.

Sic explicabis D. Bernardum dum lib. de gratia, & libero arbitrio ſic liberum voluntatis conſenſum definit. *Eſt habitus animi liber ſui. Siquidem non cogitur, non extorquetur. Eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis.* Tum, paulò pòſt: *Conſenſus nutus eſt voluntatis ſpontaneus.* Ibi enim *non cogi* idem eſt ac non neceſſitari: *ſpontaneus* idem ac liber, ſeu ex perfecto dominio elicitus. Spontis quippe perfecta idem eſt ac liberum arbitrium, non autem ſpontis imperfecta.

IV. Liberè velle, aut agere non idem ſemper ſonat ac ex libero agere arbitrio, quia liberè velle aliquando ſignificat agere ſponte, libenter, & ex inclinatione voluntatis: agere autem ex libero arbitrio, eſt agere cum dominio ſui actus, ex perfecta electione, ex libera, ſuique juris poteſtate, quæ à Patribus Græcis αὐτεξούσιον, αὐτόνομον, αὐθαίρετον, ἀδέσποτον, ab Ariſtotele, τὸ ἐφ' ἡμῖν appellatur. Hinc duplex libertas, altera ſpontaneitatis, altera arbitrii: illa δύναμις, hæc ἐξουσία nuncupatur.

Ex hoc Canone facilè explicabis D. Thomam, dum q. 10. de potentia art. 2. ad 5. ait, *Voluntatem appetere liberè felicitatem, licèt neceſſariò appetat illam: Deum ſua voluntate liberè amare ſeipſum, licèt de neceſſitate amet ſeipſum: Liberè Spiritum Sanctum procedere à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate.* Ibi enim D. Thomas, ſumit libertatem pro ſpontaneitate, ſeu lubentia, rigidæ coactioni oppoſita, & ipſam à libero diſtinguit, quod eſt potentia in vtramque partem ſoluta, & expedita.

Quamquam duplex amor diſtingui poteſt, quo ſe ipſum Deus, & beatus Deum amat; alter amicitiæ, alter benevolentiæ. Per amorem amicitiæ Deus ſibi, & beatus Deo vult bona intrinſeca: per amorem benevolentiæ bona extrinſeca hæc, vel illa. Primus non eſt liber eâ libertate, quæ eſt immunitas à ſimplici neceſſitate, ſed eâ dumtaxat, quæ eſt immunitas à rigida coactione: at ſecundus liber eſt tum à coactione, tum à ſimplici neceſſitate; Sicut in damnatis odium inimicitiæ erga Deum non liberum eſt libertate indifferentiæ & arbitrii, ſed lubentiæ tantùm, & ſpon-

taneitatis; odium autem maleuolentiæ, quo Deo inhonorationem volunt, & procurant ab hominibus exhiberi, liberum eſt, libertate arbitrii.

v. Triplex diſtinguenda libertas ex Auguſtino, & Bernardo, prima electionis; ſecunda gratiæ; tertia gloriæ. Prima eſt vis à natura homini inſita, quâ pro nutu ſuo poteſt homo alterutrum eligere, ideóque dicitur libertas naturæ, & electionis. Secunda eſt facultas omnibus ad agendum præſidiis inſtructa, nec peccati jugo preſſa, dicitúrque libertas à peccato, ſeu à ſervitute dæmonis. Tertia eſt libertas, quæ nullis ampliùs impedimentis irretita concupiſcentiæ, aut peccati, promptè, & facilè actus ſuos exerit, nec poteſt ampliùs peccare.

De prima cum Manichæis, & Monachis Adrumetinis egit Auguſtinus, ejúſque indifferentiam conſtantiſſimè defendit. De ſecunda cum Pelagianis dimicavit, pugnavítque eam libertatem, quam in naturæ poſſibilitate conſtitutam volebant, nobis à natura non ineſſe, quia ſine gratiæ auxilio nullum bonum ſupernaturale efficere poſſumus. De tertia loquitur Auguſtinus, cùm ait, lib. 22. de Civit. Dei, cap. vltimo, ad eam perduci libertatem naturam, in qua peccare non poſſit: Sed *quia peccavit iſta natura, cùm peccare potuit, largiore gratiâ liberatur, vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit.* Periit per peccatum primi parentis facultas agendi honeſtè, quia periit gratia, & agendi quod rectum eſt facilè, & expeditè, quia natura viſco concupiſcentiæ hæſit implicita: at non periit poteſtas vtriuſque partis, quæ in hoc ſtatu etiam reperitur, teſte Auguſtino, lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2. *Quis noſtrum dicat, quòd primi*

hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit, ſed illa, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.

VI. Voluntas apud D. Auguſtinum, & D. Thomam ſumitur aliquando vel vt natura, vel vt voluntas, ſeu liberum arbitrium. Voluntas vt natura eſt ad vnum determinata: voluntas vt liberum arbitrium, nulli affixa parti; hinc omnis quidem volitio eſt voluntaria, quatenus eſt à voluntate, ſive vt natura eſt, ſive vt liberum arbitrium: at non ideò omnis volitio eſt libera ſtrictè, & propriè, quia aliqua volitio oriri poteſt, & reipſa oritur ſæpe à voluntate, vt eſt natura, adeóque ad vnum determinata. Porrò quòd voluntas apud Auguſtinum ſumatur aliquando pro libero arbitrio, adeóque non omnes omnino motus voluntatis ſignificet, patet ex libris adverſus Manichæos. Præſertim lib. de duabus animabus, cap. 12. *Quamobrem*, inquit, *illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ, non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent: ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.*

Vides ex Auguſtino eâ voluntate non agere, quæ naturali neceſſitate agunt, adeóque ibi voluntatem ſumi pro facultate indifferente, ſeu poteſtate, quæ ſit ἐξουσία; hinc ruit principium, quod Ianſenius tanto conatu aſtruere nititur ex Auguſtino: omnis voluntas eſt in noſtra poteſtate: omnis volitio ex Auguſt. eſt voluntas: ergo omnis volitio eſt in noſtra poteſtate. Falſiſſima enim minor eſt, volitionem eam, quæ naturali neceſſitate ſit expreſſa, eſſe voluntatem, quæ ſit in noſtra poteſtate, quæ dicitur ἐξουσία.

Denique explicabis D. Thomam, dum ait Spiritum ſanctum voluntate procedere; ibi enim ſumit voluntatem, in ampliori ſignificatione, vt eſt natura, & complectitur volitiones naturali neceſſitate expreſſas: non in arctiori alia, vt eſt voluntas ad vtrumlibet indifferens, & complectitur volitiones ex dominio libero elicitas, ſeu à voluntate *in vtramque partem momenta ſua habente expreſſas*, vt loquitur D. Athanaſius Orat. 4. contrà Arrianos, vbi negat Deum eſſe bonum voluntate, quòd aliàs fieri poſſet, vt non eſſet bonus, quia *eligere in vtramque partem momenta ſua habet.*

VII. Triplex neceſſitas antecedens, concomitans, conſequens. Antecedens vel Phyſica, vel Moralis. Phyſica antecedens triplex: vel enim oritur ex violentia interna, & dicitur coactio; vel ex ignorantia invincibili: vel ex determinatione antecedente ad vnam partem contrarietatis; ita tamen vt relinquat vtramque partem contradictionis, vel ad vnam etiam partem contradictionis determinet, licèt voluntas feratur ſponte.

Quælibet ex his neceſſitatibus tollit libertatem: prima quidem, quæ coactio dicitur, quia qui vim internam patitur, non tam agit, quàm agitur, & quidem contra inclinationem. Secunda, quia tollit cognitionem circumſtantiarum actionis, adeóque poteſtatem agendi. Tertia, cùm determinat ad vnam contrarietatis partem tantùm, tollit libertatem contrarietatis ad bonum, aut malum, ſed relinquit libertatem contradictionis, ſeu exercitii, cujuſmodi eſt libertas in Deo: Cùm autem ad vnam contradictionis partem determinat, perimit libertatem exercitii, quia ſic ad vnam alligat partem, vt alterius adſciſcendæ adimat facultatem.

Digitized by Google

Neceſſitas Moralis, licèt antecedens, non officit libertati. Ratio eſt, quia oritur à cauſam ovente libertatem, vt eſt liberum arbitrium.

Neceſſitas concomitans ſtat quoque cum plena libertatis indifferentia, quia ſe habet per accidens ad id, quod fit, cujus nec cauſa eſt, nec effectus; hinc concurſus Dei ſimultaneus aut habitus coagens cum voluntate nihil illius libertati obeſt. Certè nec præcurrit Deus, nec pòſt currit, ſed concurrit.

Neceſſitas conſequens non nocet quoque libero arbitrio, quia eſt voluntate liberè ſuſceptâ poſterior, & liberum facultatis exercitium conſequitur. Quare præſcientia Dei ſtat optimè cum libertate, ſicut gratia efficax, quia non antecedentem ſed conſequentem dumtaxat afferunt neceſſitatem. Vnde D. Thomas, quæſt. 24. de verit. art. 1. ad argumentum, quo hæretici neceſſitatem ex Dei præſcientia imponi volebant, ſic reſpondet: *Dicendum, quòd ex præſcientia Dei non poteſt concludi, quòd actus noſtri ſint neceſſarii neceſſitate abſoluta, quæ dicitur neceſſitas conſequentis: ſed neceſſitate conditionata, quæ dicitur neceſſitas conſequentiæ.* Et ſanè neceſſitas conſequens non reſtringit libertatem circa proprium objectum, vltra quod non extenditur, ſed tantùm circa impoſſibile, ad quod non extenditur; eſt enim impoſſibile, vt non velit, cùm vult, quia eſt impoſſibile velle ſimul, & non velle.

Deniquè neceſſitas peccandi aliquando apud Auguſtinum eſt ſecundùm habitum, quâ fit vt, velit, nolit homo, legem concupiſcentiæ in ſe habeat; aliquando ſecundùm actum, cùm agimus quidem liberè, ſed non ſine magna difficultate: hinc dura peccandi neceſſitas ab Adamo ad poſteros transfuſa, partim phyſica eſt, quia nos etiam reluctantes

notibus indeliberatis ſubmittit, quæ ſunt peccata materialiter; partim Moralis, quia magnam affert difficultatem non conſentiendi peccato, ideóque illam neceſſitatem comparat malæ conſuetudini.

VIII. Apud Auguſtinum ſæpe peccatum diſtinguitur à culpa; peccatum enim eſt omnis actio, quæ defectum habet ſive liberum, & culpabilem, ſive neceſſarium, & inculpabilem. Ita concupiſcentiam vocat peccatum, non quòd ſit peccatum formaliter, ſeu culpa, ſed materialiter tantùm, quia eſt effectus peccati originalis, aut impellit ad peccatum juxta phraſim Auguſtini, lib. 1. de nuptiis, cap. 23. vbi ait concupiſcentiam vocari peccatum, *quia peccato facta eſt, cùm jam in regeneratis non ſit ipſa peccatum, ſicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua. itemque ſic vocatur peccatum, quia peccatum ſi vincit, facit: ſicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, ſed quòd pigros faciat*: Culpa verò eſt actio difformis legi, & liberè volita, ideóque formaliter peccatum; hinc habere peccatum non idem eſt apud Auguſtinum, ac facere peccatum. Nam habere peccatum, eſt habere defectum Moralem, vel actionis malæ principium, v. g. habitum, vel concupiſcentiam: at facere peccatum eſt agere ex illo habitu, aut concupiſcentia inſtigante. Item aliud peccatum purè, aliud peccatum ſimul, & pœna, vt jam explicui appendice de ignorantia invincibili. §. ſecundo, obſervatione ſecunda.

IX. Huic D. Auguſtini pronunciato: *Voluntas fit cùm volumus*: *illud eſt in noſtra poteſtate, quod fit cùm volumus*: multiplex ſenſus ſubeſſe poteſt. Primus. *Voluntas fit cùm volumus*, nempe cùm volumus aliquid, ita vt τὸ volumus habeat non volitionem ipſam pro objecto, ſed aliquid aliud. Sicut

dicimus, viſio fit, cùm videmus, nempe objectum externum, non ipſam viſionem. Secundus, voluntas fit, cùm volumus illam fieri, ſeu cùm volumus velle. Primo ſenſu non accipit Auguſtinus, ſed ſecundo, aliàs liberæ nolitiones, non eſſent in noſtra poteſtate, quia non fiunt primo illo ſenſu, ſed potiùs cùm nolumus.

Iterum, *voluntas fit, cùm volumus velle*, geminam interpretationem patitur. Primò volumus velle aliquando conſequenter, & reflexè, cùm actu reflexo amorem noſtrum probamus. Secundò volumus velle antecedenter, aut quaſi antecedenter, cùm ideo volumus, quia volumus velle. Primo ſenſu non ſunt accipienda Auguſtini verba, quia actus ille reflexus eſt poſterior actione libera. Deinde ex Auguſtino, lib. de ſpir. & lit. cap. 31. *nihil tam in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas: ea enim prorſus nullo intervallo, mox, vt volumus, præſto eſt.* Poſtrema verba ſatis indicant illud, *cùm volumus*, non fieri per actum reflexum, ſeu conſequentem, ſed liberam voluntatem, ſe habere, quaſi antecedenter, quæ ideo in noſtra poteſtate ſita eſſe dicitur, quòd noſtro quaſi imperio evocata, continuò præſto ſit.

Denique duplici ſenſu volitio libera poteſt intelligi fieri, cùm antecedenter, aut quaſi antecedenter illam fieri volumus. Primò, cum actu diſtincto, & expreſſo, eóque antecedente illam imperamus. Secundò, cum voluntas ſe per ſe ipſam determinat ad volendum, & ſibi nutu quodam virtuali imperat, vt velit. Vtroque porrò ſenſu voluntas, ſeu volitio elicita eſt libera. Primo quidem, cùm volitio per anteriorem volitionem imperata, vt è potentia exeat, vel prematur, exit

continuò, vel premitur, non quòd imperium illud expreſſum ſit cauſa formalis liberæ volitionis, ſed quòd certum ſit illius indicium; hinc duæ iſtæ propoſitiones differunt: voluntas libera eſt in noſtra poteſtate, quia cùm per voluntatem antecedentem illam imperamus, continuò fit: voluntas libera eſt in poteſtate, quia quando fit per voluntatem antecedentem imperatur; prima enim vera eſt, ſecunda falſa, quia volitio ex imperio alterius ſic elicita, non eſſet libera, niſi ratione illius, à qua imperatur. Secundo ſenſu ideo voluntas eſt libera, quia eſt ab omni neceſſitate expedita quædam voluntatis determinatio, quâ ſe ad volendum ita applicat pro ſuo nutu, vt poſſit non applicare: vnde illa determinatio eſt virtualis quidam nutus, & interpretativa volitio, quâ voluntas ita vult velle, vt quærenti cur velit, aliud reſponderi non poſſit, niſi *quia vult*, cùm ſuperior ratio planè nulla ſit, quâ fiat vt velit.

Secus omnino evenit in volitionibus neceſſitate expreſſis, in quibus ratio adæquata cur fiant; eſt ipſa neceſſitas antecedens. Sic beati non amant Deum, quia volunt, ſed quia clarè, & intuitivè vident: Pater, & Filius non producunt Spiritum ſanctum, quia volunt, ſed quia ſunt.

Porrò determinatio, & nutus ille, quo voluntas ad volendum inclinatur, cùm accedit voluntati in actu primo poſitæ, tum dicitur voluntas liberè volitionem ſuam velle, quia illam elicit, quando vult ipſam fieri: non expreſſo quidem actu, ſed virtuali dumtaxat. Nam omnis volitio libera eſt ſui ipſius volitio, vt jam obſervavi §. ſeptimo. Rurſus nutus ille vel comparatur ad volitionem, quam præ non- volitione infert, & ſic electio quædam eſt; vel

cum ipſa voluntate, quam ad vtrumlibet indifferentem ad vnam partem contrahit, & ſic determinatio voluntatis dicitur: vel cum volitione, quæ continuo ad hunc nutum præſto eſt, & ſic eſt imperium quoddam, ídque efficax, & perfectum à D. Thoma, 1. 2. quæſt.17. art. 5. ad 1. appellatur. *Animus*, inquit, *quando perfectè ſibi imperat vt velit, tunc jam vult.* imperio nempe nonnumquam expreſſo, & formali, ſæpius tamen implicito, & virtuali. Ita P. Stephanus Dechamps, lib. 3. de hæreſi Ianſeniana, diſp. 2. de libert. cap. 5. & 6. vbi hæc ſubtiliter, ſuo more, evolvit.

§. 2. *Diluuntur objecta ex S. Auguſtino, & D. Thoma petita.*

OBIICIES 1. ex Aug. Ep.107. ad Vitalem. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.* & in Enchir. cap. 3. *Libero arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit, & ipſum.*

Reſp. diſt. Liberum arbitrium perdidimus ſecundùm perfectionem eſſentialem, & vires naturales, nego: ſecundùm expeditam rationem benè agendi, & peccati vitandi poſſibilitatem, concedo. Duo quippe ſpectanda in libero arbitrio, perfectio eſſentialis, quæ eſt poteſtas agendi, vel non agendi: & perfectio accidentalis, quæ eſt poteſtas expedita bene agendi ſupernaturaliter. Primam peccato Adami non amiſimus, quia remanſit in nobis principium electionis liberæ: at ſecundâ excidimus, quia voluntas per peccatum remanſit infirma, & viſco concupiſcentiæ implicata; & aliunde amiſit gratiam. At peccatum vitare non poteſt, niſi gratiâ medicinali ſanetur, juvetúrque; quod

Digitized by Google

ıegabat Pelagius ; hinc Auguſtinus : *Neque nim , inquit , voluntatis arbitrium ideo tollitur , uia juvatur. Sed ideo juvatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit , adjutor meus eſto , confitetur e velle implere quod juſſit , ſed ab eo , qui juſſit , ad. utorium poſcere , vt poſſit.* Rem illuſtrat ſimilitu- line oculi, lib. de natura, & gratia, cap. 26. Oculus ıon poteſt videre, niſi lumine adjutus; ſic libertas, iſi corroboretur gratiâ , non poteſt agere, nempe ıpernaturaliter.

Inſt. 1. ex Concilio Arauſicano II. Canone 13. *Irbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, iſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari: quod miſſum , niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. 'nde veritas ipſa dicit : ſi vos filius liberaverit, tunc 'erè liberi eritis* : ergo ex Concilio Arauſicano II. berum arbitrium amiſſum eſt per peccatum.

Reſp. diſt. Amiſſum eſt per peccatum quoad eſ- :ntiam , & perfectiones naturales , nego : quoad ccidentales , & ſupernaturales , concedo. Triplex uippe gradus libertatis, primus agendi ex ratione, ·cundus , agendi quod rectum eſt , tertius agendi :ctum delectabiliter : In primo eſt eſſentia liber- ıtis , quæ non periit per peccatum : in ſecundo, & rtio perfectio accidentalis , quæ periit per pecca- ım primi hominis. Verbo dicam , non periit po- ſtas agendi bonum moraliter , quia eſt ipſa vo- ntas indifferens. At periit poteſtas agendi bo- ım ſupernaturale, & divinum, quæ eſt gratia ſan- ificans cum aliis virtutibus infuſis , & gratia :tualis. Chriſtus autem hanc ſecundam poteſta- m reſtituit , & tenebras intellectus gratiâ illu- inationis diſpellendo , & voluntatis imbecillita- m gratiâ inſpirationis corroborando. Conſu le

Digitized by Google

Canonem 5. ſuperioris paragraphi.

Inſt. 2. Poſſibilitas naturalis eſt poteſtas benè vivendi: Sed illa poteſtas amiſſa eſt, ex Cæleſtino Papa.

Reſp. diſt. min. Poſſibilitas amiſſa eſt naturalis, id eſt, juſtitia originalis, concedo, id eſt, libertas electionis, nego. Vel ſi voles. Poteſtas benè agendi ſupernaturaliter amiſſa eſt, concedo: naturaliter, & moraliter, nego.

Inſt. 3. Vocat Cæleſtinus illam poſſibilitatem naturalem. At juſtitia originalis non eſt naturalis: ergo per eam non intelligit juſtitiam originalem.

Reſp. diſt. maj. Vocat naturalem, quaſi naturæ debeatur, nego: quod Adæ à nativitate conceſſa ſit, concedo. Vnde dicitur hîc naturalis à naſcendo, non à natura. Talis autem fuit juſtitia originalis, quia Adamo naſcenti fuit indita.

Inſt. ex Arauſicano. Per illam poſſibilitatem nihil poteſt homo operari præter peccatum.

Reſp. diſt. Nihil ſupernaturale, & divinum, concedo: humanum, & morale, nego. Aut diſt. niſi à gratia juvetur, tranſeat: ſi juvetur à gratia, nego.

Objicies 2. ex Auguſt. *Per peccatum Adami liberum arbitrium factum eſt peccati ſervum, & captivum*: ergo non eſt liberum.

Reſp. diſt. conſeq. Non eſt liberum libertate juſtitiæ, concedo: libertate electionis, nego. Nam licèt peccator, quamdiu eſt ſub peccato, liber ſit à juſtitia, & ſervus peccati, tamen ſub illa ſervitute ſervat ſemper libertatem lubentiæ, & indifferentiæ. Lucem huic loco affundit Canon 5. Conſule.

Inſt. 1. Gratia liberans confert arbitrio libertatem ad bonum, ex Auguſtino libro de Spiritu, & littera, cap. 30.

Digitized by Google

Reſp. diſt. Confert libertatem ad bonum, id eſt, à peccati ſervitute, ſeu accidentalem, concedo: libertatem electionis, ſeu eſſentialem, nego. Nam eò loci agit Auguſtinus de libertate accidentali. At quomodo gratia voluntatem liberat à peccato? Reſp. duplici ratione. 1. transferendo hominem de ſtatu captivitatis diaboli, & peccati ad ſtatum filiorum Dei per infuſionem gratiæ ſanctificantis. 2. Iuvando per gratiam actualem, tum ad ſuperandas tentationes, tum ad rectè agendum. Vtrumque modum bellè explicat Auguſt. lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum. *Alia eſt remiſſio peccatorum in iis, quæ malè facta ſunt. Alia charitas, quæ facit liberum ad facienda, quæ benè facienda ſunt. Vtroque modo liberat Chriſtus, quia iniquitatem ignoſcendo aufert, & inſpirando tribuit charitatem.*

Objicies 3. Peccant homines neceſſariò ex Auguſtino, & tamen liberè peccant: ergo libertas poteſt ſtare cum neceſſitate. Prob. anteced. ex lib. de perfectione juſtorum; vbi ait *ex libero Adami peccato ſubſecutam eſſe pœnalem vitioſitatem, quæ ex libertate fecit neceſſitatem.*

Reſp. diſt. Peccant neceſſariò neceſſitate Morali, concedo: Phyſica, nego. Porrò neceſſitas moralis eſt ſumma difficultas abſtinendi à peccato, & conſtanter reſiſtendi motibus concupiſcentiæ. Phyſica eſt determinatio ad vnum vi alicujus antecedentis. Deinde per peccandi duram neceſſitatem, etiam intelligit concupiſcentiam, quam vocat peccatum, quia eſt effectus peccati, & cauſa ſimul ejuſdem ex Tridentino; hinc neceſſitas peccandi ex Adamo tranſlata ad poſteros, partim Phyſica eſt, quia nos ſubmittit motibus indeliberatis, quæ ſunt peccata materialiter; partim Mo-

ralis, quia magnam affert difficultatem non conſentiendi peccato. Vnde illam neceſſitatem comparat malæ conſuetudini. Vide Canonem 7.

Objicies 4. Idem eſt eſſe liberum, & habere actus in ſua poteſtate, ex lib. de ſpir. & litt. cap. 3. *Hoc quiſque habere in poteſtate dicitur quod, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit.* Atqui omnem actum voluntatis ſi volumus facimus, ſi non volumus, non facimus: ergo omnis actus voluntatis eſt liber.

Reſp. diſt. maj. Idem eſt eſſe liberum, & habere actus in ſua poteſtate, quæ ſit moralis potentia, concedo: quæ ſit potentia phyſica, ſeu natura, nego. At ſolus actus eſt in poteſtate morali, qui fit cum indifferentia; teſte D. Thom. contrà Gentes, cap. 68. *Dominium*, inquit, *quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem ad vnum.* Conſule Canonem 6. & 9.

Objicies 5. ex Auguſt. Voluntas eo ipſo, quòd voluntas eſt, libera eſt, & eo ipſo, quòd vult aliquid, liberè vult. At voluntas vult aliquid neceſſariò: ergo cùm vult neceſſariò, liberè vult.

Reſp. diſt. maj. Eo ipſo, quòd voluntas eſt, libera eſt, dum agit vt liberum arbitrium, concedo: dum agit vt natura, nego. Nam cùm agit vt natura, tunc neceſſariò vult. At cùm agit vt liberum arbitrium, agit liberè, juxta Canonem 6.

Deinde, nego eo ipſo, quòd voluntas vult, liberam eſſe. Nam etiam infantes, & amentes liberè vellent. Item motus indeliberati eſſent liberi, quod tamen negat Ianſenius, lib. 6. cap. 5.

Objicies 6. Omne, quod fit ſponte, eſt liberum. Sed aliquod ſponte factum eſt neceſſarium: ergo aliquod neceſſarium factum eſt liberum.

Digitized by Google

Reſp. 1. majorem damnatam eſſe in Baïo à ſummis Pontificibus. 2. diſt. Omne ſpontaneum perfectum, eſt liberum, concedo: imperfectum, nego. Solutionem explicat Canon tertius ſuperioris paragraphi.

Inſt. 1. Liberè agere explicant Doctores per ſponte moveri.

Reſp. diſt. Sponte perfecta, ſeu arbitrii, concedo: imperfecta, & ex ſola apprehenſione, nego. Duplex quippe ſpontis, perfecta, & imperfecta, juxta Canonem tertium. Perfecta, ex deliberatione perfecta, vel formali, vel virtuali oritur, quæ idem eſt, ac liberum: imperfecta ex ſola apprehenſione, quæ idem ſonat ac voluntarium. Prima ad indifferentiam ſufficit, non ſecunda.

Objicies 7. Erat contentio inter Pelagianos, & D. Auguſtinum, an peccato Adami amiſſa eſſet libertas indifferentiæ.

Reſp. nego funditus. Non enim amiſſam volebant indifferentiam Pelagiani, in quo Auguſtino conſentiebant. Sed volebant ſolis viribus liberi arbitrii ſine vllo auxilio interno gratiæ hominem poſſe rectè agere, ideóque gratiam ſupernaturaralem non ſimpliciter neceſſariam ad benè agendum, ſed tantùm ad faciliùs agendum, eſſe pugnabant.

Semipelagiani verò, ſeu Maſſilienſes putabant hominem poſſe velle credere viribus naturæ; non tamen credere poſſe ſine auxilio gratiæ, vt docet Proſper in Epiſt. ad Auguſtinum.

Porrò Auguſtinus, dum agit contra Manichæos, ſumit liberum arbitrium, vt eſt facultas naturalis eligendi vtrumlibet, quia hominem ſubjiciebant

naturali neceſſitati bonæ, vel malæ animæ. At dùm agit contra Pelagianos, non ſumit pro naturali facultate eligendi, quia fatebatur cum Pelagianis in ſtatu naturæ lapſæ indifferentiam libertatis vigere, ſed pro facultate expedita ad bene operandum ſupernaturaliter. Hæc nota.

Objicies 8. Ex D. Thom. qu. 10. de potentia, art. 2. ad 5. *Naturalis neceſſitas, ſecundùm quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, vt fœlicitatem, libertati voluntatis non repugnat, vt Auguſt. docet in 5. de Civ. Libertas enim voluntatis, violentiæ, vel coactioni opponitur; non eſt autem violentia, aut coactio in hoc, quòd aliquid ſecundùm ordinem ſuæ naturæ moveatur. Vnde voluntas appetit liberè fœlicitatem, licèt neceſſariò appetat illam,* &c. *Sic autem, & Deus ſua voluntate liberè amat ſeipſum, licèt de neceſſitate amet ſeipſum. Liberè ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate.* En Achillem adverſariorum. Sic enim arguunt. Deus Pater producit Spiritum ſanctum, ſe ipſum amando liberè, & tamen neceſſariò producit. Item voluntas amat fœlicitatem liberè, & tamen neceſſariò: ergo poteſt ſtare libertas, cum neceſſitate ſimplici.

Reſp. diſt. juxta Canonem 2. & 3. Deus Pater producit liberè Spiritum ſanctum, libertate, quæ ſit lubentia, & ſpontaneitas, concedo: quæ ſit liberum arbitrium, ſeu facultas indifferens, nego. Et verò D. Thomas D. Thomæ conciliandus eſt. At 1. part. qu. 19. art. 10. in corpore ſic loquitur. *Liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſariò volumus, vel naturali inſtinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quòd volumus eſſe fœlices, ſed ad naturalem inſtinctum,* &c. Cùm igitur

Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem velit; alia verò, non ex neceſſitate, vt ſuprà oſtenſum eſt, reſpectu eorum, quæ non neceſſariò vult, liberum habet arbitrium. Age Ianſeni, en D. Thomas primo loco à te citato ait Spiritum ſanctum procedere à Patre liberè, & ſecundo ait Deum non habere liberum arbitrium reſpectu eorum, quæ neceſſariò vult. Primo ait nos eſſe liberos circa finem, licèt neceſſariò velimus: ſecundo negat pertinere ad liberum arbitrium, quòd velimus eſſe fœlices.

Reſp. 2. Libertatem contradictionis, circa finem poſſe verſari ſaltem indirectè, quatenus eſt in poteſtate voluntatis removere cogitationem felicitatis, & conſequenter illam non amare, ſicut ille liberè calefit, qui poteſt à ſe calorem repellere, ſi velit. Hæc eſt doctrina D. Thom. quæſt. 6. de malo. Quare amor finis vltimi eſt liber indirectè, non autem directè.

Objicies 9. D. Thomas in 2. diſtinct. 21. art. 4. & alibi, ait *liberum arbitrium dici ex eo, quòd cogi non poteſt*: ergo libertas poſita eſt in immunitate à coactione: at quod fit ex ſimplici neceſſitate, eſt immune à coactione: ergo liberum.

Reſp. diſt. Liberum arbitrium dicitur ex eo, quòd cogi non poteſt, coactione lata, & quæ ſit determinatio ad vnum, concedo: coactione ſtricta, quæ ſit idem ac violentia, nego. Nempe duplex coactio, lata, & ſtricta. Lata eſt ſimplex determinatio ad vnum, quæ opponitur electioni: ſtricta, quæ eſt à principio intrinſeco, renitente paſſo, idémque eſt ac violentia. De prima intelligendus D. Thomas, non de ſecunda. Et verò ſe ipſum explicat in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. vbi quærit vtrum liberum arbitrium poſſit cogi, & ſic reſpon-

Digitized by Google

det. *Dicendum, quòd eſt duplex coactio, quædam ſufficiens, quæ compulſio vocatur: quædam verò inſufficiens, quæ vocatur impulſio. Sciendum eſt igitur, quòd in partibus animæ quædam ſunt, quæ compelli poſſunt: ſed dupliciter. Quædam enim compelluntur ex ſubjecto, ſicut illæ vires, quæ ſunt organis affixæ: cùm enim ſine organis operationes haberi non poſſint, compulſis organis, ipſæ virtutes prohibentur; vel compelluntur earum actibus violenter extortis. Quædam verò ſunt, quæ quidem ſubjecto non compelluntur, quia organis affixæ non ſunt, compelluntur tamen objecto ſicut intellectus &c. qui demonſtrationis vi cogitur. Voluntas autem neque ſubjecto cogi poteſt, cùm non ſit organo affixa, neque objecto: quantumcumque enim aliquid oſtendatur eſſe bonum, in poteſtate ejus remanet eligere illud, vel non eligere.* Hæc ille. Vides intellectum cogi vi demonſtrationis ex D. Thoma, non coactione ſtrictâ, quia non aſſentitur per violentiam: ergo latâ, hoc eſt, ſimplici neceſſitate ad aſſenſum determinante. Rursùs negat voluntatem cogi ab objecto, vt cogitur intellectus: ergo libertatem voluntatis ponit in immunitate à ſimplici neceſſitate, ſiquidem intellectus ſimplici neceſſitate ad aſſenſum cogitur evidentiâ veritatis, voluntas autem non cogitur; *quia poteſt eligere, vel non eligere.*

§. 3. *Diluuntur objecta ex parte Dei.*

NON ſatis habuit Ianſenius in hominis libertatem graſſari impuniùs; Dei quoque indifferentiam audet invadere, ejúſque extinctionem molitur operosè, lib. 6. de gratia Chriſti, cap. 11. vtique in Deum bis injurioſus, & quòd conceſſum

Digitized by Google

à Deo homini tam eximium munus adimere velit, quod eſt ingrati animi; & quòd ſuam Deo ipſi indifferentiam activam conetur eripere, quod impiæ cujuſdam temeritatis.

Duo ibi contendit; alterum, Deum numquam habuiſſe indifferentiam agendi ad extra, vel non agendi: alterum, licèt ejuſmodi indifferentiam habuiſſet aliquando, illam tamen interiiſſe penitus, cùm ſe ad agendum immobili voluntate applicuit. Vt autem argumenti vis, ſi quæ ſit, pateat, ſic ipſum informo.

Libertas perfectiſſima datur in Deo: in Deo libertas eſt ſine indifferentia activa: ergo datur aliqua libertas perfectiſſima ſine indifferentia activa. Prob. minor. In Deo nec datur indifferentia activa contrarietatis, nec contradictionis: ergo nulla in Deo indifferentia activa. Prob. ant. Non indifferentia contrarietatis, quæ eſt ad bene, aut malè agendum, quia Deus vt pote ipſa ſanctitas peccare non poteſt. Non contradictionis; ſi quam enim haberet, maximè circa productionem mundi: at non habuit indifferentiam contradictionis circa productionem mundi, quia determinatus fuit ab æterno ad productionem mundi: Determinatus fuit ab æterno, quia nullum inſtans fuit, in quo non fuerit determinatus; aliàs facta fuiſſet mutatio in Deo, cùm à ſtatu indeterminationis ad ſtatum determinationis tranſiiſſet.

Duæ ſunt partes argumenti. Prima pugnat in Deo non eſſe libertatem contrarietatis: ſecunda libertatem quoque contradictionis ipſi adimit, & eſt Ianſenii loco mox citato. *Quando enim*, inquit, *liber fuerit? cùm ab æterno, hoc eſt, ſine vllo initio ſemper ad agendum, vel non agendum determinatus fuerit.*

Ad primam partem fateor Deo non ineſſe indifferentiam activam ad bene, vel malè agendum, peccandum, & non peccandum; quia Deus à ſua regula deflectere non poteſt. Vnde D. Auguſtinus meritò arguit Iulianum, qui libertatem definiebat per poteſtatem volendi bonum, & malum. *Si liberum non eſt*, inquit, *niſi quod duo poteſt velle: liber ergo Deus non eſt, qui malum non poteſt velle: De quo etiam ipſe dixiſti, Deus eſſe niſi juſtus non poteſt. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem?* hinc non eſt de conceptu libertatis Deo, & creaturis communi poteſtas peccandi, ſed tantùm habere dominium circa ea, quæ ſunt in illius poteſtate; aliàs cui conveniret conceptus ille communis, conveniret etiam poteſtas peccandi, quod falſum eſt tum in Deo, tum in beatis; tamen poteſtas peccandi eſt de conceptu ſpecifico libertatis hominis, & Angeli in via exiſtentium, ſicut licèt facultas ratiocinandi non ſit de formali conceptu animalis generatim ſumpti, non ideo deſinit eſſe de conceptu ſpecifico hominis. Quare dum D. Anſelmus ait *nec libertatem eſſe, nec partem libertatis, poteſtatem peccandi*, loquitur ibi de libertate genericè ſumpta, non ſpecificè, vt eſt in homine. Nam dialogo de libero arbitrio docet ipſe Anſelmus, potentiam peccandi ad libertatem hominis viatoris propriam pertinere. Porrò potentia peccandi gradus eſt libertatis imperfectus, nec tam potentia eſt, quàm impotentia ex Anſelmo; ideóque actus, qui exit à libertate, vt eſt peccandi poteſtas, moraliter eſt quidam illius abuſus, & defectus, vt rectè obſervat D. Thomas, 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. pertinet enim ad perfectionem libertatis eligere ſervato ordine finis: peccare autem, quod eſt à fine deviare, ad ejuſdem defectum.

Digitized by Google

Deinde, quamvis Deus non habeat libertatem contrarietatis ad malum, tamen liber eſt quoad ſpecificationem, quatenus loco eorum, quæ vult, aut facit, potuit vtique alia diverſa facere, aut eligere; v. g. alium mundum, aliáſve creaturas multò perfectiores producere potuit. Nec enim vnâ peccandi potentiâ libertas ſpecificationis circumſcribitur.

Ad ſecundam argumenti partem, quâ Ianſenius libertatem exercitii Deo eripere nititur, 1. miror equidem illum Deo eam, quam Angelo, & Adamo, in ſtatu naturæ integræ, concedit vltro, agendi, & non agendi indifferentiam pertinaciùs denegare. Fac enim Angelum in primo creationis ſuæ inſtanti ex illa arbitrii indifferentia Deum amaſſe. Haud dubiè amavit liberè, quia ſine vlla neceſſitate antecedente amavit: quidni à pari Deus, licèt ab æterno determinatus ſit ad creandum mundum, liberè procrearit, cùm in priori rationis nihil ſit, quo ad illam producendam ſit determinatus?

Quare diſtinguo. Deus fuit determinatus ab æterno ad productionem mundi, determinatione antecedenti, nego: Determinatione conſequenti, concedo: at determinatio conſequens affert tantum neceſſitatem conſequentem, quia liberum voluntatis exercitium ſequitur, vt obſervavi Canone ſeptimo.

Ad confirmationem diſt. Nullum fuit inſtans reale, in quo Deus non fuerit determinatus, concedo: nullum inſtans naturæ, ac rationis, nego. At ſufficit inſtans naturæ, & rationis ad libertatis indifferentiam, in eo poſitum, quòd nihil ſit in priori naturæ, aut concipi poſſit in priori rationis, quo voluntas poſitis omnibus ad agendum prære-

quiſitis neceſſariò, & antecedenter ad agendum determinetur. Porrò licèt Deus ſit determinatus ad creandum mundum ab æterno, non deſinit eſſe indifferens, non privativè quidem, quia quidquid vult, ab æterno voluit, ſed negativè ad volendum mundum, quia nihil eſt, aut concipi poteſt antecedens, quod eam neceſſariò inferat. Rem illuſtrabis gemino exemplo, altero amoris Dei, quo ſe amat, altero amoris, quo amat creaturas. Primus enim neceſſarius eſt, quia in priori naturæ, & rationis eſt, & concipitur à nobis aliquod principium neceſſariò Deum determinans ad ſui amorem, nempe amabilitas infinita objecti cognita infinitè. Secundus verò liber, quia nihil eſt, nec concipitur in priori naturæ, & rationis, vi cujus divina voluntas determinetur ad amorem creaturarum: altero duorum Angelorum, quorum alter ſtatim ab ortu Deum intuitivè videat, ipſúmque proinde amet neceſſariò: alter cognoſcat abſtractivè tantùm, adeóque amet liberè. Certè primus amat, quia videt. Secundus quia vult, ſéque ex dominio in actum ad amorem determinat.

Inſt. 2. Actus ille, quo Deus vult creare mundum, eſt neceſſarius, quia idem eſt ac ipſe Deus: ergo non poteſt eſſe liber.

Reſp. diſt. ant. Eſt neceſſarius entitativè, & in eſſendo, concedo: relativè, & in agendo, nego. Poteſt enim ſumi actus ille vel entitativè, & vt eſt in Deo, vel relativè, & terminativè ad creaturas. Entitativè non diſtinguitur ab amore, quo Deus neceſſariò ſe amat. At ſumptus terminativè, & relativè ad creaturas, quas infert, cùm poſſet non inferre, aut non infert, cùm poſſet inferre, eſt liber. Quare non poteſt concipi in Deo volitio libera

creaturæ, quin fiat aliqua mutatio in illa creatura, quam vel decernit producere, vel decernit non producere, & ſic damnat ad perpetuum non eſſe. Vnde illa creatura concipitur tranſiiſſe à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum non actualitatis, ſeu non futuritionis. Ideóque longiùs quodammodo receſſiſſe ab exiſtentia actuali.

Inſt. 2. Dum voluntas Dei de indeterminata intelligitur fieri determinata, mutatur.

Reſp. diſt. Extrinſecè concedo: intrinſecè, nego. Nam vt activè ſe determinat voluntas Dei, non mutatur, ſed mutat, quia agens vt agens non mutatur, ſed mutat. At vt determinatur formaliter, non mutatur intrinſecè, ſed extrinſecè tantùm, ſeu in effectu, quia determinatio formalis extra Deum ponitur. Quid plura? Deus agendo ad extra non alio modo ſe habet; ſed facit, vt creatura alio modo ſe habeat.

Inſt. 4. Determinatio Dei eſt prior effectu: ergo non petitur ab effectu.

Reſp. diſt. ant. Determinatio activa, eſto: formalis, nego. Porrò adverte hæc circa libertatem divinam.

I. Quidquid perfectionis eſt in libertate creata, divinæ tribuendum eſt, detractis imperfectionibus.

II. Tres perfectiones libertatis creatæ ſunt. 1. Quòd ſit indifferens ad agendum, vel non agendum. 2. Quòd activè ſe determinet per ſe ipſam ad ea, circa quæ eſt libera abſque vllo intermedio. 3. Quòd activè ſe determinando, non mutetur, ſed mutet in extrinſeco. Gaudet voluntas divina tribus his dotibus. 1. Eſt indifferens ad ponendum, vel non ponendum effectum à ſe diſtinctum. 2. Se

per ſe ipſam activè determinat. 3. Dum ſe determinat activè ad productionem mundi, non mutatur, ſed mutat.

III. Tres imperfectiones voluntatis creatæ ſunt. Prima, Eſt indifferens ad actus internos volitionis, aut nolitionis ſecundùm ſubſtantiam ſumptos; reſpicit enim ſuum objectum mediante actu realiter à ſe diſtincto, quia eſt limitatæ virtutis, ideóque includit compoſitionem intrinſecam. Secunda, cùm actus, quem exercet, ex ſe, ſit objecto certo addictus, debet elicere actum diſtinctum ab alio pro diſtinctione variorum objectorum. Tertia, in ſe ipſa recipit actum ſuum, per quem mutatur intrinſecè, & determinatur formaliter; non quòd mutetur præcisè, vt activè ſe determinat, ſed quòd in poſteriori determinationis activæ in ſe recipiat actum ſuum.

Divina caret ſingulis. 1. Voluntas Dei, & actus non diſtinguntur realiter, quia id repugnat ſummæ ejus ſimplicitati; hinc effatum D. Thomæ, lib. 2. contra Gentes. *Intellectus, & voluntas in Deo non ſunt potentia, vt potentia, ſed vt actus*: hinc nullus actus in Deo eſt liber ſecundùm exiſtentiam; hinc denique actus ſecundus liber in Deo non differt ab actu ſecundo neceſſario per aliquid intrinſecum reale, ſed eſt actus idem intrinſecè, qui dicitur liber provt terminatur ad objectum, quod ita eſt, vt poſſit non eſſe; neceſſarius verò, provt terminatur ad objectum, quod non poteſt non eſſe id, quod eſt. 2. Quidquid vult Deus, vult per actum ſimpliciſſimum realiter, licèt dici poſſit virtualiter multiplex. 3. Quia eſſe addictum objecto imperfectionem ſonat, actus, quo Deus vult creaturas, non eſt objecto vlli creato addictus, quia nullum ens

creatum neceſſariam habet cumDeo connexionem. Quare Deus potuit velle hunc mundum non eſſe abſque vlla mutatione in ſe ipſo. Denique libertas divina non poteſt peccare, quia à regula ſua numquam deflectere poteſt; Ex dictis inferes, amorem in Deo eſſe duplicem virtualiter; alterum amicitiæ, qui habet pro objecto perfectiones divinas; alterum benevolentiæ, quo fertur in creaturas liberè productas. Primus eſt neceſſarius, ſecundus liber: vt enim creaturas liberè produxit, ita liberè amat.

Objicies 2. Deus ſemper facit, quod melius eſt: ergo non habet indifferentiam exercitii. Prob. ant. Deus tenetur ad optimum.

Reſp. Deum licèt ſemper ageret, quod meliùs eſt, non ideo neceſſitari phyſicè, ſed tantùm moraliter. At neceſſitas moralis non officit libertati. Deinde Deus non tenetur ad faciendum optimum abſolutè, ſed tantùm ex hypotheſi quòd agat. Ideóque abſolutè poteſt non agere. Nec dicas melius eſſe agere, quàm non agere reſpectu Dei, quia agere eſt bonum. Nam Reſp. nihil reſpectu Dei propriè eſſe bonum ad extra, quia nihil eſt Dei perfectivum propriè. At omne bonum eſt perfectivum illius, reſpectu cujus eſt bonum.

§. 4. *Diluuntur objecta ex libertate Chriſti, & beatorum petita.*

DVPLEX ex Chriſti libertate, & beatorum argumentum ducit Ianſenius, lib. de gratia Chriſti, cap. 6. quod libertati beatorum totum impendit, & cap. 9. in quo libertatem Chriſti, cum ſimplici neceſſitate conjunctam magnificè

Digitized by Google

oſtentat, iterúmque inculcat, lib. 7. cap. 15. juxta cujus principia.

Objicies 1. Chriſtus acceptavit mortem liberè, quia per hanc meruit ſalutem hominum: Chriſtus non acceptavit mortem ex libertate, quæ ſit indifferentia, ſeu quæ ſit immunitas à ſimplici neceſſitate: ergo ex libertate, quæ ſit immunitas à coactione. Probatur minor. Chriſtus determinatus fuit ad mortem antecedenter: ergo non acceptavit mortem liberè ea libertate, quæ ſit indifferentia. Probatur anteced. Chriſtus accepit præceptum moriendi à Patre, cui non potuit non obedire, erat enim phyſicè impeccabilis ob vnionem hypoſtaticam: ergo fuit determinatus ad mortem antecedenter.

Multiplex eſt ad hoc argumentum reſponſio. Prima eſt, mandatum illud, quod Pater Filio injunxit, non præceptum rigidum, & propriè dictum fuiſſe, ſed nutum dumtaxat, tacitámque paternæ voluntatis ſignificationem, cui Chriſtus vt pote in omnem Patris voluntatem intentus, filiúſque obſequentiſſimus, vltro ſe ſe ſubmiſit, vnde laus major illius obedientiæ extitit, quòd nutum Patris ſequi maluerit, quàm præceptum expectare.

Secunda docet imperatam quidem à Patre Filio mortem, ſed præcepto dumtaxat conditionato; nempe ſi humanum genus vellet redemptum, ei vtique moriendum. Huic ſententiæ ſuffragatur S. Anſelmus, lib. 4. cur Deus homo, cap. 9. & Theodoretus ad cap. 12. Epiſt. ad Hebræos. *Poterat non pati, ſi ita voluiſſet.*

Tertia contendit præceptum illud fuiſſe abſolutum, ſed Chriſtum diſpenſationem petere potuiſſe, atque adeò vim præcepti à ſe amoliri. Id verba Chriſti

Chriſti videntur innuere, Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?*

Ex tribus hiſce ſententiis patet non modò mortis circumſtantias, ſed ipſam etiam mortis ſubſtantiam fuiſſe in plena Chriſti poteſtate: Ex prima quidem, quia nullum erat præceptum, ſed ſimplex voluntatis nutus: ex ſecunda, quia præceptum vt pote conditionatum, & ex ſua ſuſpenſum voluntate poterat non implere: ex tertia denique, quia diſſolutionem præcepti Patrem rogare poterat, & ita ſe morti ſubducere, abrogato per diſpenſationem petitam præcepto. Et verò integrum fuiſſe Chriſto mortem non obire verba ſcripturæ probant. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*, Iſaiæ 53. *Pono animam meam, nemo eam tollit à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, Ioan.* 10. Deinde liberrimam Chriſto fuiſſe moriendi poteſtatem paſſim Auguſtinus aſſeverat, & à ſimplici neceſſitate vindicat, præſertim tractatu 37. in Ioan. *Dominus*, inquit, *quando voluit, carnem in vtero virginali accepit, quando voluit, ad homines proceſſit, quando voluit, inter homines vixit, quando voluit, à carne diſceſſit, hoc eſt poteſtatis, non neceſſitatis.* lib. 4. de Trinit. c. 13. Chriſtum morte defunctum ait, *quia voluit, quando voluit, quomodo voluit*: tum rationem reddit: *qui poſſet mori, ſi nollet, proculdubio, quia voluit mortuus eſt.* An potuit Auguſtinus poteſtatem moriendi, & non moriendi clariùs Chriſto aſſerere?

Quarta ſententia, quæ in ſcholis viget maximè, duo diſtinguit in morte Chriſti, ſubſtan-

tiam, & modum. Subſtantia eſt ſejunctio animæ à corpore: modus adjuncta complectitur, nempe quòd mors illa fuerit turpitudinis, & infamiæ pleniſſima, non ſine graviſſimo, eóque diuturno doloris ſenſu, denique à ſceleratiſſimis hominibus inflicta. Pugnat deinde mortis ſubſtantiam Filio à Patre imperatam, circumſtantias verò ejus liberæ voluntati permiſſas; itaque nihil meritum circa ſubſtantiam mortis, quam non poterat omittere citra peccatum, ſed circa circumſtantias commeritum, quippe qui *propoſito ſibi gaudio crucem ſuſtinuerit confuſione contempta*, hoc eſt, poſthabitâ gloriâ mortem ignominiæ, & dolorum plenam elegerit, vltróque ſubierit. Quare juxta hanc ſententiam pervulgatam in ſcholis,

Negata minore primi ſyllogiſmi, diſtinguo illius probationem: Chriſtus determinatus eſt ad mortem antecedenter, ſi ſpectetur ſecundùm ſubſtantiam, concedo; ſi ſpectetur ſecundùm modum, nego. Vnde ſecundùm circumſtantias mortis, quas ipſe elegit, aſſeruit ſalutem noſtram, patrémque nobis antea infenſum placavit, reconciliavítque.

Hinc facilis, & expedita ſolutio illius inſtantiæ, quæ petitur ex legis naturalis obſervantia, ad cujus ſubſtantiam Chriſtus non habuit libertatem indifferentiæ, habuit autem ad circumſtantias pleniſſimam; potuit enim pro libito ex hoc, aut illo motivo, actu magis, vel minùs intenſo, majori, aut minori diuturnitate temporis obſervare; ex qua indifferentia ratio meriti profluxit, noſtræque adeo ſalutis procuratio.

Nec dicas Chriſtum fuiſſe obligatum ad facien-

Digitized by Google

dum optimum, & modo optimo: Non enim magis tenebatur facere optimum voluntas humana Chriſti, quàm Deus, qui non tenetur ad optimum; vnde non erat imperfectio poſitiva, aut privativa in voluntate Chriſti, etiamſi ex motivo minùs perfecto, aut actu minùs intenſo ageret, quia nulla erat obligatio in illo ad ejuſmodi circumſtantias, modúmque majorem perfectionis; quare ad ſummum erat imperfectio negativa, quæ nomine tenus imperfectio eſt.

Inſtabis 1. Modus præcipiendi, quo ſingula determinantur, eſt perfectior: ergo Chriſto non modò ſubſtantiam actus, ſed ſingula etiam adjuncta tum mortis, tum legis naturalis expreſſo, rigidóque præcepto Pater injunxit.

Reſp. nego antecedens abſolutè. Nam in moralibus ſingula quæque præcipere durius eſt. Herus, niſi moroſus, rigidúſque nimiùm ſit, ſervo non quaſlibet circumſtantias præcipit; multò minùs Pater Filio.

Inſtabis 2. ex Auguſtino lib. de prædeſt. Sanctorum, cap. 15. Chriſtus tantò magis liber erat, quantò magis peccato ſervire non poterat.

Reſpondeo ibi D. Auguſtinum agere de libertate, quæ ſit immunitas à peccato, & libero arbitrio accidentalis, quæque non excludit libertatem indifferentiæ. Triplex quippe fuit libertas in Chriſto. Prima à neceſſitate, ſecunda à peccato, tertia à miſeria ſecundùm ſuperiorem animæ partem. Libertatis à peccato in Chriſto duplex erat munus, alterum à peccato vindicare, alterum efficere vt liberiùs in eligendis bonis verſari poſſet.

Objicies 2. ex D. Thoma in 3. diſt. 18. qu. 1.

art. 2. ad 5. *Liberum arbitrium Chriſti Domini, ſi eſſet determinatum ad vnum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem, neque rationem laudis ſive meriti; quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.* Ex quo loco ſic arguunt novæ opinionis patroni. Chriſtus, ex D. Thoma, licèt determinatus ſit antecedenter ad diligendum Deum, tamen liberè agit, & meritoriè; & ideo meritoriè, quia non coactè, ſed ſponte agit: ergo ſpontaneitas, & ſimplex neceſſitas ad vnum, poteſt ſtare cum merito.

Reſpondeo 1. vel ex poſtremis verbis, quæ addit S. Doctor: *& ita eſt actus ſui dominus*, per τὸ coactè eumdem intelligere neceſſariò; ita vt *non coactè* idem planè ſit, ac non neceſſariò, præſertim cùm alibi eſſe dominum ſui actus explicet per liberam electionem, 1. p. qu. 82. art. 1. ad 3. *Dicendum, quòd ſumus domini noſtrorum actuum, ſecundùm quod poſſumus hoc, vel illud eligere.*

Reſpondeo 2. D. Thomam ibi loqui de Chriſto, vt erat determinatus ad bonum in genere, vel in ſpecie, aut etiam ad hoc vnum numero ex parte objecti, vt tamen haberet indifferentiam ex parte actus. Quare diſtinguo: Chriſtus determinatus eſt ad vnum numero, ſicut ad diligendum Deum, ex parte objecti, concedo: ex parte actus, nego. Scilicet potuit Chriſtus, licèt neceſſitaretur ad amorem Dei, tamen ex multis actibus, quos habebat in poteſtate, eligere hunc, vel iſtum, quo vellet Deo, vel bona tantùm extrinſeca, vel cum intrinſecis extrinſeca hæc, vel illa. Et ſanè qu. 22. de verit. art. 6. nodum hunc ſolvit. *Cùm voluntas*, inquit, *dicatur libera, in quantum neceſſita-*

Digitized by Google

tem non habet; libertas voluntatis in tribus conſideratur: ſcilicet quantum ad actum, in quantum poteſt velle, vel non velle; & quantum ad objectum, in quantum poteſt velle hoc, vel illud, & ejus oppoſitum; & quantum ad ordinem finis, in quantum poteſt velle bonum, vel malum. Ergo juxta principia D. Thomæ libertas ſufficiens eſt ad meritum, 1. cum determinatione ad vnum ex parte finis, hoc eſt, ad bonum. 2. ex parte objecti circa bonum genericè, vel ſpecificè, immò etiam numericè, modò maneat indifferentia exercitij, quâ poſſit actum circa objectum illud exercere, vel ſuſpendere, quæ dicitur libertas actus, cujuſmodi fuit in Chriſto.

Denique D. Thomas innumeris locis libertatem indifferentiæ in Chriſto agnoſcit. Nam qu. 29. de verit. art. 6. ad 1. docet, licèt Chriſti anima eſſet determinata ad vnum ſecundùm genus moris; ſcilicet ad bonum, non tamen fuiſſe determinatam ad vnum ſimpliciter, quia poterat hoc, vel illud facere, & non facere, *& ideo libertatem in eo remanſiſſe, qua requiritur ad meritum.* Idem inculcat in 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. &c.

Objicies 3. Beati liberè amant Deum, & tamen neceſſariò: ergo poteſt ſtare libertas cum ſimplici neceſſitate ad vnum determinante.

Reſpondeo diſt. ant. Beati amant Deum liberè amore amicitiæ, nego: amore benevolentiæ, concedo. Amore quippe benevolentiæ volunt Deo bona extrinſeca hæc, vel illa, & quidem perfectiori modo, quàm velimus in via, quia minùs habent impedimenti, vt pote nullis cupiditatibus abrepti: at non amant liberè amore amicitiæ, quo ipſi volunt bona intrinſeca. Verbo di-

Digitized by Google

cam; volitio, quâ Deo clarè viſo adhærent immobiliter, non eſt ipſis libera, quia neceſſariò profluit à voluntate ex vi rapaciſſima tanti boni determinata, ideóque non amant quia volunt, ſed quia vident, vt jam obſervavi. Non deeſt tamen ideo illis libertas indifferentiæ, quâ poſſint pro hoc, aut illo orare, ſuis precibus hoc, aut illud beneficium à Deo impetrare, hoc, vel illud velle quod à fine non deordinat, Deo hæc, vel illa bona extrinſeca appetere. Quin etiam poſſunt per actus reflexos ſupra amorem neceſſarium redire, ipſum approbando, &c.

Inſtabis 1. Amor Beatorum circa finem poſſeſſum eſt perfectiſſimus: amor perfectiſſimus eſt liber: ergo amor beatorum etiam amicitiæ circa finem poſſeſſum eſt liber.

Reſp. nego minorem. Nam amor amicitiæ, quo ſe Deus amat, eſt neceſſarius, & tamen perfectiſſimus. Deinde amor circa finem vltimum, non eſt liber, quia eſt primus amor; amor verò liber eſt amor ſecundus, vt pote electionis circa media, qui ſe habet ad primum amorem finis, ſicut concluſio ad præmiſſas. Denique amor amicitiæ beatorum dici poteſt liber libertate ſpontaneitatis, & lubentiæ, non liberi arbitrii, vt patet ex Canone 4. paragraphi primi. At

Quæres hîc, cur dicat D. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurent. cap. 150. multò liberius futurum in beatis liberum arbitrium, quod omnino non poterit ſervire peccato, & lib. 22. de Civit. Dei, cap. vltimo. *Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum eſt, quando primùm creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare: hoc autem noviſſimum eò potentius erit, quò peccare non poterit.*

Reſpondeo juxta Canonem 5. non eo ſenſu intelligendum eſſe Auguſtinum, quòd velit viſionem beatis eſſe liberam, alióſve actus beatificos, qui vi luminis gloriæ ab ipſis eliciuntur, ſed quòd ipſa libertas indifferentiæ, vt pote immunis à ſervitute peccati, & à miſeria, multò major, perfectiórque in illis ſit reſpectu eorum, quæ poſſunt velle, aut non velle, tum quia ſine errore, & periculo peccati eligunt, quod volunt; tum quia ordinatior eſt, quippe quæ à finis ordine deflectere non poſſit; tum quia vtriuſque libertatis, & à peccato, & à miſeria, præſidio communita nullo negotio emicat in actus; tum quia poteſtas peccandi eſt potiùs impotentia, quàm potentia, & ita liberum arbitrium in beatis ab illa peccandi potentia extricatum minùs habet impotentiæ, itáque potentius eſt, adeóque liberius. Fœlix vtique libertas, quam nec miſeria premit ampliùs, nec peccati illecebræ ſollicitant, nec error, & ignorantia à ſuo fine avocant!

§. 5. *Diluuntur reliqua objecta.*

OBIICIES I. Si libertas conſiſteret in indifferentia, minutâ indifferentiâ libertas minueretur: minutâ indifferentiâ libertas non minuitur. Nam habitus, item indoles, quæ eſt pondus quoddam naturæ ad objectum; denique gratia illuminationis, & inſpirationis inclinant in partem vnam, nec tamen minuunt indifferentiam: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Minutâ indifferentiâ electionis minuitur libertas, concedo: minutâ indifferentiâ propenſionis, nego. At habitus, indoles,

Digitized by Google

& gratia minuunt tantùm indifferentiam æquilibrii, ſeu propenſionis, non autem indifferentiam electionis; indifferentia autem æquilibrii eſt accidentalis libertati, vt eſt electio, nec tollit ipſam electionem, quia inſtructus habitu etiam intenſiſſimo, poteſt abſolutè, & ſimpliciter agere, vel non agere. Tamen habitus intenſiſſimus moralem quamdam affert neceſſitatem agendi. Vnde D. Aug. 8. Confeſſ. cap. 8. *Dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.*

Inſt. Saltem homo inſtructus habitu intenſiori, minùs mereretur, ſicut nequiſſimus minùs demereretur.

Reſp. nego ſeq. Quia principium meriti eſt libertas electionis gratiæ auxilio adjuta. At libertas electionis non tollitur per gratiam, aut per habitum. Deinde meritum non ex ſola libertate, ſed ex gratia præveniente, actus boni, vel mali naturâ, & intentione petitur: ergo quò major gratia præveniens fuerit, habitúſque intenſior, eò actus ex tali gratia, & habitu eliciti erunt intenſiores, majoríſque apud Deum meriti, vt pote ferventiores: è contrà actus mali erunt deterioris meriti, quia fiunt ex habitu, aut conſuetudine inclinante ad illos actus; hinc D. Thomas, lib. 3. contra Gentes, cap. 138. ait neceſſitatem ex interiori inclinatione procedentem laudem virtuoſi actus non minuere ſed augere; facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis.

Objicies 2. Gratia efficax neceſſitat voluntatem ad agendum: voluntas dum agit ex gratia efficaci, agit liberè: ergo ſtare poteſt libertas cum neceſſitate.

Reſp. Gratiæ efficacitas tripliciter explicatur. Primò à Ianſeniſtis, qui volunt ipſam ex ſe ipsâ efficacem, adeóque rapere voluntatem. 2. Quidam ab inefficaci diſtingunt ex parte voluntatis, quæ vni gratiæ eſt conſenſura, ſi detur, cùm tamen poſſet diſſentire. 3. Alii efficaciam gratiæ in illecebroſa quadam congruentia ponunt tam opportuna voluntati, vt moraliter voluntas non poſſit non conſentire, licèt phyſicè loquendo diſſentire poſſit. Prima damnata eſt, vt hæretica; at in duabus aliis gratia non neceſſitat antecedenter. Non in prima, quia eſt neceſſitas tantùm conſequens, fieri enim non poteſt, vt voluntas, dum conſentit gratiæ, in ſenſu compoſito ſui conſenſus, non conſentiat, licèt in ſenſu diviſo poſſit diſſentire: non in ſecunda, quia affert tantùm neceſſitatem moralem, ſeu effectus infallibilitatem. Quare diſt. Neceſſitat moraliter, & conſequenter, concedo: phyſicè, & antecedenter, nego.

Inſt. 1. Gratia efficax in ſtatu naturæ lapſæ movet indeclinabiliter, inſuperabiliter, invincibiliter ex Auguſt. ergo neceſſariò.

Reſp. diſt. conſ. neceſſitate morali, concedo: phyſica, nego. Dicitur enim invincibilis, quia ſemper ſortitur effectum ſuum ob congruentiam, & contemperationem. Sicut dicitur dux invincibilis, qui numquam victus eſt, nec moraliter loquendo vinci poteſt, quia ita tempus pugnæ aucupatur, ita bellè diſponit omnia illius adjuncta, ita porrò artem bellandi novit, manúſque aptè conſerit, vt ſemper infallibiliter victoriam conſequatur.

Ita Deus voluntati blanditur gratiæ illecebris, ita ipſam demulcet, vt conſenſum obtineat. Novit

Digitized by Google

quippe, quid permovendis cujuſque noſtrûm animis aptum ſit maximè, & congruum: momenta novit omnia, quibus id, quod tenerum, & tractabile ineſt ſingulorum mentibus, excitari poſſit ad honeſtatis decus, gratiæque conſenſum. Itaque ſi cujuſquam voluntatem ſibi adjungere velit, explorat primùm momenta, ac majeſtate quaſi ad tempus ſepoſita, blandiſſimâque animorum conciliatrice gratiâ comitatus occurrit menti nihil minùs, quàm de ſalute cogitanti, mirâ deinde adoritur arte orator induſtrius, titillat primo aditu, ſenſímque irrepit, perfundit copioſâ luce, diſcuſſis vndequaque tenebris, & honeſtiſſimâ voluntatem ſuavitate demulcet; itáque vim gratiæ omnem, & efficientiam ſic eidem commetitur, vt conſenſum denique liberè exprimat, non neceſſariò extorqueat. Hæc eſt apta cujuſque ſtudiis triumphalis gratiæ, & congruens oportunitas, quæ animos ſuavitate vincit, non neceſſitate, *& cujus miſeretur, ſic eum vocat vt vocantem non reſpuat*. Non irrumpit illa per vim, ſed lenociniis ſeſe inſinuat; imprimit motus neceſſarios, vt obtineat liberos; petit aſſenſum, non eripit; blanditur ſuaviter, non tyrannicè dominatur. Ne plura, *trahit*, inquit Auguſtinus, *oblectando voluntatem, non neceſſitatem imponendo*.

Hinc dicitur Deus movere voluntates noſtras, facere vt velimus, emollire, convertere, inclinare, trahere, & compellere corda hominum in bonum propter convenientiam, & abundantiam divini luminis, quo veritatem antea latentem, vel certè minùs cognitam aperit. Item ob exuberantiam ſuavitatis, quâ voluntas perfuſa, & quodammodo delibuta, virtutem, quam antea vt

ſibi moleſtam reſpuebat, amare demum vt jucundam incipit.

Et quoniam hæc gratia datur à Deo ex præſcientia illius congruentiæ cum voluntate, ideo homo, licèt eidem phyſicè reſiſtere poſſit, moraliter tamen non poteſt. Vnde eam vocat Auguſtinus *certam ſcientiam, & victricem delectationem; lucem illuminatricem tenebrarum noſtrarum, & ſuavitatem fructiferam bonorum operum.*

Porrò vocat ſcientiam certam non tantùm certitudine objecti, & actus, quod gratiæ ſufficienti etiam convenit, ſed etiam certitudine ſubjecti, à quo removet omnem dubitationem. Vocat quoque victricem delectationem, quia facit, vt voluntas non deficiat, quamvis infirma ſit, nec tentationum incurſu vincatur, ſed quod bonum eſt, invictiſſimè velit, vt ait Auguſt. lib. de corrept. & gratia, cap. 12.

Inſt. Ideo dicitur voluntatum victrix, quia per ſe ipſam neceſſitat.

Reſp. nego. Sed dicitur victrix, quomodo eloquentia dicitur regina animorum, & flexanima à Tullio. At quis dicat per orationem eloquentem animum auditoris phyſicè neceſſitari?

Inſt. In hoc differt gratia ſanitatis à gratia naturæ integræ, quòd illa neceſſitet ad agendum, hæc verò relinquat indifferentiam.

Reſp. nego. Non enim diſtinguuntur ſubſtantialiter, ſed accidentaliter dumtaxat, & quidem dupliciter. Primò, quòd gratia naturæ integræ excitaret tantùm intellectum, & inflammaret voluntatem: medicinalis verò præter hos duos effectus ſanet voluntatem, & reprimat concupiſcentiam. Secundò, quia gratia naturæ integræ da-

batur à Deo purè gratis; medicinalis veró vt præmium ſanguinis Chriſti, ideóque gratia Chriſti dicitur, vt pote mortis illius partus, fructúſque crucis vberrimus.

Inſt. 4. Gratia medicinalis potentior eſt, quàm gratia naturæ integræ, ergo differt eſſentialiter.

Reſp. diſt. ant. Eſt potentior quoad actum primum, nego: quoad actum ſecundum, concedo. Gratia enim naturæ integræ illuminabat, & inflammabat tantùm; medicinalis reprimit inſuper concupiſcentiam, & hominem ægrum ſanat. Certè calor, qui ſimul expellit frigus, & calefacit, non diſtinguitur eſſentialiter ab alio calore, qui calefacit tantùm ſubjectum, in quo nullum frigus expellendum reperit, quamvis potentior ſit quoad actum ſecundum, qui geminus eſt. Nam expellit frigus, & ſimul calefacit.

Inſt. 5. Ratio afferri debet, cur τὸ operari tribuat potiùs gratiæ Auguſt. quàm libero arbitrio in ſtatu naturæ lapſæ: nulla ratio alia afferri poteſt, niſi quia gratia medicinalis neceſſitat.

Reſp. Hanc afferri rationem, quòd gratia medicinalis adjuvet intellectum & voluntatem, & reprimat concupiſcentiam; ideóque potiori jure tribuitur illi operatio ob illum duplicem effectum, quàm gratiæ naturæ integræ, quæ tantùm adjuvabat intellectum, & voluntatem, non ſanabat concupiſcentiam.

Inſt. 6. Deus dicitur per gratiam operari in nobis ſine nobis: ergo voluntas non agit liberè libertate electionis, tum cùm conſentit gratiæ.

Reſp. diſt. ant. Operatur in nobis ſine nobis per gratiam prævenientem, concedo: per cooperantem, nego. Nam gratia præveniens eſt motus

indeliberatus, elicitus à voluntate phyſicè concurrente, ſed non moraliter, & vt eſt liberum arbitrium. At gratia, vt cooperans elicitur à voluntate non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter concurrente.

ARTICVLVS V.

De ſubjecto, objecto, & fine libertatis.

TRIA hîc quærenda. Primum, quodnam ſit ſubjectum libertatis. Secundum, quod illius objectum. Tertium, qui finis.

§. 1. *De ſubjecto libertatis.*

QVAESTIO eſſe poteſt vel de ſubjecto remoto vel proximo; de remoto primùm, deinde de proximo.

I. ASSERT. Brutis non ineſt libertas. Hæc aſſertio videtur ſatis probata, §. 2. art. 2. diſp. 2. Nam ad libertatem ratio prærequiritur: in brutis nulla ratio ineſt, vt ibi confectum eſt: ergo nec libertas.

Probatur tamen ampliùs ex natura libertatis: Libertas enim noſcitur ex vario, ac verſatili operandi modo tum circa varios fines, tum circa media iiſdem comparandis idonea: varius ille, ac verſatilis operandi modus brutis non ineſt. 1. quia bruta ejuſdem ſpeciei in eoſdem fines per eadem media feruntur. 2. quia verſatilis ille agendi modus exigit cognitionem vniverſalem, quæ ad oppoſita applicari indifferenter poſſit; nam appetitus ſequitur cognitionis modum: Bruta autem

Digitized by Google

habent cognitionem ad vnum determinatam, quia eſt judicium ſenſus: judicium ſenſus eſt ad vnum determinatum, quia eſt de ſingularibus per ſpecies corporatas, & ſenſibiles cognitis: ergo brutis libertas non ineſt.

Confirmatur ex Nemeſio, cap. 2. de homine. *Verùm illa*, inquit, *non ratione ad agendum adduci, hinc licèt exiſtimes, quòd omnia, quæ ſub eandem ſpeciem ſubjecta ſunt animalia, ſimiliter eadem faciant; neque in tanta multitudine opera eorum diſcrepent: (niſi quòd vnum magis facit, alterum minùs) ſed vno naturæ impetu tota ſpecies moveatur. Omnis enim lepus, eodem modo dolo vtitur; & omnis lupus eodem modo callidus, & omnis ſimia eodem modo imitatur. Quod in homine non ita eſt. Sexcentæ enim rationes ſunt humanarum actionum. Liberum eſt enim, ſuíque juris, quod rationem habet. Proinde non vt cuique ſpeciei beſtiarum, ita omnibus hominibus vnum, idémque opus eſt. Nam illæ ſolâ naturâ moventur: quæ autem naturalia ſunt, eodem modo ſunt apud omnes. At actiones, quæ à ratione manant, aliæ apud alios ſunt, neque apud omnes eædem neceſſariò.*

Denique rationes, quas fuſiùs antea tractavimus, D. Bernardus complectitur, ſerm. 81. in Cantica. *Propterea*, inquit, *quæ ſunt carentia ratione, nihil merentur, quia ſicut deliberatione, ita & libertate carent. Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim judicium habent, quo ſe dijudicent, ſive regant: ſed ne inſtrumentum quidem judicii, id eſt, rationem. Inde eſt, quòd non judicantur, quia non judicant. Quanam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt? hanc vim à natura ſolus*

Digitized by Google

homo non patitur, & ideo ſolus inter animalia liber.

II. Assert. Libertatis ſubjectum remotum, & denominationis eſt ipſe homo. Patet, quia denominationes ſunt totius.

III. Assert. Radix libertatis eſt intellectus, ſeu libertas eſt radicaliter in intellectu.

Prob. Propoſitio indifferens, quâ objectum repræſentatur voluntati bonum, & malum in actione ipſa, & actionis ceſſatione, in amore, & odio, neceſſaria eſt ad electionem, & eſt radix libertatis formalis. Illa propoſitio fit ab intellectu repræſentante objectum ſub diverſa ratione boni, & mali, eligendi, & non eligendi. Hinc diximus libertatem objectivam ſe tenere ex parte judicii.

IV. Assert. Sedes libertatis formalis ſola voluntas.

Probatur. 1. Illa potentia ſola eſt formaliter libera, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere, vel non agere: Sola voluntas eſt ejuſmodi: ergo, &c.

Probatur 2. ex communi ſenſu Philoſophorum, qui libertatem arbitrii explicant per voluntatem; hinc Bernardo libertas eſt voluntas, & ex ſcriptura, ad quod volueris, porrige manum tuam.

3. Vel eſt in voluntate formaliter, vel in intellectu, non in intellectu, qui nec eſt liber libertate contrarietatis, nec contradictionis; non contrarietatis, quia actus contrarii intellectus ſunt aſſenſus, & diſſenſus. At intellectus ex natura ſua eſt determinatus ad aſſentiendum vero, & diſſentiendum falſo: non contradictionis, quia non poteſt ſe liberè determinare ad actum, aut ceſſa-

tionem ejus. Nam ſola potentia, quæ vult ſponte, poteſt ſe determinare ad actum, vel ceſſationem: at intellectus non vult ſponte, quia velle ſolius eſt potentiæ volitivæ, non intellectivæ. Denique ſi intellectus eſſet formaliter liber, operationes illius ante conſenſum voluntatis, eſſent bonæ, vel malæ; meritoriæ, vel demeritoriæ, & ſic qui poſt turpem cogitationem moreretur, damnaretur à Deo, quod repugnat fidei Catholicæ.

Objicies 1. Cùm rationes vtrimque probabiles ſunt, intellectus poteſt aſſentiri, vel diſſentiri: ergo eſt liber quoad ſpecificationem. 2. Indifferentia ad operandum priùs eſt in intellectu, quàm in voluntate. 3. Potentia rationalis eſt ad oppoſita: at intellectus eſt potentia rationalis.

Reſp. ad 1. nego conſeq. ſed tunc intellectus determinatur per imperium voluntatis ad aſſenſum, vel diſſenſum; hinc in actibus fidei intellectus captivatur per pium voluntatis affectum.

Ad 2. diſt. Priùs eſt indifferentia objectiva in intellectu, concedo: formalis, nego. Nam intellectus non eſt actus ſui dominus.

Ad 3. diſt. Intellectus ſe habet ad oppoſita, id eſt, poteſt judicare objectum hoc eſſe verum, & illud falſum, concedo. At ſtatim ac objectum falſum illi clarè repræſentatur, neceſſariò judicat eſſe falſum, nec poteſt judicium ſuſpendere, aut oppoſitum elicere. Id eſt, poſitis omnibus præ-requiſitis ad agendum poteſt agere, vel non agere, nego. Nam hæc prærogativa ſolius voluntatis eſt, quia eſt domina ſuorum actuum, ſéque ad agendum determinat.

Digitized by Google

Inſt. 1. Ergo eadem voluntas eſſet ſimul neceſſaria, & libera; nam agit neceſſariò circa finem, & liberè circa media.

Reſp. diſt. reſpectu ejuſdem objecti eodem modo repræſentati, nego: diverſo modo, concedo. Nam voluntas de liberè agente fit neceſſariò agens, mutato ſolo extrinſeco, v. g. voluntas Petri, quæ liberè amabat Deum in via, ſi eumdem actum in patria continuet, neceſſariò amabit.

Inſt. 2. Actus liber eſt Deo gratus ſi bonus ſit: ergo eſt in eo aliquid, quod non reperitur in actu neceſſario.

Reſp. diſt. conſeq. Aliquid morale, concedo: aliquid phyſicum, nego. Nam hoc ipſo, quòd eſt liber, poteſt imputari ad meritum, vel demeritum. Ex eo autem eſt liber, quòd ſit à cauſa libera, à qua potuit fieri vel non fieri. Itaque eadem voluntas abſque vlla mutatione intrinſeca fit de indifferente non indifferens juxta varium modum, quo objectum ei ab intellectu repræſentatur, nihilque eſt niſi morale in actione libera, quo diſtinguitur à neceſſaria.

Sed cur intellectus propoſito objecto aſſentitur, aut diſſentitur, voluntas autem manet indifferens?

Reſp. 1. Quia voluntas eſt ſui determinativa, vt eſt liberum arbitrium. 2. Quia objectum intellectus eſt veritas, veritas autem in indiviſibili poſita eſt: ergo intellectus ſemper determinatus eſt ad vnum, quoad ſpeciem actus, nempe ad aſſenſum potiùs, quàm ad diſſenſum, & è contrà. At objectum voluntatis eſt bonum, & malum. Res autem poteſt pluribus modis proponi bona,

vel mala, & vno modo bona, & alio modo mala.

§. 2. *De objecto, & fine libertatis.*

I. Assert. Libertas non eſt per ſe, & directè circa finem; poteſt tamen eſſe indirectè.

Prob. 1. pars. Libertas eſt tantùm circa ea per ſe, & directè, de quibus fit conſultatio: at nemo conſultat, ex Philoſopho, an velit eſſe felix, & beatus.

Prob. 2. pars. Quia non ſemper cogitamus de beatitudine; hinc D. Thomas, quæſt. 6. de malo, art. vnico ad 7. *Bonum*, inquit, *perfectum, quod eſt beatitudo, voluntas non poteſt non velle, ita ſcilicet quòd velit ejus oppoſitum; poteſt tamen non velle actu, quia poteſt avertere cogitationem beatitudinis.* Vides ex D. Thoma voluntatem noſtram non poſſe non velle beatitudinem quoad ſpecificationem, poſſe tamen quoad exercitium ſaltem indirectè.

II. Assert. Libertas propriè eſt tantùm circa media.

Prob. Libertas eſt poſita in electione: electio eſt circa media: ergo & libertas; hinc ſi vnicum foret medium ad finem aſſequendum, quem efficaciter intenderet, tunc non eſſet libertas circa illud medium.

Quæres an liberum arbitrium ſit tantùm præſentium, an etiam futurorum? Reſp. 1. Verſari circa futuros actus, quia cadunt ſub deliberationem, & electionem. 2. Etiam circa præſentes. Nam 1. quod eſt liberè futurum, aliquando libe-

Digitized by Google

rè fit. Actus præſentes, antequam ſint, ſunt liberè futuri: ergo dum fiunt, fiunt liberè. 2. Niſi actus præſentes Deus haberet in ſua poteſtate, non eſſet liber ab æterno circa decreta de productione mundi, quia numquam futura fuerunt reſpectu Dei. Denique meremur per actus præſentes, quia meremur, dum agimus, non antequam agamus; hinc actus præſens dicitur complere, & perficere libertatem, vt actus potentiam.

Objicies. Voluntas non eſt libera, niſi cùm poteſt impedire actionem: at non poteſt impedire actionem, cùm eſt præſens, quia quidquid eſt, quamdiu eſt, neceſſe eſt eſſe.

Reſp. nego min. Quia eodem temporis momento, & priùs naturâ, quàm voluntas operetur, poteſt non operari: ergo poteſt impedire, ne exiſtat operatio eo tempore, quo eſſe incipit. Certè priùs impedire non poteſt; non enim poteſt impedire poſteà futurum niſi per decretum tunc non operandi, cujuſmodi decretum mutari poteſt.

Ad probationem diſtinguo. Non poteſt non eſſe, quamdiu eſt, conſequenter, concedo: ſimpliciter, & abſolutè, nego. Nam priùs naturâ, quàm eliciatur actus, poteſt non elici.

Inſt. Libertas eſt circa actus, circa quos eſt conſultatio. Conſultatio eſt circa futuros: ergo & libertas. Reſp. diſt. min. Conſultatio eſt circa futuros, vt futuri ſunt, concedo: vt præſentes, nego. Itaque conſultatio eſt de futuris actibus, libertas de præſentibus.

III. Assert. Finis libertatis eſt in homine, vt operatio ſit agenti imputabilis, adeóque felicitatem, & laudem mereri poſſit. Patet ex definitione libertatis; cùm enim homo ſit dominus ſui

actus, quà liber eſt, poteſt bene, vel malè agere. Si bene agit, actio ipſi imputatur ad præmium, & laudem: ſi malè, actio imputatur ad vituperium, & pœnam.

§. 3. *Conſectaria ex dictis de libertate.*

EX probata, conſtitutáque in homine libertatis indifferentiâ ſeptem inferri poſſunt.

I. Excellentia ipſius hominis. Nam 1. ſui juris eſt, quia liber, & vna libertas violentiæ tyrannorum ſubducitur. *Corpus*, inquit Seneca 3. de benef. c. 20. *eſt, quod domino fortuna tradidit: hoc emitur, hoc venditur. Interior illa pars mancipio dari non poteſt; ab hac quidquid venit, liberum eſt.* Hinc præcipuus hominis honor, ex Euſebio, 6. præparat. cap. 5. quod dominus ſibi ipſi ſit manus, & liber, ac ſui motus judex. 2. quia libertate Deum potiſſimùm refert, qui pleniſſimè ſui juris eſt; docéntque Tertullianus 2. contra Marcion. cap. 5. & Gregorius Nyſſenus, lib. de hominis opific. cap. 4. in eo eſſe imaginem Dei perfectiſſimam, quòd *ad formam Dei ſpondentis, & arbitrii ſui libertate, & poteſtate ſignatus eſt: ſuo ex arbitrio agit omnia, meróque, & ſummo imperio, vt ipſi libet, ſemet gubernat.* Denique *arbitrii libertas*, inquit Bernard. ſerm. 81. in Cant. *planè divinum quiddam præfulgens in anima tamquam gemma in auro.*

II. Opera hominis, vt homo eſt, dicuntur magis eſſe ipſius, quàm rerum aliarum opera. Ratio petitur ex natura libertatis, quæ habet dominium in ſuos actus. Dum enim homo agit vt liber, determinat ſe ex eminentia dominii, agítque pro-

Digitized by Google

priè: res verò aliæ, quæ libertate carent, determinantur ad agendum, nec tam agunt, quàm aguntur.

III. Datur in homine honeſtas, & meritum: culpa & demeritum: merito reſpondet præmium; demerito pœna. Patet, nam ex actione liberè facta, ſi legi congruit, ſequitur honeſtas, & meritum, ex merito præmium: ſi diſſentit, culpa, & demeritum, ex demerito pœna. *Inde*, inquit Bernard. ſerm. 81. in Cant. *ad promerendum potis. Omne etenim, quod fecerit bonum, malúmve, quod quidem non facere liberum ſit, meritò ad meritum reputatur. Et vt meritò laudatur, non is tantùm, qui potuit facere mala, & non fecit; ſed & qui potuit non facere mala, & non fecit: ita malo non caret merito, tam is, qui potuit non facere mala, & fecit, quàm qui potuit facere mala, & fecit. Vbi autem non eſt libertas, nec meritum.*

IV. Dei judicis exiſtentia; valet enim vtraque hæc conſequentia; homo poteſt laudabiliter agere, & mereri præmium: ergo Deus eſt, qui remunerari poſſit. Homo poteſt malè agere: ergo Deus eſt, qui plectere poſſit. Et verò quiſquis peccat, alteri debitor eſt, tenetúrque ex lege naturæ obligatus ad pœnam propter culpam: ergo alicui ſuperiori debitor eſt, qui pœnam, vel condonare pro ſua bonitate, vel exigere pro ſuo jure poſſit; nemo enim ſibi veniam dat, & debitum remittit; ille autem ſuperior eſt Deus.

V. Summa Dei judicis ſapientia, poteſtas, & juſtitia. Sapientia, quæ opera bona, & mala diſcutiat, tot cogitata hominum, dicta, factáque ad trutinam exigat. Iuſtitia, quæ præmium, & pœ-

nam illis adæquet; apud quam proinde non gratia cujuſquam, non preces, non minæ valeant. Denique poteſtas ad remunerandum pro exigentia meritorum, aut puniendum pro gravitate ſcelerum.

VI. Præcipuum hominis præmium ſpiritale, non corporatum; quia opus hominis, quà homo eſt, ſpiritale eſt; eſt enim voluntatis partus, aut intellectus, quatenus à voluntate imperatur: ergo præmii pars potiſſima intellectum, & voluntatem debet afficere, nec proinde eſſe homini communis cum brutis, aut in divitiis conſtitui poteſt.

VII. Animæ rationalis immortalitas, beatitudo, & miſeria alterius vitæ. Probatur. Homines quamdiu hîc vivunt, merentur, vel demerentur, dum agunt liberè: ſæpè merito merces non rependitur in hac vita, nec demerito pœna; immò ſæpiùs malis bona, juſtis mala obveniunt; aliunde Deus juſtiſſimus eſt: ergo debet eſſe altera vita, in qua anima ſuperſtes præmio afficiatur, aut pœnâ: ergo ex libertate animæ illius immortalitas colligitur, & alterius vitæ exiſtentia, in qua vel beata ſit, ſi ſanctè vixerit, vel miſera, ſi impiè. Meritò itaque Origenes in Cantica exclamat. *Vbi eſt juſtitia Dei, vbi bonorum merces, ſi anima eſt mortalis?*

§. 4. *Partitio actuum voluntatis circa finem, & media.*

ACTUS voluntatis alii eliciti, alii imperati. Eliciti vel ſumuntur genericè, vel ſpecificè. Genericè ſumpti dividuntur in volitionem, & no-

Digitized by Google

litionem: ſpecificè ſumpti alii circa finem, alii circa media, vel præſentia, vel abſentia, quorum ordinem accipe ratione objecti proſecutionis.

1. Finis cognitus amorem ſui excitat in voluntate. 2. Efficax deſiderium, ſeu intentionem, dum illius poſſibilis adeptio repræſentatur. 3. Inquiſitio mediorum ſubſequitur in mente. 4. Conſultatio. 5. Iudicium, ſeu ſententia, quâ vnum aliis mediis præeligendum concluditur. 6. Conſenſus in voluntate circa medium ab intellectu propoſitum. 7. electio vnius medii. 8. vſus. 9. fruitio finis obtenti, & poſſeſſi.

Hinc tres actus voluntatis circa finem, volitio, nolitio, fruitio. Tres circa media, conſenſus, electio, & vſus. Tres denique intellectus circa media, inquiſitio, conſultatio, judicium.

Diviſio actuum voluntatis, tum circa finem, tum circa media probatur poſitis duobus principiis. Primum eſt. Bonum voluntati objicitur vel vt finis, vel vt medium. Secundum, omne bonum eſt honeſtum, jucundum, & vtile; ita vt honeſtum, & jucundum vt finis, vtile vt medium appetatur. His poſitis,

Probatur diviſio. Bonum quod eſt finis, triplici modo expeti poteſt. 1. ſimpliciter, quatenus voluntati placet; & ita circa bonum voluntas verſatur. 2. vt finis, & terminus aliorum, quæ ejus gratiâ expetuntur; & ita intentionem excitat. 3. vt bonum quietans, fructúmque afferens; & ita fruitione percipitur, quæ verſatur circa finem in executione, voluntas autem, & intentio circa finem in intentione. Denique bonum vtile, quod medium dicitur, ita occupat voluntatem, vt ei conſentiat, & à ratione præſcriptum comprobet,

vel aliis anteferat, vel ad finem conſequendum adhibeat. Primum præſtat per conſenſum, ſecundum per electionem, tertium per vſum. Hîc de actibus voluntatis circa finem breviter. Poſtea de actibus ejuſdem circa media.

§. 5. *De actibus voluntatis circa finem.*

PRIMVS eſt volitio, qui eſt actus voluntatis primus, & ſimpliciſſimus circa finem cognitum, vel vt eſt bonus in ſe, vel vt talis repræſentatur. Quare volitio æquè verſatur circa poſſibilia, & impoſſibilia, aliena, & noſtra, vt ait Ariſtoteles, lib. 3. Ethic. cap. 2. vbi voluntatem affinem quidem electioni docet eſſe, diſcrepare tamen 1. quòd voluntas ſit etiam rerum, quæ fieri non poſſunt, vt immortalitatis, non autem electio. Ratio eſt, quòd voluntas abſolutè, & velut abſtractè bonum ſpectet, electio verò ad ſingularia ſe convertat, eáque tractet, quæ reipſa fieri poſſunt. 2. Nemo eligit ea, quorum poteſtatem non habet: at volumus ſæpè, quæ in noſtra poteſtate non ſunt. Sic ſpectator in theatro vni potiùs, quàm alteri hiſtrioni palmam vult, quam tamen ipſi dare non poteſt. 3. voluntas contendit magis in vltimum, ſeu finem: electio in media. 4. ex communi forma loquendi, dicimus quidem, volumus eſſe felices, non autem eligimus eſſe felices: προαίρεσις μὲν οὐκ ἔςι τῶν ἀδυνάτων.... βούλησις δ' ἐςὶ τῶν ἀδυνάτων, οἷον ἀθανασίας. καὶ ἡ μὲν βούλησίς ἐςι, καὶ περὶ τὰ μηδαμῶς αὐτοῦ πραχθέντα ἄν. οἷον ὑποκριτήν τινα νικᾶν. προαιρεῖται δὲ τὰ τοιαῦτα οὐδεὶς, ἀλλὰ ὅσα οἴεται ἂν γενέσθαι δι' αὐτοῦ. ἔτι δὲ ἡ μὲν βούλησις τοῦ τέλους ἐςὶ μᾶλλον, ἡ δὲ προαίρεσις τῶν πρὸς τὸ τέλος, &c. Dicitur

Diciturетiam voluntas, quia eſt actus ſimpliciſſimus, & voluntati quàm ſimillimus; ſicut actus intellectus, qui eſt cognitio primorum principiorum, vocatur intellectus ab Ariſtotele: quia, inquit D. Thomas, 1. 2. quæſt. 8. art. 3. *vt ſe habent principia ad intellectum ſpeculativum; ita finis ad voluntatem, & intellectum practicum.* Denique dicitur amor, & ſic definitur ſimplex affectus, & complacentia voluntatis circa bonum vt ſic, ideóque abſtrahit à præſentia, & abſentia objecti.

Volitioni opponitur nolitio, éſtque actus voluntatis primus circa malum, ſeu alienum, ſeu noſtrum. Dixi eſſe actum, quia non eſt pura negatio volitionis, ſed actus poſitivus, ſicut odium non eſt mera negatio amoris.

Porrò volitionis hujus dotes ſunt, prima quidem, quòd ſit primus actus voluntatis circa finem: ſecunda, quòd ſit ineſſicax de ſe: tertia, abſtrahit ab omnibus mediis: quarta, tamdiu perſeverat, quamdiu voluntas operatur propter finem: quinta, illo deficiente, deficiunt etiam alii omnes actus circa finem, & media.

Secundus eſt intentio. Definitur actus voluntatis in finem vt obtinendum per media, ſeu propoſitum efficax obtinendi finem per media. dem eſt cum deſiderio efficaci finis. Cùm autem nis duo ſint propria, primum, quòd ametur ropter ſe; ſecundum, quòd alia amentur propter ipſum: ſic duplicem excitat actum in volun:te; vt eſt amabilis propter ſe, volitionem, ſeu uitionem imperfectam excitat; vt alia amantur opter ipſum, intentionem.

Primum dubium, an voluntas eodem actu finem

Digitized by Google

propter ſe ſimul, ac medium propter finem appetat? Reſpondet D. Thom. qu. 12. art. 4. motum voluntatis in finem, & in id, quod eſt ad finem ſpectari poſſe, vel vt voluntas in vtrumque fertur abſolutè, & ſecundùm ſe; & ſic ait eſſe ſimpliciter duos motus voluntatis in vtrumque. Vel vt voluntas fertur in id, quod eſt ad finem propter finem, & ſic ait eſſe vnum, & eumdem motum voluntatis, tendentem in finem, & in id, quod eſt ad finem, quia finis eſt ratio volendi ea, quæ ſunt ad finem, idem autem actus cadit ſuper objectum, & ſuper rationem objecti, ſicut eadem eſt viſio coloris, & luminis. Confirm. exemplo intellectus, qui dum abſolutè principium, & concluſionem conſiderat, per diverſos actus id præſtat. At dum aſſentitur concluſioni propter principia, vnico actu id præſtat. Denique voluntas eodem actu amoris amat finem *qui*, & finem *cui*, & amare aliquid ſibi eſt amare ſe, & objectum, non propter objectum quidem, ſed propter ſe: ergo à pari voluntas poteſt amare finem propter ſe, & media propter finem. Hinc axioma, *Intentio explicita finis, & efficax, eſt volitio implicita mediorum.*

Objicies 1. Sequeretur non eſſe diſcrimen inter intentionem, quæ eſt volitio finis, & electionem, quæ eſt volitio mediorum, quod abſurdum eſt, quia illi actus diſtinguuntur ſpecie. Reſp. Aliquando non diſtingui realiter, licèt diſtinguantur ſpecie, ſicut paſſio, & actio ſunt eadem entitas, licèt ſpecie differant.

Objicies 2. Præmiſſæ ſemper diſtinguuntur realiter à concluſione: ergo à pari amor finis ab amore mediorum. Reſp. 1. nego antec. quod falſum

Digitized by Google

eſt in diſcurſu virtuali. 2. tranſeat antecedens, nego conſequentiam. Nam aliud eſt præmiſſas à concluſione diſtingui realiter, aliud aſſenſum datum præmiſſis, & concluſioni diſtingui; quia poſſum eodem realiter aſſenſu ferri in præmiſſas, & in concluſionem, in illas implicitè, in hanc explicitè.

Inſt. Volitio finis eſt cauſa volitionis mediorum. Nam ægrotus vult ſumere potionem, quia deſiderat ſanitatem: ergo non poteſt eſſe idem cum illa, quia idem non poteſt eſſe cauſa ſui ipſius. Reſp. diſt. antec. Aliquando, concedo: ſemper, nego. Nam dum aliquis fertur in finem directè, & ſecundùm ſe, & deinde de mediis deliberat, tunc formalis volitio finis, diſtinguitur à formali volitione mediorum realiter, éſtque cauſa illius. At id non impedit, quin vnico ſimul actu voluntas poſſit ferri in media propter finem.

Secundum dubium. An detur intentio in brutis? Reſp. Perfectam non dari, quia non verſantur circa finem, vt obtinendum per media; non enim agnoſcunt relationem mediorum cum fine, vt jam demonſtravi.

Patet ex dictis in quo diſtinguatur intentio efficax à ſimplici amore, nempe quòd amor ſimplex poſſit conjungi cum negatione illorum mediorum, ſine quibus finis obtineri non poteſt; intentio autem efficax eſſentialiter conjuncta ſit cum electione mediorum, quæ ad finem neceſſaria ſunt; quia ſic actus efficax ſufficienter diſtinguitur ab inefficaci.

Tertius denique eſt fruitio. Definitur actus, quo voluntas delectatur bono poſſeſſo, & amato,

Digitized by Google

& in eo quieſcit. Dicitur actus, quo nempe vitaliter percipitur ipſa delectatio. Hinc frui cibo, non eſt tantùm illum comedere, ſed delectationem ex ipſo percipere. 2. Quo voluntas delectatur bono poſſeſſo, & amato, quia fruitio ſupponit poſſeſſionem, & amorem objecti. 3. Quieſcimus per fruitionem, quia fruitio eſt circa finem obtentum. At fine obtento ſequitur quies, quia non datur vlteriùs ire; hinc qui fruitur creaturis, peccat, quia creaturæ ſunt media, at fruitio non eſt circa media, ſed vſus. Dicitur à D. Thoma actus voluntatis circa vltimum delectabile. Tria itaque requiruntur, ad fruitionem, poſſidere objectum, amare, & delectari, vnde quies naſcitur.

Primum dubium. In quo reponenda ſit fruitio? Reſp. in eo actu, quo voluntas gaudet de bono jam poſſeſſo, & adepto. Prob. ex Auguſt. 1. de Trinit. cap. 10. *His*, inquit, *fruimur*, *in quibus voluntas delectata conquieſcit*. 2. Quia fruitio eſt veluti quies in re obtenta: at quies in re obtenta, eſt ipſa delectatio, & gaudium.

Itaque volitio eſt circa finem ſpectatum vt bonum quoddam: intentio circa finem vt obtinendum: fruitio circa obtentum, & præſens. Nam eſt actus voluntatis per modum perceptionis, non per modum tendentiæ; vnde dicitur quietatio, quia eſt actio vitalis circa bonum vt conjunctum, & præſens; hinc Auguſtinus, lib. 10. de Trinit. cap. 11. *Frui eſt cum gaudio vti, non adhuc ſpei, ſed jam rei.*

Secundum dubium. An fruitio ſit ſolius appetitus rationalis? Reſp. eſſe, ſi ſtrictè, & propriè ſumatur, quia ſola voluntas fertur in finem, vt habet habitudinem ad media. At fruitio eſt circa

Digitized by Google

finem obtentum per media. Deinde fruitio ſtricta eſt circa finem vltimum, vltra quem nullum bonum aliud eſt: at non poteſt concipere vltimum, vt vltimum, qui non poteſt concipere hunc terminum, *nullum*, adeóque hunc terminum, *omne*; quia non poteſt concipere negationem, qui non concipit formam poſitivam, quam excludit: at bruta terminum, *omne*, non poſſunt concipere: igitur nec propriè frui.

Tertium dubium. An ſolus finis ſimpliciter vltimus ſit objectum fruitionis? Reſp. eſſe objectum fruitionis perfectæ, & planè quietantis appetitum, licèt poſſit dari fruitio imperfecta circa alios fines non ſimpliciter vltimos. Ratio eſt, quòd voluntas numquam perfectè quieſcat niſi in fine ſimpliciter vltimo, vt probatum eſt; hinc fruitio dicta eſt quaſi à fructu ex D. Thoma, quia vt fructus eſt id, quod vltimum expectatur ab arbore, non flos, aut folium: ita fruitio perfecta eſt id, quod expectatur à fine ſimpliciter vltimo poſſeſſo, & obtento. Porrò finis poſſideri poteſt vel ſecundùm eſſe intentionale, vel ſecundùm eſſe reale; hinc duplex fruitio. Imperfecta circa finem cognitum, ſed non obtentum, quæ non differt ab actu primo voluntatis, qui dicitur voluntas: Perfecta circa finem realiter poſſeſſum.

§. 5. *Actus voluntatis circa media.*

TRES numerantur præcipui, electio, conſenſus, & vſus.

Electio eſt actus voluntatis, quo medium voluntas vnum præ alio amplectitur, Ariſtoteli dicitur προαιρετὸν, id eſt, præ aliis eligibile. Cla-

rius, eſt actus voluntatis, quo volumus media ad finem vtilia, quæ ſunt in noſtra poteſtate aliis relictis. Porrò electio ſic peragitur.

Primò voluntas fertur in finem per intentionem efficacem explicitè, & implicitè in media. Sed quia nulla actio fit, niſi per media determinata, & explicitè volita; ideò voluntas poſitâ intentione finis jubet, vt intellectus media inquirat per conſultationem. Quæ ideò definitur, inquiſitio mediorum, quæ ſunt in noſtra poteſtate ad finem obtinendum, itaque eſt de mediis, & quidem pluribus. Nam ſi vnicum ſit, poſita finis intentione efficaci, non eſt conſultandum. Conſultationem ſequitur conſilium, ſeu judicium determinatum, quo intellectus mediis inter ſe comparatis reſpectivè ad cauſam agentem, concludat vnum potiùs eligendum, quàm alterum. Dicitur etiam ſententia. Denique poſito judicio ſequitur conſenſus, & electio, tum vſus, & fruitio.

Hinc colliges 1. Objectum electionis eſſe in noſtra poteſtate, ideóque non verſari circa media impoſſibilia, quia non ſunt in noſtra poteſtate: vnde circa impoſſibile non eſt electio, ſed tantùm velleitas. 2. Electionem eſſe de pluribus, quia ſupponit, ſequitúrque deliberationem. At non deliberatur niſi de pluribus. Quamquam duplex diſtinguitur electio, alia impropriè dicta, quæ eſt vnius medii amor propter finem, dicitúrque electio: alia, quæ eſt vnius medii è duobus quaſi lectio, ita vt vnum præferatur alteri, dicitúrque prælectio, quæ eſt electio propriè dicta.

Primum dubium. An poſſit eſſe vnicum medium ad finem? Reſp. ad finem ſimpliciter vltimum plura eſſe neceſſaria media, quia ex D. Tho.

oportet, vt ad bonum vniverſale plura conducant media, ſicut ad centrum multæ ducuntur à circumferentia lineæ, multæ ad regiam vrbem viæ ducunt. At beatitudo eſt bonum vniverſale, centrum cordium, & caput bonorum omnium.

Reſp. 2. ad finem particularem poſſe eſſe vnicum medium, vt experientiâ conſtat. Vnde duo infero. 1. medium quatenùs medium ad finem vltimum, ſemper amari cum indifferentia, quia amatur quatenùs vni prælatum eſt. 2. medium ad finem particularem amari liberè, quia finis amatur liberè. Sed quia non amatur libertate diſtinctâ à libertate, quâ finis amatur, ideo dicitur neceſſariò amari.

Porrò cùm finis amatur efficaciter, & vnicum apparet medium, eodem amore amamus medium, quo finem. Quare impoſſibile eſt non amari illud medium, ſi finis amatur efficaciter. Vnde circa illud medium non eſt electio ſtrictè ſumpta. Audi D. Thom. 1. parte, quæſt. 19. art. 4. *Ea, quæ ſunt ad finem, non ex neceſſitate volumus, volentes finem, niſi ſint talia, ſine quibus finis eſſe non poteſt. Sicut volumus cibum, volentes conſervationem vitæ, & navim, volentes transfretare: Non ſic autem ex neceſſitate volumus ea, ſine quibus finis eſſe poteſt, ſicut equum ad ambulandum, quia ſine hoc poſſumus ire.*

Secundum dubium. An bruta eligant medium? Reſp. non eligere. Prob. Quidquid appetit brutum, appetit vt finem, & quidem clarè cognitum: ergo non eligit. Prob. 1. pars. Vel appetit vt finem, vel vt medium. Non appetit vt medium, quia non appetit vt proportionatum fini: ergo appetit vt finem, vel certè vt neceſſariò conne-

Digitized by Google

xum cum fine. Prob. 2. pars. Omnis cognitio belluarum eſt parta per ſenſus. At cognitio ſenſuum eſt clara, & intuitiva.

Hinc quando bruta præſente objecto ceſſant ab actu, non ex potentia agendi, aut non agendi ſed ex impotentia ceſſant, ideo enim non agunt, quia deeſt aliquid ex prærequiſitis ad agendum. Quare cùm erumpunt in actum, neceſſariò agunt. At contrà dum voluntas non agit poſitis prærequiſitis, id oritur ex potentia activa non agendi, aut agendi, ſeu ex dominio, quod habet in actus. Hinc ſi aſinus, vt de aſino Buridani narratur, inter duo pabula ita conſtitueretur, vt à neutro determinaretur, tunc enecaretur fame, quia non eſſet potior ratio vnius, quàm alterius: ſed caſus ille moraliter impoſſibilis eſt. Narrat tamen Medina, 1. 2. quæſt. 13. art. 2. amentem quemdam ſibi notum, licèt fame conficeretur, non potuiſſe tamen ex duobus pomis æqualiter diſtantibus alterutrum ſeligere, niſi ab altero homine applicaretur ad vnum potiùs, quàm ad alterum.

Conſenſus variè ſumitur. 1. pro concordia duorum judiciorum tum in ſpeculativis, tum in practicis. 2. pro concordia duarum voluntatum, quæ idem volunt, & idem nolunt. 3. pro actu voluntatis, quo acquieſcit judicio intellectus de mediis ad finem congruis, quo ſenſu hîc à nobis accipitur.

Sic ſumptus definitur, motus voluntatis in intellectum, vt judicantem conformiter intentioni finis amati, de mediis ad finem. Probatur 1. ex ipſa notione conſenſus; quid enim aliud eſt, quàm duorum ſimul ſenſus? Certè dum voluntas acceptat id, quod ab intellectu judicatum eſt bonum,

Digitized by Google

& in eo complacet, idem quodammodo ſentit cum intellectu; itáque illi conſentit, quia ſentire voluntatis eſt velle, & nolle. Sic duos homines conſentire dicimus, cùm quod vnus judicat, alter vult. 2. Sic diſtinguitur ab electione ſaltem formaliter. Nam electio fertur in media quatenus vtilia ſunt ad finem, vúltque efficaciter; conſenſus autem per ſimplicem complacentiam approbat judicium intellectus de mediis. Quare ſe habet conſenſus ad electionem circa media, ſicut ſimplex volitio finis ad intentionem; vt enim efficacitatem importat intentio ſupra volitionem, ita electio ſupra conſenſum. Porrò per illum conſenſum voluntas diſponitur ad promptè, & alacriter agendum, vnde quò major affectus complacentiæ, eò promptior & facilior vſus; eò autem major affectus complacentiæ, quò media per ſententiam concluſa magis voluntati arrident. *Non laboratur, vbi amatur, aut ſi laboratur, labor amatur.*

Dixi conſenſum diſtingui ſaltem formaliter ab electione, quia non ſemper opus eſt diſtingui realiter. Si enim ex multis mediis vnum duntaxat placet, tum conſenſus idem eſt cum electione realiter: ſin autem pluribus conſentimus, ſed vnum tantùm eligimus, tunc conſenſus diſtinguitur realiter ab electione.

Ex dictis duo colligo. Primum; conſenſum eſſe circa media, non circa finem, quia conſenſus eſt applicatio motus appetitivi ad id, quod conſilio judicatum eſt, ex D. Thoma quæſt. 15. art. 3. at conſilium non eſt niſi de iis, quæ ſunt ad finem. Secundum, brutis conſenſum non ineſſe, 1. quia nulla in brutis conſultatio, 2. quia

licèt habeant aliquam complacentiam circa media, & finem per modum vnius apprehenſa, non poſſunt ſibi complacentiam illam imperare, quia non habent dominium in ſuos actus. Denique conſentire eſt applicare liberè motum appetitus ad id, quod cognitione proponitur: bruta propoſitis objectis ex inſtinctu naturali determinantur, adeóque non habent in ſua poteſtate motus, quos poſſint applicare, vel non applicare.

Vſus vniverſim applicationem rei ad agendum ſonat. Sic ſcriba vtitur calamo, pictor penicillo; ille dum calamum ad ſcribendum, hic dum penicillum ad pingendum applicat. Ita voluntas dicitur vti aliis facultatibus, dum eaſdem applicat ad obeundas functiones fini comparando opportunas. Voluntatis quippe eſt applicare vires animæ, corporis membra, & inſtrumenta exteriora, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ad ſuas functiones. *Vti*, inquit Auguſtinus, lib. 10. de Trinit. cap. 11. *eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis.*

Porrò ad applicationem illam triplex potentia concurrit, ratio vt dirigens, voluntas vt primum movens, & incitans, potentia inferior, & exequens. Vſus relativè ad rationem ſpectatus, eſt imperium; vt eſt actus elicitus à voluntate movente, dicitur vſus activus, ſic velle videre eſt vſus activus oculi: velle currere, eſt vſus potentiæ motricis. Denique vt eſt operatio, vel quaſi operatio potentiæ inferioris, & exequentis, dicitur vſus paſſivus, ſeu formalis. Sic viſus eſt actus voluntatis imperatus, non elicitus, & vſus paſſivus voluntatis, quia ipſum elicit oculus de-

pendenter à voluntate, quæ viſione dicitur formaliter vti tanquam actione tranſeunte, non ſibi inhærente; hinc vides cur dicat D. Thomas *vſum eſſe voluntatis tanquam primi moventis: aliarum potentiarum tanquam exequentium*; Itaque voluntas eſt vtens tum ſe ipsâ, tum potentiis. Volitio videndi vſus activus, per quem voluntas quodammodo cauſat vſum formalem, ſeu paſſivum rei; potentia viſiva, res, quâ voluntas vtitur; ipſa denique viſio vſus formalis, ſeu paſſivus reſpectu voluntatis, à qua vt applicante potentia viſiva pendet, vt rectè obſervat Leſſius. Vſum activum D. Damaſcenus, 2. fid. c. 22. vocat *impetum*, eúmque ſubjungit electioni, quo nempe homo confert ſe ad actionem externam, ipſámque inchoat. Multi eum non diſtinguunt ab electione, niſi connotativè; electio enim dicitur actus voluntatis, vt eſt approbatio efficax medii; vt autem continuatur, vſus activus, quia actu procreat executionem.

Rem ſic definio. Cùm quis medium ita eligit, vt vi illius electionis non ipſa executio ſequatur, ſed alia voluntate ad executionem opus ſit, tum vſus activus diſtinguitur ab electione; & ita explicabis D. Thomam, dum ait vſum eſſe medium inter electionem & executionem. At cùm vi electionis factæ illico executio ſine vlla volitione intermedia ſubſequitur, tum nulla eſt diſtinctio realis, ſed formalis duntaxat. Voluntas ſe ipsâ etiam vtitur aliquando, cùm per actum antecedentem ſe ad ſubſequentem applicat, aut ſe ipſam applicat ad volendum vti aliis potentiis, nec enim minùs eſt domina ſui, quàm aliarum potentiarum. Duo hîc quæri poſſunt de vſu.

Primum an conveniat brutis. Secundum an ſit circa finem.

Ad primum Reſp. brutis propriè non convenire. Ita D. Thomas 1.2. quæſt. 16. art. 3. Ratio illius eſt, quia *vti, eſt applicare aliquod principium actionis ad actionem: applicare autem aliquid ad alterum, non eſt niſi ejus, quod habet ſuper illud arbitrium; Quod non eſt niſi ejus, qui ſcit referre aliquid in alterum, quod ad rationem pertinet, & ideo ſolum animal rationale vtitur.* Hanc doctrinam tradidit ante ipſum D. Auguſtinus lib. 83. quæſt.q.30. *Frui cibo*, inquit, *& qualibet corporali voluptate, non adeo abſurdè exiſtimantur & beſtia. Vti autem aliqua re non poteſt, niſi animal rationis particeps. Scire namque quò quidquid referendum eſt, non eſt datum rationis expertibus: nec vti poteſt quiſquam ea re, qua quò referenda ſit, neſcit.*

Ad ſecundum, diſtinguendus duplex vſus. Improprius, qui eſt actus quidam, quo voluntas verſatur circa aliquod objectum, ob aliquem finem, puta cùm quis finem refert ad poſſeſſionem ipſius finis. Proprius, qui eſt actus voluntatis applicantis medium ad finem.

Primo ſenſu vſus poteſt eſſe circa finem: ſic vtimur vltimo fine, quia voluntas per intellectum aſſumit Deum, vt ex ipſo voluptatem capere poſſit. Sic avarus dicitur vti quodammodo pecuniâ, dum pecuniam ad ipſam quodammodo poſſeſſionem refert: nam finis illius non eſt pecunia vtcumque conſiderata, ſed vt poſſidenda ab eodem. Vnde pecunia eſt finis *qui*, poſſeſſio finis *quo*; hinc explicabis D. Auguſtinum, dum ait lib. 10. de Trinit. c. 11. *frui autem eſt vti cum gau-*

Digitized by Google

dio, non adhuc ſpei, ſed rei. Proinde omnis qui fruitur, vtitur: & D. Thomam, dum ait in corp. poſſe nos vti fine vltimo, quatenus referimus ad poſſeſſionem. Vterque enim ſumit vſum latè, & impropriè.

At ſecundo ſenſu numquam vſus eſt circa finem ſed circa media, & ſic opponitur fruitioni. Quo ſenſu ſumit Auguſtinus lib. 10. de Trin. c. 10. *Fruimur*, inquit, *cognitis, in quibus voluntas ipſis propter ſe ipſa delectata conquieſcit, vtimur verò eis, quæ ad illud referimus, quo fruendum eſt. Nec eſt alia vita hominum vitioſa, atque culpabilis, quàm malè vtens, & malè fruens.* Malè autem vtitur, qui Deum amat propter creaturam, & malè fruitur, qui in creatura, vt in fine ſuo acquieſcit. Malè enim vti, eſt applicare animæ potentiam, aut rem externam ad finem, ad quem ex recta ratione applicari non debet: malè frui eſt bono aliquo malè delectari.

Porrò vt fruaris Deo, bene vtendum rebus creatis tum bonis, tum malis: vteris autem bene, ſi bonis tanquam gradibus ad Dei cognitionem, amorem, & laudem aſſurgas; malis verò tum culpæ, tum pœnæ, ſi peccatis tanquam objectis ad excitandam contritionem, & animi demiſſionem, malis verò pœnæ ad ſatisfactionem, & vitiorum remedia vtaris.

§. 6. De actu imperante, & imperato.

NEMO poteſt intelligere quid ſit actus imperans, & actus imperatus, qui non antè intelligat quid ſit imperium. Vt naturam illius aperiam, ſit

I. Observat. Imperium vt ſic eſt ordinatio inferioris facta à ſuperiore ad finem ſuum. Quare ad imperium ſuperior requiritur, qui actionem inferioris ad finem ſuum moveat, & ordinet, deinde inferior, qui obediat, nutúmque imperantis ſequatur; hinc

II. Observat. Imperium eſt neceſſariò actus potentiæ vitalis, & liberæ, quia ordinare ad finem, eſt actus naturæ intelligentis: ergo imperium non poteſt eſſe niſi vel voluntatis actus, vel intellectus, non ſpeculativi quidem, ſed practici; tendit enim ex natura ſua ad executionem operis imperati.

III. Observat. Imperium poteſt dici eſſe actus facultatis vitalis, & liberæ vel præſuppoſitivè, vel formaliter. Præſuppoſitivè quidem, quatenus prærequiritur actus illius ad imperium formale, & propriè dictum: formaliter verò, quatenus eſt principium elicitivum actus imperantis, qui eſt formale imperium. His ita obſervatis,

Tria hîc examinanda ſunt. Primum, cujus ſit facultatis imperare formaliter, an intellectus, an voluntatis. Secundum, quibus facultatibus imperetur, & quomodo. Tertium, an impoſſibile imperari poſſit, ita vt ad illud ſubditi teneantur.

I. Assertio. Imperium formaliter eſt actus intellectus, præſupponens tamen actum voluntatis. Ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 17. art. 1. Salas 1. 2. tract. 6. d. 2. n. 17. Probatur prima pars 1. authoritate Auguſtini hom. 16. ex 50. *Nec quiſquam*, inquit, *poteſt aliquid facere, aut ad aliquid faciendum membra movere, niſi primò proceſſerit juſſio cogitationis. Quomodo de interiori*

palatio quidquid juſſerit imperator, per imperium Romanum emanat, quidquid videtis agi per provincias: quantus motus ſit ad vnam juſſionem imperatoris intus ſedentis! Movet ille ſolùm labia, cùm loquitur, & movetur omnis provincia, cùm fit quod loquitur. Sic in vnoquoque noſtrûm intus eſt imperator, in corde ſedet; ſi bonus, bona jubet, & bona fiunt; ſi malus, mala jubet, & mala fiunt. 2. ex D. Thoma loco citato. *Imperans ordinat eum, cui imperat ad aliquid agendum, intimando, vel denuntiando: ſic autem ordinare per modum cujuſdam intimationis, eſt rationis.*

Ex his ſic arguo. Imperium eſſentialiter, ex D. Auguſtino, eſt *juſſio cogitationis*: ex D. Thoma intimatio, & denunciatio voluntatis ſuperioris facta inferiori: ergo imperium eſt eſſentialiter actus rationis practicæ, quo voluntas obligatoria ſuperioris exprimitur, & declaratur inferiori.

Probatur 2. ratione. Imperare enim eſt dirigere; dirigere eſt regulæ: ratio eſt regula, & dirigere pertinet ad intellectum, vt conſtat ex doctrina Ariſtotelis 10. Eth. c. 9. itaque rationis eſt imperare. Vnde Damaſcenus mentem vocat *imperatricem*.

Confirmatur 1. quia licèt ſuperior habeat voluntatem, vt aliquid fiat à ſubdito, non tamen dicitur imperare, niſi cùm ſuam intimat voluntatem. 2. Voluntas ferendæ legis non eſt lex, ſed cauſa legis duntaxat: ergo voluntas ferendi imperii non eſt imperium, ſed imperii cauſa.

Probatur ſecunda pars 1. ex D. Thoma art. 1. *Primum autem movens in viribus animæ ad exercitium actus, eſt voluntas*: intellectus autem ſe-

cundum movens: *cùm ergo ſecundum movens non moveat niſi in virtute primi moventis, ſequitur quod hoc ipſum, quòd ratio movet imperando, ſit ei ex virtute voluntatis. Vnde relinquitur, quòd imperare ſit actus rationis, præſuppoſito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.* Et verò imperium eſt locutio quædam interna, quid autem eloquitur, & denuntiat inferiori, niſi voluntatem obligatoriam ſuperioris? Ergo in omni actu imperii duplex actus intervenit, primus voluntatis, cujus eſt velle finem, ad quem ordinatur actio inferioris à ſuperiore; ſecundus intellectus, cujus eſt ordinare, & ſignificare voluntatem.

Ex dictis imperium ſpectari poteſt vt eſt in ſuperiore, & in inferiore. In ſuperiore rurſus ſpectari poteſt, vt eſt in voluntate, vel vt eſt in intellectu, vel vt eſt in voce. Primo ſenſu, eſt voluntas obligandi. Secundo, eſt actus rationis practicæ, quo voluntas ſuperioris intimatur, & declaratur inferiori, dicendo mentaliter *fac hoc, iſtud omitte.* Tertio, eſt locutio externa, quâ ſuperior mentem ſuam, & voluntatem declarat, ideóque eſt quædam ſignificatio imperii his, aut ſimilibus verbis expreſſa, fac hoc: iſtud omitte, quæ orationes imperativæ æquivalent iſtis: ego volo, vt iſtud facias: ego volo, vt iſtud omittas.

In inferiore dicit actum judicii, quo agnoſcit imperium ſibi à ſuperiore injunctum, voluntatem eidem obſequendi, denique ipſam executionem, quâ imperium quodammodo completur.

Patet item ex 2. parte aſſertionis, quomodo Auguſtinus explicari debeat, dum 4. de civit. c. 6. ait quondam arbitria Principum populis pro

Digitized by Google

legibus fuiſſe. Item Tullius, dum lib. 1. de legib. legem ab electione, & delectu dictam affirmat; nempe quia imperium ſupponit actum voluntatis obligantem, cujus eſt quædam denunciatio.

II. Assert. Brutis imperium non convenit. Hæc aſſertio ſequitur ex prima, & eſt D. Thomæ art. 2. Probatur. Imperare eſt actus rationis ordinantis; in brutis nulla eſt ratio ordinans: ergo nec imperium; hinc bruta ſe movent ad opus ex inſtinctu naturæ, & ab alio ad agendum ordinantur: homines autem ſe movent ad opus per ordinationem rationis, ideóque ſe ordinant ad finem vt obſervat D. Thomas.

§. 7. *Diluuntur Obiecta.*

Obiicies 1. Imperium nec eſt apprehenſio, nec judicium, nec diſcurſus. Ergo non eſt operatio intellectus, quia triplex eſt tantùm operatio intellectus ex Logica.

Reſp. diſt. conſ. Non eſt operatio intellectus ſpeculativi, concedo: practici, ſeu præcipientis, nego. At in Logica diviſimus operationes intellectus ſpeculativi, non practici. Certè operatio illa, quâ intellectus educit ſpecies intelligibiles ex phantaſmatis, non eſt vna ex tribus allatis; ſed pertinet ad intellectum practicum. Porrò imperii objectum eſt actus ille, qui vel præcipitur, vel prohibetur, ita tamen vt huic actui nullum prædicatum propriè tribui poſſit, ſed is tantùm vel faciendus, vel omittendus denuncietur; hinc eſt, quòd imperia non efferantur per indicativum modum, ſed imperativum, nec propriè vera, aut falſa ſint, quare non falſum dixit Deus imperans

Abrahamo filii cædem, nec falſum dicunt ſuperiores, qui ad probandam inferiorum obedientiam aliquid injungunt, quod ab iiſdem fieri nolint.

Objicies 2. Imperare ejuſdem eſt facultatis, cujus eſt ſubditos ad obſequium compellere; ſed vis compellendi tribuitur voluntati.

Reſp. nego min. Nam ad obſequium compellitur ſubditus vel obligando ad pœnam, niſi pareat: vel pœnam exigendo, cùm non paruit. At neuter modus voluntati formaliter tribuitur; non primus, quia eſt formaliter in intellectu, & præſuppoſitivè in voluntate: non ſecundus, quia pœna à potentia externa infligitur.

Inſt. Nobilioris potentiæ eſt imperare: voluntas eſt potentia nobilior intellectu: ergo voluntatis eſt imperare.

Reſp. nego min. Licèt enim ſit nobilior in ratione moris, non eſt tamen nobilior in ratione entis. Cæca eſt, intellectus luminoſiſſimus: dirigitur, intellectus dirigit, & regula eſt.

Inſt. 2. Voluntas aliis potentiis imperat; Ergo etiam intellectus.

Reſp. 1. Voluntatem non imperare reliquis potentiis formaliter, ſed præſuppoſitivè; intellectum verò formaliter imperare, quatenus ex ejus motione imperium concipit. Reſp. 2. Imperium voluntatis, ſi quod ſit in alias potentias, eſſe tantùm metaphoricum; eſt enim quidam actus, quo poſito potentiæ reliquæ erumpunt in actum. At hoc imperii genus ſine denunciatione fit. Certè hoc modo voluntas ſibi imperare poteſt, cùm tamen nemo ſibi propriè imperet ex D. Thoma.

Objicies 3. Imperium eſt tantùm ejus faculta-

Digitized by Google

tis, cujus nutu ſubditi moventur: at ſolius voluntatis nutu moventur ſubditi.

Reſp. Per nutum vel intelligis affectum voluntatis, vel ſignum hujus affectus, quod eſt denunciatio interna facta ſubdito per ſuperiorem. Si primo modo ſumis, nego majorem: ſi ſecundo, concedo majorem, & nego minorem.

Objicies 4. Imperium in eo poſitum eſt, quod eſt aptum ad faciendum quemdam ſyllogiſmum ex D. Thoma: actus intellectus imperativo modo expreſſus, fac hoc, non eſt aptus ad faciendum quemdam ſyllogiſmum, quia nihil affirmat, aut negat: ergo, &c.

Reſp. diſt. mai. Imperium aptum eſt ad faciendum ſyllogiſmum ſtrictè ſumptum, nego: latè ſumptum concedo. Certè valet hæc conſecutio Pariſiis vade Romam. Ergo vade Lugdunum. Reſpondeo 2. Multas fieri propoſitiones in mente legiſlatoris, quarum imperium eſt veluti concluſio. v. g. antequam legiſlator legem ferat, ſolent præcedere hi actus. 1. Cognitio boni communis, propter quod fit imperium. 2. Inquiſitio, & conſultatio mediorum ad bonum commune. 3. Iudicium, quo vnum ex mediis alteri præfertur. 4. Conſenſus. 5. Electio, quibus voluntas approbat, quod eſt ab intellectu propoſitum. 6. Lex fertur ab intellectu, & imperium, quia reliqui actus non habent vim obligandi.

Objicies 5. Intimatio voluntatis, quâ ſuperior vult aliquid fieri, non eſt imperium, ſed imperii ſignum: Ergo imperium non eſt actus intellectus. Probo antecedens. Intimatio exterior & vocalis non eſt imperium: ergo nec interna, quia vtraque differt tantùm, quòd hæc propiùs vo-

luntatem ſuperioris attingat.

Reſp. Nego parit. & ejus prob. Non enim externa intimatio eſt ſignum legis, quia eſt ſignum voluntatis ſuperioris ſaltem immediatè, ſed quia eſt ſignum intimationis internæ, quæ eſt formaliter imperium.

Objicies 6. Præcepta Dei in ſcripturis vocantur paſſim voluntas Dei, item apud Iuriſperitos, quod Principi placuit, legis habet vigorem, vt dicitur l. 1. ff. de conſtitut. Princip. Ergo lex, & imperium ſunt actus voluntatis.

Reſp. 1. In his ſcripturæ locis tantùm intelligi beneplacita Dei, quibus conſulit, non imperat. Reſp. 2. Hinc tantùm ſequi imperium eſſe actum voluntatis præſuppoſitivè, non formaliter.

§. 8. *Quibus potentiis imperetur.*

I. Observ. Dvplex imperium, aliud δεσποτικὸν ſeu herile: aliud πολιτικὸν, ϗ βασιλικὸν civile, ſeu regium. Ita Ariſtoteles 1. polit. cap. 3. Herile exercetur in ſervos, vt ſervi ſunt; ſervus autem eſt, cui nullum eſt jus, nec poteſtas per ſe agendi. Huic imperio reſpondet obedientia ſervilis. Politicum exercetur in cives, vt cives ſunt; civis autem jus habet in republica, cujus eſt pars, ideóque Magiſtratui non eſt abſolutum jus imperandi civibus ad libitum, ſed cùm boni publici ratio duntaxat exigit.

II. Observ. Quæſtio hîc inſtitui poteſt de voluntate vel reſpectu ſui ipſius, vel reſpectu aliarum potentiarum, nempe intellectus, appeti-

tus ſentientis, imaginationis, facultatum animæ vegetantis, & membrorum externorum, de quibus hæc accipe.

Primum. Voluntas poteſt ſibi imperare aliquos actus. Probatur. Quidquid eſt in noſtra poteſtate, poteſt imperari: voluntatis actus aliqui ſunt in noſtra poteſtate: ergo aliqui actus voluntatis poſſunt imperari. Certè voluntas non minùs domina eſt ſuorum actuum, quàm actuum aliarum potentiarum: ergo perinde ſibi ejuſmodi actus, quorum domina eſt, voluntas imperare poteſt, atque actus aliarum facultatum.

Confirmatur. Nam ſive imperium ſit locutio interna, ſive volitio efficax, vtroque modo voluntas ſibi imperare poteſt. Quid enim repugnat volūntatem ſe ipſam per locutionem excitare ad amorem, aut ad ſpem, aut actum alio actu directè velle, & ita per vnum actum ſe movere, & applicare ad alium actum exercendum, v. g. cùm dicit voluntas, volo amare Deum?

Porrò actus voluntatis dicuntur imperati, qui ex vi volitionis antecedentis voliti ſunt, quia hac vna ratione actus aliarum potentiarum imperari dicuntur. Vnde duo infero: primum, voluntatis actum primum imperari non poſſe, quia nullus primum antecedit, ex cujus vi ſequatur: ſecundum, actum virtutis cujuſlibet tum internum, tum externum poſſe imperari à qualibet virtute. Ratio eſt, quia quilibet actus bonus poteſt directè eſſe volitus ex affectu virtutis. Sic ex affectu charitatis poteſt quis velle actus tum internos, tum externos aliarum virtutum v. g. temperantiæ, & juſtitiæ.

Secundum. Quinam actus intellectus impera-

Digitized by Google

ri poſſint? Vt reſpondeam, obſervandum ex Leſſio actum intellectus ſpectari poſſe vel ſecundùm exercitium, vel ſecundùm ſpeciem. Rurſus actus ſecundùm ſpeciem ſpectari poteſt vel vt eſt apprehenſio nuda objecti, vel vt eſt judicium de objecto evidenter verum, vel evidenter falſum, vel obſcurum. His obſervatis,

Reſpondeo 1. Actum aliquem intellectus imperari poſſe quoad exercitium, ſi cognoſcitur vtilis ad aliquem finem, & ſit in poteſtate voluntatis. Sic ex amore gloriæ menti ſtudium imperatur. Sic magiſter imperat diſcipulo ſtudium, aut attentionem.

Dixi, ſi ſit in poteſtate voluntatis. Nam actus intellectus, qui à Deo immittuntur, aut ex objecto per mentem apprehenſo inſtinctu naturali eliciuntur, imperari nequeunt, quia non eſt in noſtra poteſtate ex Auguſtino, quibus viſis tangamur, aut quid menti occurrat. Poſſumus tamen mentem ab illis viſis, aut cogitatis avocare, cùm ad eadem advertimus.

Reſp. 2. Apprehenſionem objecti ſecundùm ſuam ſpeciem imperio voluntatis non ſubeſſe. Non enim eſt in poteſtate voluntatis, quòd intellectus canem v. g. ſic potiùs apprehendat, quàm aliâ ratione; id enim pendet partim ab objecto, partim ab intellectus lumine, qui objectum ex natura ſua apprehendit, vt eidem objicitur.

Reſp. 3. In rebus evidenter veris, vt primis principiis, eorùmque concluſionibus, aut in rebus evidenter falſis judicium non ſubeſſe imperio ſecundùm ſpeciem actus. Patet, quia intellectus non poteſt ferri in verum evidenter ſibi notum,

Digitized by Google

niſi per aſſenſum, nec in falſum, vt tale cognitum, niſi per diſſenſum.

Reſp. 4. In rebus nec veris, nec falſis manifeſtè, ſed obſcuris aſſenſum intellectus ex voluntatis nutu, arbitrióque pendere; vt in rebus fidei, aut in objectis, quæ probabilia duntaxat apparent. In his autem vim magnam habet voluntatis propenſio, vt jam obſervavi; efficit enim, vt veroſimiliora appareant. Debent tamen vtrimque apparere rationes, quæ ſpeciem veri aliquam præ ſe ferant; alioqui voluntas aſſenſum, aut diſſenſum ab intellectu non obtinebit, v. g. quòd aſtra ſint paria, aut imparia.

Reſp. 5. Non omnem actum intellectus imperari poſſe. Patet de aſſenſu, & diſſenſu circa objectum evidenter verum, aut falſum. Deinde prima cogitatio, quam de aliqua re formamus, non imperatur, aliter daretur proceſſus in infinitum, quia ante quemlibet actum intellectus aliquis actus voluntatis imperantis prærequireretur, & ante quemlibet actum voluntatis præire debet actus intellectus, quia voluntas non fertur in incognitum.

Tertium. Quibus potentiis voluntas deſpoticè imperet? Reſpondeo potentiæ locomotrici membrorum externorum, quia citra repugnantiam illi obſequuntur, vtpote inſtrumenta voluntatis ad operationes perfectè ſubordinata, niſi fortè morbo, aut vi aliqua externa præpediuntur. Confirmatur. In motibus, qui fiunt à potentia motiva, ſpectari poteſt ſubſtantia, & modus, quo fiunt, ſeu directio: at ſecundùm vtrumque rationi, & voluntati ſubſunt. Subſtantia enim tota eſt à potentia motrice, quæ voluntati

præſto eſt ad nutum; directio autem fit à ſenſibus, qui voluntati, & rationi etiam obediunt.

Quartum. Quibus potentiis politicè imperet. Reſpondeo, imaginationi, quæ ſæpe objecto ſuo adcò pertinaciter adhæret, vt ægrè inde avelli poſſit. 2. Appetitui ſenſitivo, quia ſequitur apprehenſionem imaginationis, atque adeò ſæpius rationi obſiſtit; hinc Ariſtoteles 1. polit. cap. 3. ait animam imperare corpori deſpoticè, intellectum verò appetitui civiliter vt jam obſervavi. Ratio diſcriminis eſt, quòd quælibet functio membrorum immediatè pendeat à vi motrice, quam voluntas immediatè applicat; appetitus autem ſentiens propriam habeat operationem, ad quam naturaliter excitatur propoſito ſibi per imaginationem objecto. Itaque licèt voluntati abſolutè imperanti vtcumque obediat, renititur tamen ſæpe per quoſdam actus inefficaces, qui ſi diutiùs perſtent, voluntatem à bono propoſito abducunt, & ad conſenſum tandem pertrahunt.

Porrò motus partis inferioris imperio voluntatis difficilè tolli poſſunt, præſertim cùm objectum præſens eſt, ſenſúmque vehementiſſimè commovet. Item cùm magna humorum copia, ac ſpirituum vis cietur, & ad imaginationem affluit vberiùs, vt contingit in præcipiti iræ æſtu. Denique cùm cauſa extrinſeca, Angelus v. g. aut Dæmon imaginationem occupat, vehementiúſque commovet. Tunc enim cohibere animi motus turbatos voluntas vix poteſt, quia vim imaginandi moderari nequit, ex qua commotio appetitus pendet; eſt tamen penes voluntatem, quamdiu ſui compos eſt animus, motus ejuſmodi

ita

Digitized by Google

ita reprimere vt in actum completum non exeant, nempe ſi non conſentiat. Ratio eſt, quia complere ejuſmodi actus pertinet ad potentiam dirigentem: ergo quamdiu voluntas obnititur, nullum peccatum eſt, motúſque illi manent inefficaces, inquit Leſſius.

Removentur, ſedantúrque appetitiones illæ, vel ipſam imaginationem aliis objectis applicando, vel conſenſum conſtanter denegando malo, quod proponitur voluntati, blandiúſque titillat, vel denique divinam opem implorando, quæ niſi nobis præſens adſit, in tanta ſpirituum, & humorum commotione, tam conſtanti dæmonis aggreſſione, ac pertinacia, tam rapacibus illecebris voluntas victa ſuccumbet. Quid enim ſupereſt *niſi, vt quo adjuvante vincimus, eodem non opitulante vincamur?* inquit S. Leo.

Quintum. Quomodo animæ vegetanti quoad operationes phyſicas imperet? Reſpondeo per ſe nullatenus imperare. Ratio eſt, quia ejuſmodi facultatum operationes nec ſunt apprehenſio aliqua, nec ſequuntur apprehenſionem, ſed vim merè naturalem, vt pote nobis cum plantis communes. Et verò non pendet à voluntate mea directè, & per ſe, vt nutriar, & creſcam, dum cibis optimis vtor. Idem de pulſu cordis, & arteriarum judicium eſto, licèt ab anima ſentiente oriantur.

Subduntur tamen animæ vegetantis functiones voluntati ſaltem indirectè, quia pendet à me cibum ſumere, aut reſpuere.

Digitized by Google

§. 8. *Deus impoſſibilia non jubet.*

HÆc doctrina eſt SS. PP. contra Ianſenium, ejúſque fautores.

Probatur 1. ex D. Hieronymo lib. 3. adverſus Pelagium. *Deus*, inquit, *poſſibilia mandavit; hoc nulli dubium eſt.* 2. ex Tridentino, cap. 11. ſeſſ. 6. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat vt poſſis.* Qui Canon videtur deſumptus ex D. Auguſt. lib. de natura & gratia cap. 43.

Probatur 2. ratione. Nemo ſapiens juſſerit fieri aliquid ab aliquo, quod nullatenus implere poſſit: Nemo ſervum, qui cæcus ſit, jubeat intueri: aut qui fractis ſit pedibus, currere, niſi fortè Tyrannus. Ex quibus ſic argumentor, & gratiæ ſufficientis neceſſitatem adſtruo. Deus non præcipit impoſſibilia, quia intendit, vt fiat quod præcipit: multa præcepta homini ſine gratia actuali, vtpote ſupernaturalis ordinis, ſunt impoſſibilia naturæ viribus, & tamen imponuntur à Deo: Ergo cùm Deus illa imponat, dat gratiam, quâ poſſint impleri.

2. Multi præcepta illa non implent, ſed violant: Ergo gratia, quam Deus illis tribuit, caret ſuo effectu, adeóque manet in ordine gratiæ purè ſufficientis.

3. Deus non movet me, & hortatur, vt orem, niſi offerat gratiam, quâ orare poſſim: Deus movet me, & hortatur, vt orem ex Tridentino, & Auguſtino: Ergo offert gratiam, quâ orem.

Confirmatur ex Auguſt. 5. de verbis Domini

cap. 4. *Qui enim*, inquit, *hortatur*, *& dicit tibi, pete, quære, pulſa: qui petit accipit, quærens invenit, pulſanti aperitur: hortatur vt petas; Negabit quod petis?*

Colliges 1. Etiam ſi non daretur gratia ſufficiens ad agendum, tamen dari ad orandum, vt egregiè probant P. Bagotius & D. le Moine Doctor Sorbonicus. 2. Si aliquod præceptum eſſet impoſſibile, inobſervantiam ejus non imputandam ad culpam, quia nemo in eo peccat, quod caveri non poteſt.

Reſpondet Ianſenius, diſtinguendo. Deus non præcipit id, quod eſt impoſſibile remotè, concedit; id quod eſt impoſſibile proximè, & completè negat. Nempe quadruplicem modum diſtinguit, quo præcepta Dei dicantur impoſſibilia. 1. Remotiſſimè per ſolam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum, & malum. 2. Minùs remotè per fidem, quâ qui præditus eſt, carere poteſt dilectione Dei, & actuali Dei gratiæ ope. 3. Magis propinquè per charitatem, quâ homo fit juſtus, & dicitur Deum poſſe diligere. Vbi per fidem, & charitatem habitualem, eam intelligit, quâ etiam præditus amens dicitur poſſe ſervare mandata, licèt liberè iiſdem vti non poſſit. 4. Proximè, & completiſſimè, quando S. Spiritus inſpiratione ſic voluntas præparatur, vt non nudè poſſit, ſed etiam velit, quod fit tantùm per gratiam actualem, ſine qua vel maxima charitas habitualis non poteſt erumpere in actum.

Hæc porrò actualis gratia non tantùm dat poſſe, ſi velis, ſed & velle, quod potes; hoc autem poſſe completiſſimè, quo res ipſa agitur, eſt

proprius effectus non fidei, aut charitatis habitualis, ſed illius actualis gratiæ, quam Chriſtus attulit hominibus infirmis per crucem ſuam. Deinde ſubjicit, quocumque poſſibilitatis modo ex illis tribus primis homo poſſit præcepta Dei facere, ſatis eſſe, vt ſi non fecerit, ſit inexcuſabilis. His poſitis diſtinguit, Deus non præcipit id, quod eſt impoſſibile remotè, id eſt vno è tribus modis primis allatis, concedit: id quod eſt impoſſibile completiſſimè & proximè, hoc eſt quarto modo, negat:

Contrà. Deus nihil præcipit homini juſto, quin habeat potentiam proximam completam vel ad orandum, vel ad operandum per gratiam actualem: at ſi valeret ſolutio Ianſenii, Deus præciperet juſto non habenti potentiam proximam, & completam, niſi daret gratiam ſufficientem actualem: Ergo non ſufficit triplex poſſibilitas Ianſeniana.

Probatur major ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. *Nihil homini præcipit Deus, quin moneatur, & facere, quod poſſit, & petere, quod non poſſit*: ergo, quin, præter naturam fidem, & charitatem habitualem recipiat actualem inſpirationem, quia illa admonitio ſine intrinſeca inſpiratione intelligi non poteſt. Ratio eſt, quòd exterior admonitio non arceat impoſſibilitatem præcepti implendi ex Auguſt. lib. de ſpir. & litt.

Confirmatur. Certè loqueretur ineptè, qui præcipiens homini truncato pedibus, vt ambulet, diceret, non tibi impoſſibile impero, quia imperando galeam tibi præbeo. An galea dat ambulandi facultatem?

Probatur 3. A pari præceptum faciendæ elec-

moſynæ impoſſibile eſt non habenti pecuniam, aut modum illius habendæ, implere, quamvis habeat manum: ergo à pari præceptum divinum habenti naturam, fidem, & charitatem habitualem manet adhuc ſimpliciter impoſſibile, niſi gratia actualis detur. Ergo ſicut non imponitur præceptum faciendæ eleemoſynæ homini non habenti pecuniam, aut modum illius obtinendæ, licèt habeat facultatem naturalem: ita præceptum faciendæ juſtitiæ aut charitatis exercendæ homini non debet imponi habenti naturam, fidem, & charitatem habitualem, niſi habeat gratiam actualem, vel ſaltem illius obtinendæ adjumentum, nempe orationem. Sed hæc ad Theologos.

Poſtularet ordo doctrinæ vt de principiis Morum acquiſitis hoc eſt de habitibus: deinde de directivis ſeu de legibus: denique de ſupernaturalibus, hoc eſt gratia, ageremus. Sed quæſtionem de habitibus ad diſputationem de virtute in communi remittimus; de legibus in Politicis agemus; de gratia viderint Theologi.

APPENDIX.

Quomodo ritè facienda electio.

PERMAGNI ad omnem vitæ rationem intereſt bene eligere, tum quia ex Philoſopho l. 3. Ethic. cap. 2. οἰκειότατον τῇ ἀρετῇ προαίρεσις, electio conjunctiſſima virtuti, & maximè fa-

miliaris; immò *virtus electio quædam eſt, aut certè in ea conſiſtit id quod eſt præcipuum virtutis, aut moris*, ex 8. Ethic. c. 13. tum quia qualis quiſque ſit, ex electione intima certiùs multò, quàm ex actione externa judicamus: nam probus ne ſis, an improbus, non tam ex factis, quæ fallere poſſunt, quàm ex animo, quo facta diſcernuntur, metiri ſolemus. Quare operæ pretium viſum eſt de methodo electionis ritè faciendæ pauca præſcribere; Et quoniam ſpectari poteſt ratione eorum, quæ vel præcedunt, vel comitantur, vel ſequuntur ipſam, juxta doctrinam antè traditam. Primò de iis, quæ electionem antevertunt. Tum de ipſa, & iis, quæ eidem annexa. Denique de iis, quæ ſequuntur, diſſerendum.

§. 1. *De iis quæ electionem antevertunt.*

ELECTIONEM antevertunt tria; cognitio finis, amor & intentio efficax, & conſultatio. Circa primum ſit

1. ASSERT. Vt rite fiat electio, finis cognoſci perfectè debet. Probat Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 2. ἆρ' οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις αὐτοῦ μεγάλην ἔχει ῥοπήν. Itaque ad vitam cognitio ipſius (nempe finis) momenti multùm habet. Rationem ſubjungit, quòd finis ſit quaſi ſagittarii ſcopus, quò ſpectare quiſque, & collineare maximè debet, ne quid in agendo peccet, & quò certiùs honeſtum, quod expetit, faciliùſque conſequatur. Sagittarius, niſi ſcopum ſedulò meditetur, rectà nonniſi temerè collineabit, ſed procul aberrabit; ita qui finem, ad quem contendit, non apprimè noverit, non aſſequetur vſquam,

nec proinde totius vitæ actiones rite ordinabit; *cognitio quippe finis eſt vitæ humanæ ordinatio*, non formaliter quidem ſed cauſativè, *& ratio eorum, quæ ſunt ad finem, ſumitur ab ipſo fine.* Deinde finis movet per modum illecebræ; illecebra autem, quò perfectiùs voluntati applicatur, eò potentiùs allicit, ac prolectat: applicatur perfectiùs per cognitionem perfectam: itaque vt ritè fiat electio, finis perfectè cognoſci debet. Denique nemo ſapienter elegit, qui non antè ſedulò deliberarit: nemo ſedulò deliberat, qui media fini aſſequendo paria non implicitè velit: nemo vult implicitè media, qui finem non efficaciter intendat: nemo efficaciter finem intendit, qui finem non perfectè cognovit, ignoti enim nulla cupido; hinc pronunciatum Ariſtotelis 1. Rhetor. cap. 8. *finis cognoſcendus eſt eligenti ea, quæ ſunt ad finem.* Ex quibus

Patet 1. cur Scriptura, & Sancti Patres frequentiùs moneant, paſſimque inculcent, vt quis maturè deliberet, prudentérque eligat, finem debere ſeriò meditari. Eccleſiaſtici 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Deuteron. 22. *Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent;* quam ſententiam Bernardus Epiſt. 292. his verbis illuſtrat: *Vtinam ſaperes, quæ Dei ſunt; intelligeres, quæ mundi ſunt; provideres, quæ inferni ſunt; profectò horreres inferna, ſuperna appeteres, quæ ſunt mundi, contemneres.* Certè cùm finis ſit primum principium practicum, ex quo (non ſecùs ac in ſpeculativis ex principiis ſcientia deducitur) tota actionum noſtrarum praxis dimanat; quò cognitio illius perfectior, eò

perfectior ſequitur operatio.

II. Assert. Vt perfecta cognitio finis ſit, debet eſſe 1. actualis, 2. diſtincta, 3. particularis. Actualis, quia nemo operatur ex habituali cognitione, ſed ex actuali, quæ menti præluceat, & vim finis illecebroſam detegat eidem, & commonſtret; diſtincta, in dubia & maligna luce nemo niſi temerè ſcopum attingat. Adde quòd, etiam qui peccat, ex confuſa cognitione finis agit, quâ beatitudinem, & immunitatem à miſeriis affectat; nec tamen ideò veram beatitudinem conſequitur, quia in vmbra, & regione mortis quærit. Denique particularis, quâ ſcias hunc, ad quem tendis finem, non naturæ tantùm rationalis, ſed tuum eſſe, ad quem hîc & nunc eniti, & contendere debeas: ratio eſt, quia cognitio finis practica eſſe debet. Sola autem cognitio particularis, quæ hunc finem à me hîc, & nunc obtinendum mihi proponat, movet ad opus; hinc Ariſtotelis effatum 6. Ethic. cap. 2. *Propter finem particularem & determinatum operatur, qui operatur, & non finem indeterminatum, & vniverſalem.* Ex quibus

Inferes 1. homini perfectam electionem ſtatus vitæ meditanti, finem non leviter, & quaſi in tranſitu delibandum ſed penetrandum intimè, atque adeò animo iterum, ac ſæpius retractandum, non modò vt terminum, in quo deſinat, ſed vt ſcopum, ad quem tendere debeat. Ratio eſt, quia nec habitualis, nec confuſa, nec generalis finis cognitio ſufficit. 2. ad plenam cognitionem finis, prodeſſe multùm virtutem; vitium obeſſe haud parum; *finem* quippe *talem ponimus* ex 3. Ethic. c. 5. *Quales ipſi ſumus*, *nec*

perfectè judicat de fine niſi vir bonus. Ex 6. Eth. c. 5. *Illi autem*, inquit Philoſophus, *qui aut voluptate, aut dolore corruptus eſt, principium non ſtatim apparebit, neque cujus causâ, atque ob id omnia eligi, & agi oportere, vitium enim ejuſmodi eſt, vt principium corrumpat.*

III. Assert. Ex cognitione perfecta finis ſequitur amor in voluntate, qui eſt complacentia circa finis ipſius bonitatem, & quidem neceſſaria, ſi ſit finis vltimus, qui vtpote ſummum bonum, ita ſuaviter voluntatem rapit ad ſeſe, vt ab ejus amore ceſſare nemo poſſit, qui ſemel norit, ſive probus ſit, ſive improbus, beatus aut damnatus, ſed hic amor beatum non facit, quia communis omnibus, etiam improbis.

IV. Assert. Ex cognitione finis perfecta non tantùm amor ſimplex, ſed intentio ſequitur, ſeu amor efficax, qui eſt actus voluntatis in finem vt obtinendum per media: quare hæc duo judicia ſupponit in mente. Primum, finis hic mihi comparandus eſt. Secundum, quidquid mihi ad hunc finem obtinendum, neceſſarium eſt, ſive facile, ſive arduum, præſtandum eſt; quâ enim neceſſitate finem intendo, eâdem neceſſe eſt me velle media, ideóque non deliberatur de fine, aut de mediis vniverſim ſumptis, ſed de his, aut illis in particulari. Vnde

Patet, qui ſeriò intendit finem ſuum aſſequi vltimum hoc ipſo implicitè velle fugere quæcumque ab ipſo avocant, cujuſmodi ſunt peccata, eáque adhibere præſidia, quæ fini comparando idonea ſint; qui ſecus faciat, non ſeriò intendere. Nempe ex amore efficaci finis ſequitur imperium, quo mens ad media conquirenda applice-

ri poſſint? Vt reſpondeam, obſervandum ex Leſſio actum intellectus ſpectari poſſe vel ſecundùm exercitium, vel ſecundùm ſpeciem. Rurſus actus ſecundùm ſpeciem ſpectari poteſt vel vt eſt apprehenſio nuda objecti, vel vt eſt judicium de objecto evidenter verum, vel evidenter falſum, vel obſcurum. His obſervatis,

Reſpondeo 1. Actum aliquem intellectus imperari poſſe quoad exercitium, ſi cognoſcitur vtilis ad aliquem finem, & ſit in poteſtate voluntatis. Sic ex amore gloriæ menti ſtudium imperatur. Sic magiſter imperat diſcipulo ſtudium, aut attentionem.

Dixi, ſi ſit in poteſtate voluntatis. Nam actus intellectus, qui à Deo immittuntur, aut ex objecto per mentem apprehenſo inſtinctu naturali eliciuntur, imperari nequeunt, quia non eſt in noſtra poteſtate ex Auguſtino, quibus viſis tangamur, aut quid menti occurrat. Poſſumus tamen mentem ab illis viſis, aut cogitatis avocare, cùm ad eadem advertimus.

Reſp. 2. Apprehenſionem objecti ſecundùm ſuam ſpeciem imperio voluntatis non ſubeſſe. Non enim eſt in poteſtate voluntatis, quòd intellectus canem v. g. ſic potiùs apprehendat, quàm aliâ ratione; id enim pendet partim ab objecto, partim ab intellectus lumine, qui objectum ex natura ſua apprehendit, vt eidem objicitur.

Reſp. 3. In rebus evidenter veris, vt primis principiis, eorúmque concluſionibus, aut in rebus evidenter falſis judicium non ſubeſſe imperio ſecundùm ſpeciem actus. Patet, quia intellectus non poteſt ferri in verum evidenter ſibi notum,

niſi per aſſenſum, nec in falſum, vt tale cognitum, niſi per diſſenſum.

Reſp. 4. In rebus nec veris, nec falſis manifeſtè, ſed obſcuris aſſenſum intellectus ex voluntatis nutu, arbitrióque pendere; vt in rebus fidei, aut in objectis, quæ probabilia duntaxat apparent. In his autem vim magnam habet voluntatis propenſio, vt jam obſervavi; efficit enim, vt veroſimiliora appareant. Debent tamen vtrimque apparere rationes, quæ ſpeciem veri aliquam præ ſe ferant; alioqui voluntas aſſenſum, aut diſſenſum ab intellectu non obtinebit, v. g. quòd aſtra ſint paria, aut imparia.

Reſp. 5. Non omnem actum intellectus imperari poſſe. Patet de aſſenſu, & diſſenſu circa objectum evidenter verum, aut falſum. Deinde prima cogitatio, quam de aliqua re formamus, non imperatur, aliter daretur proceſſus in infinitum, quia ante quemlibet actum intellectus aliquis actus voluntatis imperantis prærequireretur, & ante quemlibet actum voluntatis præire debet actus intellectus, quia voluntas non fertur in incognitum.

Tertium. Quibus potentiis voluntas deſpoticè imperet? Reſpondeo potentiæ locomotrici membrorum externorum, quia citra repugnantiam illi obſequuntur, vtpote inſtrumenta voluntatis ad operationes perfectè ſubordinata, niſi fortè morbo, aut vi aliqua externa præpediuntur. Confirmatur. In motibus, qui fiunt à potentia motiva, ſpectari poteſt ſubſtantia, & modus, quo fiunt, ſeu directio: at ſecundùm vtrumque rationi, & voluntati ſubſunt. Subſtantia enim tota eſt à potentia motrice, quæ voluntati

præſto eſt ad nutum; directio autem fit à ſenſibus, qui voluntati, & rationi etiam obediunt.

Quartum. Quibus potentiis politicè imperet. Reſpondeo, imaginationi, quæ ſæpe objecto ſuo adeò pertinaciter adhæret, vt ægrè inde avelli poſſit. 2. Appetitui ſenſitivo, quia ſequitur apprehenſionem imaginationis, atque adeò ſæpius rationi obſiſtit; hinc Ariſtoteles 1. polit. cap. 3. ait animam imperare corpori deſpoticè, intellectum verò appetitui civiliter vt jam obſervavi. Ratio diſcriminis eſt, quòd quælibet functio membrorum immediatè pendeat à vi motrice, quam voluntas immediatè applicat; appetitus autem ſentiens propriam habeat operationem, ad quam naturaliter excitatur propoſito ſibi per imaginationem objecto. Itaque licèt voluntati abſolutè imperanti vtcumque obediat, renititur tamen ſæpe per quoſdam actus inefficaces, qui ſi diutiùs perſtent, voluntatem à bono propoſito abducunt, & ad conſenſum tandem pertrahunt.

Porrò motus partis inferioris imperio voluntatis difficilè tolli poſſunt, præſertim cùm objectum præſens eſt, ſenſúmque vehementiſſimè commovet. Item cùm magna humorum copia, ac ſpirituum vis cietur, & ad imaginationem affluit vberiùs, vt contingit in præcipiti iræ æſtu. Denique cùm cauſa extrinſeca, Angelus v. g. aut Dæmon imaginationem occupat, vehementiúſque commovet. Tunc enim cohibere animi motus turbatos voluntas vix poteſt, quia vim imaginandi moderari nequit, ex qua commotio appetitus pendet; eſt tamen penes voluntatem, quamdiu ſui compos eſt animus, motus ejuſmodi

ita

ita reprimere vt in actum completum non exeant, nempe ſi non conſentiat. Ratio eſt, quia complere ejuſmodi actus pertinet ad potentiam dirigentem: ergo quamdiu voluntas obnititur, nullum peccatum eſt, motúſque illi manent inefficaces, inquit Leſſius.

Removentur, ſedantúrque appetitiones illæ, vel ipſam imaginationem aliis objectis applicando, vel conſenſum conſtanter denegando malo, quod proponitur voluntati, blandiúſque titillat, vel denique divinam opem implorando, quæ niſi nobis præſens adſit, in tanta ſpirituum, & humorum commotione, tam conſtanti dæmonis aggreſſione, ac pertinacia, tam rapacibus illecebris voluntas victa ſuccumbet. Quid enim ſupereſt *niſi, vt quo adjuvante vincimus, eodem non opitulante vincamur?* inquit S. Leo.

Quintum. Quomodo animæ vegetanti quoad operationes phyſicas imperet? Reſpondeo per ſe nullatenus imperare. Ratio eſt, quia ejuſmodi facultatum operationes nec ſunt apprehenſio aliqua, nec ſequuntur apprehenſionem, ſed vim merè naturalem, vt pote nobis cum plantis communes. Et verò non pendet à voluntate mea directè, & per ſe, vt nutriar, & creſcam, dum cibis optimis vtor. Idem de pulſu cordis, & arteriarum judicium eſto, licèt ab anima ſentiente oriantur.

Subduntur tamen animæ vegetantis functiones voluntati ſaltem indirectè, quia pendet à me cibum ſumere, aut reſpuere.

§. 8. *Deus impoſſibilia non jubet.*

HÆc doctrina eſt SS. PP. contra Ianſenium, ejúſque fautores.

Probatur 1. ex D. Hieronymo lib. 3. adverſus Pelagium. *Deus*, inquit, *poſſibilia mandavit; hoc nulli dubium eſt.* 2. ex Tridentino, cap. 11. ſeſſ. 6. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat vt poſſis.* Qui Canon videtur deſumptus ex D. Auguſt. lib. de natura & gratia cap. 43.

Probatur 2. ratione. Nemo ſapiens juſſerit fieri aliquid ab aliquo, quod nullatenus implere poſſit: Nemo ſervum, qui cæcus ſit, jubeat intueri: aut qui fractis ſit pedibus, currere, niſi fortè Tyrannus. Ex quibus ſic argumentor, & gratiæ ſufficientis neceſſitatem adſtruo. Deus non præcipit impoſſibilia, quia intendit, vt fiat quod præcipit: multa præcepta homini ſine gratia actuali, vtpote ſupernaturalis ordinis, ſunt impoſſibilia naturæ viribus, & tamen imponuntur à Deo: Ergo cùm Deus illa imponat, dat gratiam, quâ poſſint impleri.

2. Multi præcepta illa non implent, ſed violant: Ergo gratia, quam Deus illis tribuit, caret ſuo effectu, adeóque manet in ordine gratiæ purè ſufficientis.

3. Deus non movet me, & hortatur, vt orem, niſi offerat gratiam, quâ orare poſſim: Deus movet me, & hortatur, vt orem ex Tridentino, & Auguſtino: Ergo offert gratiam, quâ orem.

Confirmatur ex Auguſt. 5. de verbis Domini

Digitized by Google

cap. 4. *Qui enim*, inquit, *hortatur*, *& dicit tibi, pete, quære, pulſa: qui petit accipit, quærens invenit, pulſanti aperitur: hortatur vt petas*; *Negabit quod petis?*

Colliges 1. Etiam ſi non daretur gratia ſufficiens ad agendum, tamen dari ad orandum, vt egregiè probant P. Bagotius & D. le Moine Doctor Sorbonicus. 2. Si aliquod præceptum eſſet impoſſibile, inobſervantiam ejus non imputandam ad culpam, quia nemo in eo peccat, quod caveri non poteſt.

Reſpondet Ianſenius, diſtinguendo. Deus non præcipit id, quod eſt impoſſibile remotè, concedit; id quod eſt impoſſibile proximè, & completè negat. Nempe quadruplicem modum diſtinguit, quo præcepta Dei dicantur impoſſibilia. 1. Remotiſſimè per ſolam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum, & malum. 2. Minùs remotè per fidem, quâ qui præditus eſt, carere poteſt dilectione Dei, & actuali Dei gratiæ ope. 3. Magis propinquè per charitatem, quâ homo fit juſtus, & dicitur Deum poſſe diligere. Vbi per fidem, & charitatem habitualem, eam intelligit, quâ etiam præditus amens dicitur poſſe ſervare mandata, licèt liberè iiſdem vti non poſſit. 4. Proximè, & completiſſimè, quando S. Spiritus inſpiratione ſic voluntas præparatur, vt non nudè poſſit, ſed etiam velit, quod fit tantùm per gratiam actualem, ſine qua vel maxima charitas habitualis non poteſt erumpere in actum.

Hæc porrò actualis gratia non tantùm dat poſſe, ſi velis, ſed & velle, quod potes; hoc autem poſſe completiſſimè, quo res ipſa agitur, eſt

proprius effectus non fidei, aut charitatis habitualis, ſed illius actualis gratiæ, quam Chriſtus attulit hominibus infirmis per crucem ſuam. Deinde ſubjicit, quocumque poſſibilitatis modo ex illis tribus primis homo poſſit præcepta Dei facere, ſatis eſſe, vt ſi non fecerit, ſit inexcuſabilis. His poſitis diſtinguit, Deus non præcipit id, quod eſt impoſſibile remotè, id eſt vno è tribus modis primis allatis, concedit: id quod eſt impoſſibile completiſſimè & proximè, hoc eſt quarto modo, negat:

Contrà. Deus nihil præcipit homini juſto, quin habeat potentiam proximam completam vel ad orandum, vel ad operandum per gratiam actualem: at ſi valeret ſolutio Ianſenii, Deus præciperet juſto non habenti potentiam proximam, & completam, niſi daret gratiam ſufficientem actualem: Ergo non ſufficit triplex poſſibilitas Ianſeniana.

Probatur major ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. *Nihil homini præcipit Deus, quin moneatur, & facere, quod poſſit, & petere, quod non poſſit*: ergo, quin, præter naturam fidem, & charitatem habitualem recipiat actualem inſpirationem, quia illa admonitio ſine intrinſeca inſpiratione intelligi non poteſt. Ratio eſt, quòd exterior admonitio non arceat impoſſibilitatem præcepti implendi ex Auguſt. lib. de ſpir. & litt.

Confirmatur. Certè loqueretur ineptè, qui præcipiens homini truncato pedibus, vt ambulet, diceret, non tibi impoſſibile impero, quia imperando galeam tibi præbeo. An galea dat ambulandi facultatem?

Probatur 3. A pari præceptum faciendæ elee-

Digitized by Google

moſynæ impoſſibile eſt non habenti pecuniam, aut modum illius habendæ, implere, quamvis habeat manum: ergo à pari præceptum divinum habenti naturam, fidem, & charitatem habitualem manet adhuc ſimpliciter impoſſibile, niſi gratia actualis detur. Ergo ſicut non imponitur præceptum faciendæ eleemoſynæ homini non habenti pecuniam, aut modum illius obtinendæ, licèt habeat facultatem naturalem: ita præceptum faciendæ juſtitiæ aut charitatis exercendæ homini non debet imponi habenti naturam, fidem, & charitatem habitualem, niſi habeat gratiam actualem, vel ſaltem illius obtinendæ adjumentum, nempe orationem. Sed hæc ad Theologos.

Poſtularet ordo doctrinæ vt de principiis Morum acquiſitis hoc eſt de habitibus: deinde de directivis ſeu de legibus: denique de ſupernaturalibus, hoc eſt gratia, ageremus. Sed quæſtionem de habitibus ad diſputationem de virtute in communi remittimus; de legibus in Politicis agemus; de gratia viderint Theologi.

APPENDIX.

Quomodo ritè facienda electio.

PERMAGNI ad omnem vitæ rationem intereſt bene eligere, tum quia ex Philoſopho l. 3. Ethic. cap. 2. οἰκειότατον τῇ ἀρετῇ προαίρεσις, electio conjunctiſſima virtuti, & maximè fa-

miliaris; immò *virtus electio quædam eſt, aut certè in ea conſiſtit id quod eſt præcipuum virtutis, aut moris*, ex 8. Ethic. c. 13. tum quia qualis quiſque ſit, ex electione intima certiùs multò, quàm ex actione externa judicamus: nam probus ne ſis, an improbus, non tam ex factis, quæ fallere poſſunt, quàm ex animo, quo facta diſcernuntur, metiri ſolemus. Quare operæ pretium viſum eſt de methodo electionis ritè faciendæ pauca præſcribere; Et quoniam ſpectari poteſt ratione eorum, quæ vel præcedunt, vel comitantur, vel ſequuntur ipſam, juxta doctrinam antè traditam. Primò de iis, quæ electionem antevertunt. Tum de ipſa, & iis, quæ eidem annexa. Denique de iis, quæ ſequuntur, diſſerendum.

§. 1. *De iis quæ electionem antevertunt.*

ELECTIONEM antevertunt tria; cognitio finis, amor & intentio efficax, & conſultatio. Circa primum ſit

I. ASSERT. Vt rite fiat electio, finis cognoſci perfectè debet. Probat Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 2. ἆρ' οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις αὐτοῦ μεγάλην ἔχει ῥοπήν. Itaque ad vitam cognitio ipſius (nempe finis) momenti multùm habet. Rationem ſubjungit, quòd finis ſit quaſi ſagittarii ſcopus, quò ſpectare quiſque, & collineare maximè debet, ne quid in agendo peccet, & quò certiùs honeſtum, quod expetit, faciliùſque conſequatur. Sagittarius, niſi ſcopum ſedulò meditetur, rectà nonniſi temerè collineabit, ſed procul aberrabit; ita qui finem, ad quem contendit, non apprimè noverit, non aſſequetur vſquam,

Digitized by Google

nec proinde totius vitæ actiones rite ordinabit; *cognitio quippe finis eſt vitæ humanæ ordinatio*, non formaliter quidem ſed cauſativè, *& ratio eorum, quæ ſunt ad finem, ſumitur ab ipſo fine.* Deinde finis movet per modum illecebræ; illecebra autem, quò perfectiùs voluntati applicatur, eò potentiùs allicit, ac prolectat: applicatur perfectiùs per cognitionem perfectam: itaque vt ritè fiat electio, finis perfectè cognoſci debet. Denique nemo ſapienter elegit, qui non antè ſedulò deliberarit: nemo ſedulò deliberat, qui media fini aſſequendo paria non implicitè velit: nemo vult implicitè media, qui finem non efficaciter intendat: nemo efficaciter finem intendit, qui finem non perfectè cognovit, ignoti enim nulla cupido; hinc pronunciatum Ariſtotelis 1. Rhetor. cap. 8. *finis cognoſcendus eſt eligenti ea, quæ ſunt ad finem.* Ex quibus

Patet 1. cur Scriptura, & Sancti Patres frequentiùs moneant, paſſimque inculcent, vt quis maturè deliberet, prudentérque eligat, finem debere ſeriò meditari. Eccleſiaſtici 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Deuteron. 22. *Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent;* quam ſententiam Bernardus Epiſt. 292. his verbis illuſtrat: *Vtinam ſaperes, quæ Dei ſunt; intelligeres, quæ mundi ſunt; provideres, quæ inferni ſunt; profectò horreres inferna, ſuperna appeteres, quæ ſunt mundi, contemneres.* Certè cùm finis ſit primum principium practicum, ex quo (non ſecùs ac in ſpeculativis ex principiis ſcientia deducitur) tota actionum noſtrarum praxis dimanat; quò cognitio illius perfectior, eò

Digitized by Google

perfectior ſequitur operatio.

II. Assert. Vt perfecta cognitio finis ſit, debet eſſe 1. actualis, 2. diſtincta, 3. particularis. Actualis, quia nemo operatur ex habituali cognitione, ſed ex actuali, quæ menti præluceat, & vim finis illecebroſam detegat eidem, & commonſtret; diſtincta, in dubia & maligna luce nemo niſi temerè ſcopum attingat. Adde quòd, etiam qui peccat, ex confuſa cognitione finis agit, quâ beatitudinem, & immunitatem à miſeriis affectat; nec tamen ideò veram beatitudinem conſequitur, quia in vmbra, & regione mortis quærit. Denique particularis, quâ ſcias hunc, ad quem tendis finem, non naturæ tantum rationalis, ſed tuum eſſe, ad quem hîc & nunc eniti, & contendere debeas: ratio eſt, quia cognitio finis practica eſſe debet. Sola autem cognitio particularis, quæ hunc finem à me hîc, & nunc obtinendum mihi proponat, movet ad opus; hinc Ariſtotelis effatum 6. Ethic. cap. 2. *Propter finem particularem & determinatum operatur, qui operatur, & non finem indeterminatum, & univerſalem.* Ex quibus

Inferes 1. homini perfectam electionem ſtatus vitæ meditanti, finem non leviter, & quaſi in tranſitu delibandum ſed penetrandum intimè, atque adeò animo iterum, ac ſæpius retractandum, non modò vt terminum, in quo deſinat, ſed vt ſcopum, ad quem tendere debeat. Ratio eſt, quia nec habitualis, nec confuſa, nec generalis finis cognitio ſufficit. 2. ad plenam cognitionem finis, prodeſſe multùm virtutem; vitium obeſſe haud parum; *finem* quippe *talem ponimus* ex 3. Ethic. c. 5. *Quales ipſi ſumus*, *nec*

perfectè judicat de fine niſi vir bonus. Ex 6. Eth.c.5. *Illi autem*, inquit Philoſophus, *qui aut voluptate, aut dolore corruptus eſt, principium non ſtatim apparebit, neque cujus causâ, atque ob id omnia eligi, & agi oportere, vitium enim ejuſmodi eſt, vt principium corrumpat.*

III. Assert. Ex cognitione perfecta finis ſequitur amor in voluntate, qui eſt complacentia circa finis ipſius bonitatem, & quidem neceſſaria, ſi ſit finis vltimus, qui vtpote ſummum bonum, ita ſuaviter voluntatem rapit ad ſeſe, vt ab ejus amore ceſſare nemo poſſit, qui ſemel norit, ſive probus ſit, ſive improbus, beatus aut damnatus, ſed hic amor beatum non facit, quia communis omnibus, etiam improbis.

IV. Assert. Ex cognitione finis perfecta non tantùm amor ſimplex, ſed intentio ſequitur, ſeu amor efficax, qui eſt actus voluntatis in finem vt obtinendum per media: quare hæc duo judicia ſupponit in mente. Primum, finis hic mihi comparandus eſt. Secundum, quidquid mihi ad hunc finem obtinendum, neceſſarium eſt, ſive facile, ſive arduum, præſtandum eſt; quâ enim neceſſitate finem intendo, eâdem neceſſe eſt me velle media, ideóque non deliberatur de fine, aut de mediis vniverſim ſumptis, ſed de his, aut illis in particulari. Vnde

Patet, qui ſeriò intendit finem ſuum aſſequi vltimum hoc ipſo implicitè velle fugere quæcumque ab ipſo avocant, cujuſmodi ſunt peccata, eáque adhibere præſidia, quæ fini comparando idonea ſint; qui ſecùs faciat, non ſeriò intendere. Nempe ex amore efficaci finis ſequitur imperium, quo mens ad media conquirenda applice-

tur, vnde intentio dicitur oculus mentis tralatitiè, quia ſicut per oculum motus, & actiones hominis diriguntur: ita per intentionem actiones humanæ in certum finem tendunt. At

V. Assert. Intentio efficax finis, redditur inefficax per accidens ex duplici principio. 1. Ex levi, & obſcura cognitione finis. 2. Ex affectu voluntatis inordinato, quo creaturæ adhæret.

Probatur. Finis ſe habet vt motor, voluntas vt mobile: porrò inter motorem, & mobile debet eſſe proportio, mobile enim ita affici debet à motore, vt ejus impulſum ſequatur: motor aliquando movet lentè, aliquando celeriter; tunc lentè movet, cùm leviter applicatur vis motrix; leviter autem applicatur per levem, & confuſam cognitionem bonitatis, quæ eſt in fine: aliunde licèt voluntati vis motrix finis perfectè per cognitionem applicetur, adeóque ſit celerrimè movens in actu primo, tamen non movet in actu ſecundo, quia voluntas, vtpote difficile mobilis, reſiſtit ob amorem efficacem creaturæ, quo à finis proſecutione retardatur; duo enim amores efficaces circa objecta oppoſita, cujuſmodi ſunt Deus & creatura, ſtare ſimul non poſſunt: ergo quamdiu ſtabit amor efficax creaturæ, amor efficax Dei vt finis vltimi nunquam erit, nec conſequenter mediorum electio recta. Quare ſit

VI. Assertio. Vt vtrique huic incommodo occurras, bonitas finis, ad quam aſpiras, animo iterum ac ſæpius verſanda, vt jam monui, aut ſi nota ſit, exuendus omnis affectus erga creaturam inordinatus, voluntas à jugo concupiſcentiæ, quo hæret oppreſſa, eſt liberanda, nam ex Philoſopho vt electio ritè fiat, oportet ratio-

nem eſſe veram, & appetitum rectum. διὰ ταῦτα τόν τε λόγον ἀληθῆ εἶναι, καὶ τὴν ὄρεξιν ὀρθὴν, εἴπερ ἡ προαίρεσις σπουδαία. Porrò ratio fit vera tum cognitione perfectâ finis, tum maturâ deliberatione; appetitus autem rectus negativè, & poſitivè. Negativè, habitibus vitiorum radicitùs avulſis, & cupiditatibus repreſſis: poſitivè per virtutes, quibus erga finem, & media bene afficitur, & ad ſanè judicandum de fine, & mediis propendet.

Ex hoc gemino fonte oritur perturbatio ordinis, qui inter finem, & media eſſe debet, *& perverſitas, quæ vtendis fruitur, & vtitur fruendis*; cùm enim animus leviter ad finem attendit, aut nimio plus, quàm par ſit, creaturæ adhæret, vel finem non cognoſcit in ratione finis, vel licèt cognoſcat, & meliora videat, deteriora tamen ex perverſo affectu ſequitur, nec recta tendit in Deum, ſed obliquè ad ſe trahit, eúmque mediis ſubordinat juxta placitum jam citatum, *qualis vnuſquiſque eſt, talis ei finis videtur*, quòd confirmat Philoſophus 3. Ethic. cap. 4. vbi probat, vt quilibet diſpoſitus eſt, ita ei bonum videri: *dicendum quidem ſimpliciter & revera verum bonum eſſe, quod cadit ſub voluntatem, vnicuique verò appetibile id, quod videtur: igitur viro bono id, quod ſecundùm veritatem eſt: improbo autem id, quod fortè contingit.*

Illuſtrat mentem ſuam pulcherrima comparatione, quam repetit à corporibus hominum vario modo ſe habentibus, & ex habitibus, qui variè animum afficiunt. Vt enim corporibus bene conſtitutis, probéque valentibus ea ſunt ſalubria, quæ verè, & ſuapte naturâ ſemper talia ſunt; ægris autem, ac morbidis longè diverſa

ſunt ſalubria; quin etiam ita variantur ſenſus aliquando, vt quæ prius dulcia fuere, amara jam; & quæ frigida, jam calida videantur: ſic probitas animi in cauſa eſt, cur aliorum voluntas in id feratur, quod verè, ſuâque naturâ ſemper eſt bonum; improbitas verò, cur aliorum voluntas in id tendat, quod bonum reipſa non eſt, ſed propter animi morbum, corruptionémque judicii bonum eſſe judicatur: itáque in dignoſcendis, ac dijudicandis rebus vir bonus, & moderatus multùm valet, conſulendúſque proinde eſt ὥσπερ κανὼν καὶ μέτρον αὐτῶν ὤν, quaſi regula, & menſura rerum omnium ipſe ſit.

VII. Assert. Sequitur conſultatio, quæ eſt diligens quædam inquiſitio de mediis ad finem conſequendum idoneis. Ex voluntate quippe generali naſcitur ſtudium inquirendi, & deliberatio, in qua ſpectatur materia, ſeu objectum, quod in deliberationem cadit, & forma ſeu ordo, quo facienda. De materia hos canones præſcribo.

1. Objectum deliberationis non eſt finis, ſed medium, ita Ariſtoteles l. 3. Ethic. cap. 3. *non de finibus, ſed de iis, quæ ſunt ad finem, deliberamus.* Ratio eſt, quia finis ſe habet in agibilibus, ſicut principium in ſpeculabilibus; hinc non conſultat medicus, an ægrotum ſanare, nec orator, an perſuadere debeat; vtrumque enim pro certo habent, ac ponunt ambo. Deinde electio non eſt de fine, ergo nec conſultatio, patet conſequentia; nam *eligibile & conſultabile ſunt idem.* Probatur antecedens. Electio enim eſt ex concluſione ſyllogiſmi practici, in quo finis locum habet præmiſſarum, ſeu principiorum: at concluſio ſyl-

logiſmi practici ſemper eſt de mediis, quia concluditur ſemper nobis eſſe agendum.

11. Medii, de quo deliberatur, dotes iſtæ ſint. 1. Bonum ſit, quia finis præſupponitur bonus, cui proinde medium debet congruere. 2. Non repentinum; nam id, de quo deliberandum eſt, proviſum eſſe debet, repentina autem provideri non poſſunt, quia præter ſpem, expectationémque veniunt. 3. Non rarò contingens, ſecùs ſpes deliberando ſæpiùs falleretur, & malum rarò eveniens nos ſæpiùs torqueret. 4. Non fortuitum; fortuita enim caſus regit, non prudentia. 5. Non præteritum, quod enim ſemel admiſſum, coërceri, reprimíque non poteſt. 6. Non neceſſarium, ſed ſæpius contingens, *quid enim attinet repugnare natura, nec quidquam ſequi, quod aſſequi non poſſis?* 7. In noſtra poteſtate ſit; id autem in noſtra poteſtate eſſe cenſetur, quod per nos ipſi, vel per amicos, vel per miniſtros perficere poſſumus. 8. Ad nos pertineat, nam de alienis conſultare curioſum. 9. Majoris ſit momenti, cujuſmodi eſt, vſus bonorum, teſtamenta, matrimonia, &c. ſed potiſſimùm ſtatus vitæ, quia præcipuum eſt ad ſalutem conſtituendam adjumentum, & multa habet annexa ſibi gratiarum præſidia, quibus haud dubiè ſpoliantur, qui ipſum non ſequuntur; hinc Tullius lib. 1. *de officiis. Nam cùm in omnibus, quæ aguntur ex eo modo, quo quiſque natus eſt, quid deceat exquirimus: tum in tota vita conſtituenda multò eſt ejus rei cura major adhibenda, vt conſtare in vita perpetuitate poſſimus nobiſmetipſis, nec in vllo officio claudicare.* Quid quòd multæ gratiæ, quæ ex congruentia cum illo ſtatu fuiſſent efficientes

Digitized by Google

cùm proportio, & congruentia deſit, ſufficiunt quidem per ſe ad opus., at nihil efficiunt? Vnde ſalutis conſtituendæ maxima difficultas, ac plerumque deſperatio: aut certè nonniſi plurimis laboribus, & contentionibus maximis tanta difficultas & quidem à paucis ſuperatur. Quare ſi quid peccatum in delectu ſtatus, erratúmque ſemel eſt, alios ex aliis parit errores errorum ferax hic primus error; fieri enim non poteſt, inquit Philoſophus 5. Politic. cap. 1. *vt ex primo errore in principio commiſſo non eveniat ad extremum aliquid mali.* Rationem reddit Problem. ſection. 10. quæſt. 15. *Principium enim rei cujuſque maximum eſt, quippe quod rei dimidium ſit:* & 1. de cœlo, *Parvus error in principio, fit maximus in fine*: è contrà ſi maturâ deliberatione ſtatum ineas, ad quem te Deus deſtinavit, næ tu ſaluti tuæ optimè, & facillimè conſulis juxta illud Pſal. 80. *Si populus meus audiat me Iſraël, ſi in viis meis ambulaſſet, pro nihilo forſan inimicos eorum humiliaſſem.* Cur autem? *tum quia principio comperto facile eſt adjicere, & coaptare reliquum.* 2. Elench. c. 9. tum quia vberrimas Deus, & maximè congruas vltro largitur gratias, quibus finem non ægrè conſequatis. De materia conſultationis hactenus ſatis, jam de forma, & ordine.

III. Conſultatio tres actus complectitur, 1. inquiſitionem mediorum, eámque accuratam, 2. comparationem eorumdem inter ſe, ex qua major vnius præ alio ad finem conſequendum opportunitas appareat. 3. decretum, ſive ſententiam, quâ vnum alteri præfertur per judicium practicè practicum.

Inquiſitioni officit ignorantia ex parte intellectus; comparationi, & ſententiæ peculiaris affectus ex parte voluntatis, cui intellectus in ferenda ſententia quaſi conſiliarius corruptus adblanditur ac favet; hinc

IV. Removenda ignorantia vel proprio marte, vel conſultoris ope, præſertim vbi res agitur majoris momenti, nec enim vnus vir, inquit Euripides, videt omnia εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ᾽ ὁρᾷ. Proprio marte ritè conſultatio peragitur, cùm partim nativâ mentis ſagacitate, partim affluente cœlitus luce diligenter vndique media conquiruntur. Ope conſultoris, ſi prudens, probus, fidelis, invidiæ, & odii expers; nec enim *cum fatuis conſilium habendum*, & aliunde *conſilia impiorum fraudulenta*. Adde quòd ſtulti eſt gratis decipi tum maximè velle, cùm ab errore liberari debeas; maligni vltro ac ſponte eos conſultores reclamante conſcientia adhibere, quorum conſiliis veritatem noveris opprimendam.

V. Affectus quoque pravi exuendi planè ſunt. 1. Quia officiunt indifferentiæ in conſultando neceſſariæ; habet enim rationem medii quilibet affectus, atque adeo immutat objectum. Medium denſius aliter objectum exhibet intuenti, aliter rarius. Quidquid per vitrum rubrum tranſpexeris, rubro ſuffuſum colore apparebit, ita quidquid aliqua affectum cupiditate animum ſubibit, tum judicium immutabit, vnde error in deliberando, & conſilia peſſima. Saül Davidis fortunæ invidus, de eo ſanè judicavit numquam: Iudæi odio in Chriſtum accenſi, quàm præpoſtera de ejuſdem miraculis, & doctrina tulere judicia? 2. Deliberans, non quid ipſe velit, inquirat, ſed

quid velle debeat, aut quid Deus velit, quod vt noſſe queat, quid ipſe cupiat, nihil intereſt. Quare vt animus ritè deliberet, & ſtatum indifferentiæ deliberando opportunum aſſequatur, procul ab omni cupiditate eſſe debet. Sed quia inquiſitionem perinde ac conſultationem juvat opportunitas tum temporis, tum loci, præſertim cùm de ſtatu vitæ agitur, ſit

VI. Tempus aliud extraordinarium, aliud ordinarium. Extraordinarium eſt, cùm Deus nobis nec opinantibus deliberandi mentem injicit, itáque nutu ſuo tam potenter impellit, rapítque derepente, vt de vi divini impulſus nulla ampliùs cauſa dubitandi ſuperſit: vel certè cùm interno conſolationum ſenſu delinitus animus ſuaviter ad deliberandum allicitur, excitatúrque à Deo non ſemel. Ordinarium, quod idem & ſecurius, tunc eſt, cùm animus ſui compos, ſuíque juris exigentibus præſertim rei domeſticæ ratione, & ætate, & prælucente finis vltimi cognitione diligentiùs ratiocinio inquirit, quid maximè valeat ad ejuſmodi finem: immiſſa identidem cœlitus lumina explorat ſolerter, ne quid fraudis ſubſit, ac doli, & ducem ſemper rationem divinitus illuſtratam ſequitur, quare ad id animi tranquillitas ſumma requiritur.

VII. Locus itaque ab arbitriis remotus ſit. Secedendum enim à turba, vt quem vitæ curſum ſequi potiſſimùm velimus, eò maturiùs, quò tranquilliùs deliberemus. Væ mundo à ſtrepitu, inquit D. Bernardus.

VIII. Factâ inquiſitione vel vnicum eſt medium, vel plura; ſi vnicum ſit, ceſſare debet omnis deliberatio, quia non opus comparatione,

Digitized by Google

ejúſque appetitio planè neceſſaria eſt, aut certè conſultatio duntaxat fieri debet de modo, vel tempore, vel aliis circumſtantiis, juxta quas vſurpari debeat; hinc ſi plura ſunt media, eáque neceſſaria penitus, nullâ opus deliberatione. Ideóque nemini adulto deliberandum, ſi ſaluti ſuæ conſultum velit, an mandata Dei ſervare debeat, aut ſi lethaliter peccarit, pœnitendum. Si plura, hinc

IX. Neceſſitas comparationis, ſeu συγκρίσεως ſuboritur, quâ inter ſe componuntur. Porrò in mediis illis ſpectanda, 1. Subſtantia. 2. Quantitas. 3. Qualitas.

Circa ſubſtantiam cautio hæc ſit, vt non tantùm de adjunctis ſed de ipſa ſubſtantia deliberatio fiat; hinc peccant multi, dum de vnis circumſtantiis, non de capite rei conſultant, v.g. non quærunt, an magiſtratum adire debeant, ſed qualem; an bellum ſuſcipere, ſed quale, & contra quos debeant.

Circa quantitatem, ſeu numerum valet monitum Ariſtotelis 2. de cœlo, *quò pauciora ſunt media, eò faciliùs finis acquiritur*, addiderim ego, & ordinatiùs, nam multitudo confuſionem parit, & laborem; quare examinandum, quæ ſint adiaphora, aut mala, eáque rejicienda, quò vtiliorum comparatio meliùs fieri poſſit.

Denique qualitas poſtulat, vt per σύγκρισιν examines, an ſint honeſta, aut inhoneſta, facilia, an difficilia, poſſibilia, an impoſſibilia, vt poſſibilia impoſſibilibus, faciliora difficilioribus, honeſtiora minùs honeſtis anteferas. Quare

X. Diſcutienda vtique, & ſi fieri poteſt, pervidenda mediorum proportio, & opportunitas,

cujus triplex reſpectus, primus ad finem, ſecundus ad deliberantem, tertius vnius medii ad alia. Ideóque penetranda intimè vis, & poteſtas trium iſtarum vocum, *mihi*, *finis*, *&* *medium*. Ratio eſt, quia deliberanti finis non proponitur abſtractè, ſed vt ab ipſo, & ipſi acquirendus, nec media propter ſe, ſed propter finem amabilia. Huic obfuit medium ad finem, quod alteri profuit. Saülem juvabant arma contra Philiſtæos pugnantem, quæ Davidi contra Goliat pugnaturo obfuiſſent, quia minùs congrua.

Videndum itaque ecquis finis ſit, ad quem tendimus, an ſupra naturæ limites, an intra ejuſdem terminos ſit. Si primum, terrenum nihil, & humanum juvat admiſcere, vtpote fini ſupernaturali impar, & minimè congruum, hinc non affinitatis, non cognationis tum habenda ratio, cùm de fine ſupernaturali agitur, ſed præſidiorum duntaxat æternorum, quæ ejuſmodi fini conſentiunt.

Deinde ex parte deliberantis, quis, & qualis ipſe ſit, diſpiciendum acriter, quod ingenium ipſius, qui mores, & affectiones, quæ itidem virtutes, & vitia, quò denique ſua quemque ducat, rapiátque natura, æquus ſui judex, & prudens æſtimator diligentiùs ponderabit; naturæ enim præſidia, ſi quæ ſint, ad ſtatum, de quo fit conſultatio, gratia non reſpuit, ſed aſciſcit vltro, ac ſua vi corroborat; immò ad quem ipſe ſis ſtatum à natura comparatus, ad eum maximè impellit vt plurimùm, & excitat, adde quòd officium, quod indoli cujuſque congruit, id majori implet gratiâ, vt rectè obſervat Ambroſius lib. 1. officior. cap. 44.

Digitized by Google

Ex his ſatis liquet, cùm de eligendo vitæ ſtatu conſilium initur, nec exemplum ſemper, nec argumentum ab vno ad alium petitum valere. Ratio Ariſtotelis eſt 2. prior. cap. 24. & 1. Rhetor. cap. 2. quòd exemplum argumentatio ſit, in qua antecedens ſe habet ad conſequens, non ſicut pars ad totum, nec ſicut totum ad partem, ſed ſicut pars ad partem, ſimile ad ſimile, in illo quippe extremum oſtenditur ineſſe medio, per id, quod ſimile eſt tertio: ergo niſi ſit vnitas principii, pariáque omnia, concluſio nulla eſt. Majores mei hoc vitæ genus amplexi ſunt; plures in hoc magiſtratu cum laude verſati ſunt: ergo idem vivendi inſtitutum cum majoribus ſequi debeo: ergo in hoc magiſtratu pari laude verſabor, conſequentia ſæpius non valet; quia nec eadem in te naturæ propenſio, quæ in parentibus fuit, nec eadem ad id muneris habilitas: ergo ad eorum ſtudia, inſtitutáque impelli non debes, nec parem ſucceſſum ſperare. Ratio à priori eſt, quia medii proportio non æſtimanda eſt ex ratione communi, multò minùs diſſimili, ſed ex propria, & peculiari ac maximè gemina, id enim maximè quemque decet, quod eſt cujuſque ſuum maximè. Ex hoc fonte error electionis graviſſimus in multis, qui hoc principium, pro certo ſtatuunt, vitæ genus ſibi ex parentum moribus eligendum, cùm tamen ſint moribus longè diſſimillimis, atque adeò diverſum planè vivendi inſtitutum, ac ſuum, omiſſo majorum vitæ genere, ſequi debeant: alter quoque fons erroris nihilo primo levioris; quòd ſe iis duntaxat officiis, ac muneribus addicant, quæ multùm ſplendoris in ſpeciem, & gloriæ præ ſe ferant, cùm ſpectare

potiſſimùm deberent, quæ ad ſalutem plus adjumenti allatura eſſent.

XI. Itaque vt ab vtroque errore tibi caveas. Vbi animi tui propenſionem, & finis ad quem tendis naturam penitùs noveris, perpendas diligentiùs, quodnam vitæ genus tibi & à naturâ, & à virtute ſic conſtituto, ad talem finem tendenti opportunius.

Quod vt rite præſtes, partem inter aientem, & negantem quaſi medius, in primam totus incumbes, alterâ ad tempus ſepoſitâ; quæ, & quot commoda, ac ſubſidia, ex ejuſmodi negotio, vel ſtatu, aut quæ incommoda acceſſura ſint, examinabis, imploratâ cœleſti ope, ac lumine.

Partem deinde negantem pari ſtudio ac ſedulitate expendes, de altera nihil tum ſollicitus; quid porrò opportunitatis indidem & adjumenti ad finem præſtiturum tibi affuturum ſit, diſcuties, ſingulis, ne quid ex memoria effluat, diligentiùs annotatis. Tùm ſingula hinc inde notata retractabis iterum ac ſæpiùs, oppones inter ſe, & contendes: num plura, aut pauciora ſint tibi ita affecto ad ſalutem in ſtatu religioſo v. g. quàm in ſeculari adjumenta; quæ tibi nocitura magis, aut profutura in hoc ſtatu, quàm in illo: commoda commodis, incommoda incommodis conferes: quid Deus, qui fons eſt bonæ electionis, à te his ita conſtitutis petat?

Tum hæc quatuor deliberationis adjumenta vocabis in ſubſidium. Primum, ſi quis hac de re, qua de agitur, dubius, me conſultum vellet, quid conſilii ipſi darem? Secundum, quid mihi ipſe Chriſtus conſuleret, ſi eumdem in terris degentem conſulturus adirem? Tertium, quid vel

morti jam proximus, feciſſe maximè vellem? Quartum denique, quo me conſilio coram Dei tribunali conſtitutus vſum mallem?

His omnibus penſatis, ac diu, multúmque ponderatis ea denique eligenda concludes adjumenta, quæ plus momenti habitura; quæ & numero, & facilitate, & vtilitate potiora coram Deo judicabis; & ita Deo duce, magiſtra ratione, ſepoſito omni affectu humano hæc præ aliis media eligenda hîc, & nunc tibi per ſententiam, quæ eſt tertia deliberationis pars, certiſſimè concludes.

Ex omnibus mediis & adjumentis ea mihi eligenda ſunt, quibus commodiùs, faciliùs, certiùs, ſecuriúſque finem aſſequi poſſim: atqui hac complexione mediorum, quæ ſe in hoc vitæ genere mihi offert, commodiùs, faciliùs, certiùs, ſecuriúſque finem meum aſſequi poſſum: itaque hæc mihi mediorum complexio eligenda. Sequitur electio, & vſus: quare ſit

§. 2. *De electione, & vſu.*

I. ASSERT. POSITO decreto electio ex natura rei ſequitur, de qua tres canones præſcribo.

1. Electio cum conſultatione convenit, & ab eadem differt. Convenit tum ratione objecti, tum ratione finis. Ratione objecti, quia vtriuſque objectum eſt bonum, ídque medium, quod in finem dirigitur; *nam conſultabile & eligibile ſunt idem.* Ratione finis, quia vtriuſque finis eſt operatio, vel ceſſatio ab operatione.

Differt ex parte principii, materiæ, & ordi-

nis. Ex parte principii; electio quippe eſt actus voluntatis, conſultatio intellectus practici. Ex parte materiæ; nam materia deliberationis eſt dubia, electionis autem certa, vtpote quæ per deliberationem deprehenſa, & conſtituta ſit. Ex parte ordinis, deliberatio enim, cùm ſit judicium rationis, præit, electio ſubſequitur.

II. Omnis electio debet eſſe prudens, & recta, ita Ariſtoteles lib. 6. Ethic. Prudens erit, ſi examinatis omnibus circumſtantiis, quod melius hîc, & nunc, aptiúſque ad finem mens judicavit, voluntas eligat; quò pertinet pronunciatum Ariſtotelis 3. top. cap. 2. *cujus conſequens eſt majus bonum, id potiùs eligendum*, & 1. topic. cap. 2. *Id eligendum, quod melior diſciplina præcipit eligendum*; hinc melius, conſultiúſque eſt, quod diſciplina Chriſtiana præcipit, quàm quod politica cæteris paribus, ideóque dum de eligendo ſtatu quæſtio eſt, videndum quid ſcriptura, quid fides, quid religio præcipiant.

Recta erit, & proba electio, ſi ex virtute, non ex cupiditate, hoc eſt, voluntate optimè affecta, & virtute inſtructa fiat, *electionem quippe rectam facit virtus*, ex 6. Ethic. cap. 12. item *electioni adverſatur cupiditas*, ex 3. Ethic. cap. 2. *quæ nec cupiditas, nec ira eſt*, vtraque enim electioni officit; hinc eſt quòd continens agat ex electione, ſecùs incontinens, quia in illo eſt virtus, in iſto non item, vt rectè probat Philoſophus cap. mox citato.

III. Vbi ſemel facta eſt electio, Deo offerri debet, vt eam gratiâ ſuâ ſtabiliat, perficiat, & ſuo calculo comprobet, cavendúmque, ne quid circa ipſam temerè immutetur. Quare nec retexenda

conſultatio, tum quia id, quod eligendum poſt maturam deliberationem concluſimus, tamquam certum, & conſtitutum haberi debet ex canone. 1. tum quia dæmon, quod ſemel in cauſa religionis prudenter ſtatutum ſit, interturbare ſolet, dubitatione identidem injectâ, ne ſit in propoſito conſtantia; tum quia probabilius à Deo, tum cùm maturè deliberatum eſt, copioſius lumen affulſiſſe; tum quia tempus, quod electionem ſubſequitur, non deliberationi, ſed actioni conceſſum; hinc ſit

II. Assert. Poſt electionem, accedente nutu, & imperio voluntatis, juvat præſidia adhibere, ſeu media exequi; quia ex Ariſtotele 6. Ethic. cap. 2. *Electio eſt actus principium, vnde motus.* Porrò vſus mediorum, vt accuratus ſit, ordinem, diligentiam, conſtantiam, & fidelitatem poſtulat, de quo proinde tres canones præſcribo.

1. In vſu mediorum ordo diligenter ſervandus; quæ enim ordinatè fiunt, & faciliùs peraguntur, & meliùs. Ordinem ritè ſervabis, ſi quod medium ex natura rei in executione primum eſt, & ex quo alia pendent, primùm adhibeas, alia deinde vſurpaturus, provt ex ſe invicem apta, connexáque erunt; hinc monet Ariſtoteles Mathematicorum arte vtendum. Quemadmodum enim, dum quidpiam oculis ſubjicere volunt, Mathematici, quod jam concluſum eſt, tam diu retexunt ipſi, donec ad id, quod planiſſimum per ſe, notiſſimúmque ſit, denique perveniant; ſic in vſu mediorum juvat tamdiu regredi, donec ad primum perveneris, ex quo pendent quæ fini propinquiora, & quod actionis perin-

de, ac deliberationis conſtitutæ principium ſit.

II. In adhibendo, quod ordine executionis primum eſt, medio opus multâ diligentiâ, & celeritate, non cunctatione; *conſulere enim lentè oportet, conſulta autem exequi feſtinanter.* Huc ſpectat monitum D. Gregorii hom. 23. *Qui vult audita intelligere, feſtinet ea, quæ audire potuit, implere.* 1. quia negotii conficiendi facilè opportunitas elabitur. 2. quia principia, quæ in deliberando adhibuimus, adhuc menti prælucent, atque adeò voluntatem ad agendum efficaciùs movent. 3. quia auxilia ad agendum cœlitus immiſſa tunc præſto ſunt, quæ ſemel neglecta fruſtra poſtmodum requiras; gratia quippe delicatiſſimi faſtidii, ſemel repudiata citò avolat. *Spiritus vbi vult ſpirat, & neſcimus vnde venit, & quò vadit.* Quid quòd oſcitantiam hominum in agendo averſatur, *neſcitque tarda molimina Spiritus ſancti gratia?*

III. Conſtantia in perficiendo, & fida quædam ſedulitas requiritur. Conſtantia quidem, quæ animum nec difficultatum mole premi, nec diuturnitate temporis debilitari ſinat; hanc fovebit, & alet iterata principiorum, quibus ad eligendum inductus ſis, diligens meditatio. Fida ſedulitas, quæ nullum ex adjumentis fini comparando opportunum prætermittat, ſed ſingula non præpoſterè, ſed ſuo ordine, eóque ad finem aptiſſimo gnaviter, & induſtriè adhibeat.

Colliges ex dictis tria. Primum paucos admodum in eo ſtatu vivere, ad quem illos Deus deſtinarat, quia antè aliquo certo genere, curſúque vivendi ſe implicuere, quàm poſſent, quod optimum eſſet, judicare, aut quia id ſibi genus ætatis

ætatis degendæ conſtituerunt, quod maximè adamarent, non quod ad finem maximè conduceret. Secundum, multos ſine delectu, & conſultatione, ſed fortuitò, & temerè agere, vel quia nullum ſibi finem certum conſtituunt ipſi, vel quia rudem illius, & imperfectam duntaxat notitiam habent, & vt terminum potiùs, quàm ſcopum reſpiciunt. Tertium, etiam cùm deliberant, non quod ex rationis præſcripto melius ſit, id ipſum ſequi, quia cupiditate ducuntur, non ratione.

Plura vide apud PP. Leonardum Leſſium de ſtatu vitæ deligendo, & Claudium de Lingendes tomo 3. fer. 6. Dom. Paſſ. conc. 1. 2. & 3. ex quibus nonnulla in hanc appendicem ad vſum tuum tranſtuli.

Digitized by Google

PARS TERTIA.

DE MORALITATE SEV bonitate, & malitia actuum humanorum.

HACTENVS accuratâ voluntarii, & liberi explicatione proluſimus ad principem actus humani proprietatem, quæ vulgò Moralitas appellatur, & inſtar generis ad bonitatem, & malitiam obtinet. Quare vt natura actus moralis nobis innoteſcat, examinandum primò eſt, quid ſit moralitas humanæ actionis. Secundò, quæ illius ſpecies. Tertiò, quæ cauſæ moralitatis tum in actu interno, tum in actu externo.

DISPVTATIO VNICA.

De Moralitate actus humani in genere.

MORALITATEM dari nemo negat, niſi qui libertatem negat, ſed quid ſit, diſputatur acriter à Philoſophis, quorum alii modum eſſe realem pugnant, aut accidens actui ſuperadditum. Alii denominationem purè extrinſecam.

Digitized by Google

Multi relationem eſſe volunt. Nos ipſam tum per ordinem ad principia, à quibus fluit, tum per ordinem ad ſubjectum in quo eſt, tum per ordinem ad effectus & circumſtantias expendemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Natura, cauſa, & effectus moralitatis examinantur.

ANTEQVAM ſingula diſcutiantur, juvat quædam ad majorem quæſtionis intelligentiam præmittere.

§. I. *Quædam prænotanda.*

PRIMVM. Morale dicitur à more. Mos ſumitur vel latè, vel ſtrictè. Latè eſt iteratus operandi modus. Strictè eſt conſuetudo operandi cum laude, & vituperio. Mos quippe frequentationem actuum ſimilium ſignificat, per quos ad aliquid ſenſim aſſueſcimus: at per actus liberos propriè aſſueſcimus; nam circa ea, quæ neceſſariò fiunt, aſſuetudo non gignitur: ergo nec moralitas.

Secundum. Actus humanus ſpectari poteſt vel vt naturalis, vel vt Moralis. Vt naturalis iterum ſpectatur vel per ordinem ad objectum formale, in quod tendit, & à quo ſpeciem ſumit, vel per ordinem ad potentiam vitalem, à quâ prodit, & ita dicitur vitalis, éſtque objectum animaſticæ. Vt Moralis oritur à voluntate, quatenus eſt actus ſui domina, agítque ex adver-

minium voluntatis, ibi quoque electio: vbi autem electio, ibi libertas: ergo vbi incipit genus moris, ibi neceſſariò eſt libertas.

3. Actus, qui in nobis neceſſariò excitantur, vt primi motus, ad naturam pertinent, non ad mores. Cur autem, niſi quia voluntas ipſos producit vt eſt natura, non vt eſt domina ſui actus? hinc quamvis eſſe liberum accidat actui naturali, eidem tamen eſſentiale eſt, vt moralis eſt.

Denique nullus actus laude, & vituperio dignus eſt, niſi idem ſit liber: omnis actus Moralis eſt laude, aut vituperio dignus: ergo nullus actus Moralis eſt, niſi idem ſit liber: hinc patet omnem actum Moralem debere eſſe ex perfecta deliberatione vel formali, vel virtuali, adeóque ex perfecta rationis advertentia; hæc enim duo ratio liberi includit ſaltem præſuppoſitivè.

II. Assert. Moralitas actus formaliter, & completè conſtituitur per relationem ad regulam morum, quæcumque illa ſit, cui conformis ſit, aut difformis. Probatur. Per id formaliter completè conſtituitur moralitas, quod proximè contrahi poteſt per bonitatem, aut malitiam Moralem: habitudo, ſeu reſpectus ad regulam morum proximè contrahi poteſt per bonitatem, aut malitiam Moralem: ergo Moralitas formaliter, & completè conſtituitur per reſpectum ad regulam morum.

Probatur 2. Ita ſe habet Morale ad regulam morum, ſicut artificiale ad regulam artis: artificiale conſtituitur formaliter per reſpectum, ſeu commenſurationem ad regulam artis: ergo & Morale per reſpectum, ſeu commenſurationem ad regulam morum.

Digitized by Google

Probatur 3. Argumento negativo. Moralitas formalis nec eſt modus realis actui ſuperadditus, nec accidens phyſicum; nec denominatio purè extrinſeca: ergo ſupereſt, vt ſit quidam reſpectus ad regulam morum.

Non modus aliquis, aut accidens phyſicum, quia manente eodem actu, prorſúſque realiter immutato, Moralitas poteſt adeſſe, vel abeſſe. Nam actus, qui eliciuntur à voluntate vt eſt natura, & ſine advertentia rationis ad regulam honeſti, & turpis, dum ratio ipſa advertere incipit, fiunt Morales, ſeu boni, vel mali. v. g. ignorabas actum, quem antea producebas, eſſe prohibitum; noſſe demum incipis eſſe prohibitum, nec tamen ab eodem abſtines, exurgit ſtatim malitia, quam antea non habebat.

Non denominatio purè extrinſeca. Vel enim eſſet denominatio extrinſeca formalis, vel objectiva. Non formalis; nemine ſiquidem cogitante actus ſunt boni, vel mali, ſicut nemine cogitante exiſtunt alia entia Moralia, v. g. eſſe Morale Doctoris, aut Regis. Non objectiva, quia denominatio extrinſeca objectiva eſt forma quædam intrinſeca ſubjecto, quod non denominat, & extrinſeca ſubjecto, quod denominat, vt viſio reſpectu parietis: at Moralitas, de qua hîc agitur, eſt intrinſeca agenti: objectiva autem eſt penes regulam ex tertio prænotato: ergo ſupereſt vt Moralitas ſit quidam reſpectus ad regulam.

Iam verò reſpectus ille ad regulam morum vel eſt adæquatio, & conformitas cum morum regula, quatenus aliquid agendum hîc, & nunc, vel non agendum præcipit, vel non. Si primum, eſt honeſtas, ſeu bonitas Moralis. Si ſecundum,

eſt malitia Moralis, ſeu turpitudo, cum hoc tamen diſcrimine, quòd bonitas Moralis ſit poſitiva, malitia autem privativa. Quid enim aliud eſt malitia formalis, quàm carentia conformitatis? Certè vt ſe habet inæqualitas ad æqualitatem: ita malitia ad bonitatem: at inæqualitas eſt carentia æqualitatis ex Ariſtotele 5. Metaph. ἄνισον μὲν γὰρ τῷ μὴ ἔχειν ἰσότητα πεφυκὸς λέγεται· ἀόρατον δὲ καὶ τῷ ὅλως μὴ ἔχειν χρῶμα. Inæquale namque dicitur, eò quòd non habeat æqualitatem, cùm aptum ſit habere; inviſibile verò eò quòd non habeat colorem.

Ex dictis quatuor infero. Primum, genus moralitatis eſt habitudo actus vt ſic ad regulam: differentiæ verò conformitas, & difformitas cum regula, à quibus ratio vnivoca abſtrahi non poſſit, quia enti, & nòn enti nihil eſt vnivocum.

Secundum, actus moralis omnis eſt liber. Liber quidem, quatenus eſt à voluntate, vt eſt domina ſui actus; Moralis verò, quatenus reſpicit regulam, fitque ex perfecta advertentia rationis ad regulam, quæ eſt honeſti, & turpis judex; hinc nulli ſunt in Deo actus Morales per ordinem ad intra, quia non ſunt liberi, ſed per ordinem ad extra Morales ſunt, quia actus, qui extra Deum exeunt, & ad creaturas terminantur, à ratione practica Dei regulantur, fiûntque liberè, vt actus miſericordiæ, fidelitatis, &c. Item beatorum amor, qui ex viſione intuitiva, vt è radice fluit, non eſt Moralis, quia non liberè, ſed neceſſariò à voluntate exit. Vnde dicitur actus honorabilis, non laudabilis. Denique nec pueri, nec dormientes agunt Moraliter, quia

Digitized by Google

non poſſunt ad morum regulam perfectè advertere, nec proinde actiones ſuas ad eamdem exigere.

Tertium. Moralitas eſt reſpectus ad regulam morum, ad quam refertur vel per conformitatem, vel per difformitatem. Vt enim ſe habet actio intellectus ad regulam ſuam: ita actio voluntatis ad ſuam: ergo ſicut duplex eſt tantùm reſpectus cognitionis ad ſuam regulam, nempe vel conformitas, quæ veritas dicitur, vel difformitas, quæ eſt falſitas: ita duplex reſpectus actionis humanæ ad ſuam regulam, nempe conformitas, quæ honeſtas appellatur, vel difformitas, quæ malitia, & ἀνομία dicitur; hinc honeſtas definitur conformitas actionis cum ſua regula: malitia verò difformitas actionis cum ſua regula.

§. 3. *De ſubjecto, & fundamento Moralitatis.*

Ex dictis ſuperiori paragrapho Moralitas reſpectus quidam eſt. Omnis reſpectus dicit ſubjectum, in quo ſit, & rationem fundandi.

I. Assertio. Moralitas immediatè convenit actibus voluntatis elicitis, mediatè verò imperatis.

Prima pars probatur. Illis actibus immediatè convenit Moralitas, quibus per ſe, & immediatè conveniunt proprietates Moralitatis: ſolis actibus elicitis voluntatis conveniunt per ſe, & immediatè proprietates Moralitatis, nempe eſſe meritorium, & demeritorium: laudabile, aut vituperabile: ergo ſolis actibus voluntatis elicitis

immediatè convenit Moralitas.

Secunda pars probatur. Actus imperati eatenus meritorii ſunt, & demeritorii, laude, & vituperio digni, quatenus ſubſunt imperio voluntatis: ergo ratio Moralitatis ipſis mediatè tantùm convenit, & per denominationem petitam ab actu voluntatis elicito.

II. Assertio. Inter actus elicitos voluntatis electio eſt primò Moralis. Probatur 1. ex D. Thoma jam citato prænotato 5. dominium voluntatis primò incipit ab electione: ergo electio eſt primò Moralis.

Probatur 2. Ille actus eſt primò Moralis, qui per ſe primò ordinatur, & dirigitur à regula morum: electio per ſe primò ordinatur, & dirigitur à regula morum, vtpote primus amor medii: ergo electio eſt primò Moralis.

Confirmatur. Nec habitus virtutum, nec actiones humanæ externæ, nec internæ aliæ, nec præmium, aut pœna, laus, aut vituperium per ſe primò rationem Moralitatis obtinent: ergo ſola electio per ſe primò obtinet. Probatur antecedens. Non habitus, qui dicuntur tantùm Morales, vt ſunt principia actionum Moralium, & ad eaſdem voluntatem impellunt, ideóque Morales dicuntur, ſicut pharmacum dicitur ſanum, non primariò quidem, ſed ſecundariò, provt efficienter ad ſanitatem concurrit. Non actiones externæ, quæ Morales dicuntur, vel vt ſunt objecta Moralium internarum, vel vt ſunt effectus. Non internæ imperatæ, quia rationem Moralitatis habent dependenter ab actione imperante. Non denique meritum, aut demeritum: laus aut vituperium; quia ſunt tantùm effectus actionum

moralium : ergo ſola electio per ſe primò eſt moralis, vtpote per ſe primò libera, & reſpectiva ad regulam morum.

III. Assert. Ita electio eſt moralis cauſaliter, vt voluntas per ſe ſubjectum inhæſionis ſit moralitatis formalis, hoc eſt bonitatis, aut malitiæ. Patet ex dictis appendice de malo.

IV. Assertio. Ratio proxima fundandæ conformitatis cum ſua regula, eſt talitas actus, & qualitas regulæ: ratio verò fundandæ difformitatis eſt non talitas actus, & qualitas regulæ, concipiendæ relationis. Probatur; quia poſita talitate actus, & qualitate regulæ, ſtatim intelligitur exurgere relatio conformitatis actus cum ſua regula, quæ eſt honeſtas : econtrà hoc ipſo, quòd non eſt talis actus, qualis eſt regula, inde ſtatim exiſtit difformitas, ſeu privatio conformitatis cum regula, vnde mens occaſionem accipit concipiendæ relationis, quæ ſit rationis, non rei juxta principia Philoſophi 5. Metaph.

Colliges 1. ex 1. & 2. Aſſertione actum internum, & externum non habere duas bonitates, aut malitias diſtinctas, quia moralitas per ſe primò oritur ab actu voluntatis. 2. Actum externum non augere intenſivè per ſe bonitatem, aut malitiam actus interni; per accidens tamen poſſe augere tum intenſivè, tum extenſivè. Patet prima pars, quia actus externus nullam in ſe moralitatem, aut libertatem habet : ſecunda verò, quia actus externus ſæpe affectum auget, ideóque in cauſa eſt, cur actus interni multiplicentur, diutiúſque perſeverent.

§. 4. *De termino, ſeu regula Moralitatis remota.*

MORALITAS formalis cùm reſpectus ſit, non tantùm eſt in ſubjecto, ſed etiam ad terminum, à quo ſpeciem ſumit. Præterea cùm moralis actus modò malus ſit, modò bonus, ratio hujus diverſitatis afferri non poteſt, niſi quia congruit aliquando regulæ, aliquando non congruit; nam actus moralis in entitate naturali ſemper eſt bonus, bonitate entis, & à Deo producitur. Denique morale reſpectivum quiddam eſt, nam quod eſt vni bonum, ſæpe alteri malum eſt: at omne bonum reſpectivum dicitur tale per commenſurationem ad aliud, nempe ad regulam, quæ totius bonitatis, & malitiæ eſt menſura, & quaſi judex. Vt enim menſurâ cognoſcimus quantum ex Philoſopho; ita regulâ morum, quid honeſtum, aut turpe ſit, dignoſcimus: at quæritur quænam ſit illa regula.

I. OBSERV. Duplex regula morum. Altera vniverſalis, & prima: altera particularis, & ſecunda. Prima eſt in Deo, ſecunda in homine. Prima eſt remota, ſecunda proxima. Prima notior ſecundùm ſe, & abſolutè, ſecunda notior quoad nos, & relativè, quia illa vniverſalis, hæc particularis: at omne vniverſale notius ſecundùm ſe, & abſolutè, particulare autem quoad nos, & relativè notius. Prima dirigit, & non dirigitur, cùm prima omnium ſit, ſecunda dirigitur ſimul, & dirigit.

II. OBSERV. Primæ, & ſecundæ partitio eſt in principalem, & primariam, inſtrumentalem & ſecundariam. Principalis, & primaria ſpecificat

actum, ejúſque bonitatem, & malitiam cauſat. Inſtrumentalis & ſecundaria bonitatem, & malitiam per modum inſtrumenti proponit, & primariam, vt ſic dicam, applicat hîc & nunc.

His obſervatis duplex eſt celebrior ſententia de regula morum. Prima docet regulam primam, & principalem in Deo eſſe naturam divinam; ſecundariam & quaſi inſtrumentalem, eſſe rationem Dei practicam: in homine verò principalem, eſſe naturam rationalem, inſtrumentalem verò, rationem rectam. Secunda pugnat in Deo principalem regulam eſſe rationem Dei practicam, quæ idem ſit cum lege æterna: in homine autem rationem rectam, ſeu dictamen practicum, quo quid agendum, quidve non agendum ſit, concluditur, dicitur multis judicium prudentiale.

I. Assert. Regula morum vniverſalis & primaria, eſt lex æterna, ſive ſit natura divina, ſive ratio divina. Probatur 1. ex D. Auguſtino, lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. ita definiente peccatum, *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Accedit D. Thomas 1. 2. quæſt. 19. art. 4. *Dicendum*, inquit, *quòd in omnibus cauſis ordinatis effectus plus pendet à cauſa prima, quam à cauſa ſecunda, quia cauſa ſecunda non agit, niſi in virtute primæ cauſæ. Quòd autem ratio humana ſit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas menſuretur, habet ex lege æterna, quæ eſt ratio divina. Vnde in Pſal. 4. dicitur, multi dicunt quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: quaſi diceret, lumen rationis, quod in nobis eſt, in tantum poteſt nobis oſtendere bona, & noſtram voluntatem regulare, in quantum eſt lumen vultus tui, id eſt, à vultu tuo*

Digitized by Google

derivatur : vnde manifeſtum eſt, quòd multò magis dependet bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quàm à ratione humana, & vbi deficit humana ratio, oportere ad rationem æternam recurrere.

Ex hoc loco tria habes. Primum, legem æternam eſſe regulam bonitatis moralis. Secundum, magis à lege æterna pendere moralitatem actus humani, quàm à ratione humana; quia effectus magis pendet à primo movente, quàm à ſecundo, quod non movet, niſi in virtute primi moventis. Tertium, vbi ſemel deficit humana ratio, & proxima regula, æternam, & remotam conſuli oportere.

Probatur ratione 1. nullum eſt malum morale, quod lege æterna non prohibeatur: nullum bonum morale, quod non præcipiat. 2. Habet omnes conditiones regulæ. 1. eſt certa, vtpote prima rectitudo. 2. Nota tum per legem naturalem, quam Deus animis noſtris inſculpſit; tum per revelationem. 3. Simplex, quà certa, nos dirigit, quà ſimplex, & nota, nobis facilè applicari poteſt.

II. ASSERT. Lex æterna formaliter ſumpta, probabiliùs eſt recta ratio increata, &, vt ait Nilus de orat. c. 49. *ratio ſubſtantialis*, ſeu dictamen practicum, quo Deus intimat quid velit fieri, vel omitti à creaturis rationalibus. Ita D. Thomas q. 91. art. 1. & q. 93. Ratio à priori eſt quia lex imperium quoddam eſt: at imperium eſt actus intellectus, vt jam demonſtratum eſt: igitur & lex.

Probatur 2. niſi lex æterna ſit ratio divinæ ſapientiæ, erit ipſa Dei natura, quæ alia exigat, & ab aliis abhorreat, vel aliquod ex attributis, nempe ſanctitas, vel actus voluntatis, aut actus intellectus ſpeculativi. Non natura divina, quia ad ſum-

Digitized by Google

mum eſt regula radicalis, & objectiva: at quærimus hîc regulam formalem, & actualem. Non ſanctitas, quia ſanctitas inclinat tantùm ad agendum id, quod regula divina præſcribit. Non actus voluntatis, aut intellectus ſpeculativi, tum quia imperium non eſt actus voluntatis, niſi præſuppoſitivè, tum quia actus intellectus ſpeculativi nihil dictat agendum, aut omittendum: ergo lex æterna Dei, de qua hîc agitur, eſt ratio divinæ ſapientiæ practica.

Confirmatur ex Boëtio, qui legem æternam vocat *perpetuam rationem, quæ mundum gubernat*. Ex Auguſtino, qui eamdem appellat *ſummam rationem, cui ſemper obtemperandum eſt, & incommutabilem veritatem, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis.*

III. Assert. Quatuor ſunt principes legis æternæ proprietates. I. Eſt æterna, & Deo ipſi coæva, adeóque immutabilis, & verò eſt recta ratio, & idea eorum omnium, quæ à natura rationali fieri congruit, deinde intimatio decreti divini, quâ jubetur hoc vel illud fieri: at hæc duo æterna ſunt.

II. Eſt idea, & principium legum omnium, quæ ſunt quædam illius quaſi particulæ, & radii increatæ ſapientiæ; ita tamen vt lex naturalis primò in ea fundetur, aliæ verò mediante lege naturali.

III. Vniverſalis tum ratione perſonarum; obligat enim quamlibet creaturam rationalem, ſtatim atque exiſtit; tum ratione rerum, quas præcipit, aut vetat; complectitur enim omnes actus, qui à natura rationali produci poſſunt, etiam qui conſuluntur, ſaltem quoad modum, qui ex hypotheſi, quòd fiant, præcipiuntur. Et verò opera ſupererogationis, ſi fiant, debent vtique cum certis cir-

Digitized by Google

cumſtantiis fieri: tum ratione actuum, nam imperat, prohibet, permittit, remuneratur & plectit; tum ratione temporis, quia quolibet tempore obligat, tum ratione loci, vbique gentium vrget, ejúſque tribunal totus orbis eſt.

IV. Sanctiſſima eſt, 1. ex parte principii, eſt enim à Deo legiſlatore ſanctiſſimo, 2. ex parte ſubjecti, ſcripta eſt in eſſentia Dei, 3. ex parte finis, nempe propter Dei gloriam. Denique eſt exemplar omnis ſanctitatis creatæ, cui ſi humana ratio conſentit, dicitur recta; ſi diſſentit, prava, & obliqua.

§. 5. *De regula proxima Moralitatis.*

I. OBSERVAT. QVADRVPLEX eſt ratio recta. Syndereſis, prudentia, conſcientia, judicium vltimum.

Syndereſis ſpectari poteſt vel vt habitus, vel vt actus. Vt habitus, eſt qualitas inclinans intellectum practicum ad aſſenſum primorum principiorum moralium, ideóque perinde ſe habet circa principia rerum agibilium, atque intelligentia circa prima principia rerum ſpeculabilium. Vt actus eſt, propoſitio maximè vniverſalis, & immediata practica, quæ non ex alio principio ſuperiori, ſed ex vna terminorum penetratione patet; vt, *bonum eſt faciendum* : *malum eſt fugiendum.* Dicitur lex naturalis, quia eſt primus quidam radius judicii practici divini, & legis illius, quæ eſt intra ipſum Deum ſcripta, quâ videmus quid conveniens, & quid Deus velit à natura rationali fieri.

Prudentia ſumitur quoque vel vt habitus, vel vt actus: Vt habitus poſtea definietur. Vt actus eſt

Digitized by Google

concluſio moralis vniverſalis ex principiis morum per ſe notis ducta, ideóque ſe habet ad ſynderesim perinde ac ſapientia ad intelligentiam.

Conſcientia eſt applicatio propoſitionis vniverſalis ad actionem ſingularem, ſeu promulgatio legis vniverſalis, quam ſibi quiſque facit, vel vt ait D. Thomas 1. p.q. 79.art.13. *applicatio ſcientiæ ad aliquem actum particularem*; ideóque dicitur conſcientia, quaſi cum alio ſcientia, nempe cum eo, qui ad agendum applicatur.

Strictiùs definitur judicium actuale intellectus practici dictans, quid honeſtum, quid turpe, quid appetendum cuique, quidve fugiendum ſit. Dicitur 1. judicium actuale, non potentia, quia potentia nec mutatur, nec deponitur; conſcientia autem mutari, & deponi dicitur. Non habitus, quia locum habet in puero, cum primùm vſum rationis aſſequitur, in quo tamen nullus adhuc habitus ineſt: igitur conſcientia eſt judicium actuale.

II. Intellectûs non voluntatis, tum quia ex D. Baſilio præfatione in Proverbia eſt φυσικὸν κριτήριον, *naturale judicatorium*, ex Damaſcen.l. 2.c. 12. *lex intellectus noſtri*. ex Tertull. lib.de coron.milit. *naturales tabulæ, in quibus, qui deliquit, legit opus ſuum, indéque ſuffunditur.* ex Bernardo lib. de interiori domo c.22. *cordis ſcientia*: tum quia varia illius munera eſſe actum intellectus evincunt. Dicitur enim *teſtificari, ſignificare, accuſare, reprehendere, remordere, ligare, excuſare, abſolvere*, &c. *Teſtificari, & ſignificare*, dum judicamus nos feciſſe, aut non feciſſe. *Accuſare & reprehendere*, dum pœnâ dignos judicamus. *Remordere*, dum judicium moleſtiam ingerit animo. *Ligare*, dum judicamus præceptum eſſe, quo tenemur. *Excuſare*

Digitized by Google

& abſolvere, dum nos pœnam non eſſe commeritos cenſemus.

III. Intellectus practici, quia eſt de agibilibus præſenti, & futuro. Quamquam conſcientia aliquando ſumitur pro actu intellectus, quo ſpeculativè cognoſcimus, quid egerimus, aut non egerimus. Sic ſumitur Geneſ. 43. *Non eſt in conſcientia noſtra, quis poſuerit pecuniam in marſupiis noſtris.* Aliquando pro actu, quo judicamus, an actus præteriti boni ſint, vel mali, quo ſenſu dicitur conſcientia conſolari, redarguere. Nam ſi actio præterita congruit legi, inde voluptas & delectatio; ſi diſſentit, inde oblatrantis conſcientiæ morſus; qui enim malè agit, *gladio pungitur conſcientia*, Prov. 12. 18. At vt hîc ſumitur, ſpectat ejuſmodi actus, vt præſentes, & futuros.

IV. Dictans quid honeſtum &c. cùm enim per ſe ſit actus prudentiæ, ejus munera ſunt oſtendere, & præſcribere, quid honeſtum, quid turpe, quid cuique amandum, aut fugiendum ſit.

Conſcientia dividitur in certam, erroneam, probabilem, dubiam, & ſcrupuloſam. Ratio diviſionis eſt, quia mens vel judicat abſque formidine objectum, vt reipſa eſt, honeſtum, aut turpe: vel determinatè proponit vt honeſtum, aut turpe, quod non ita eſt: vel adhæret vni parti cum formidine alterius oppoſitæ: vel neutri parti adhæret, ſed inter vtramque ſuſpenſa manet: vel denique judicat cum formidine, aut certò partem oppoſitam, ſed non ſine aliqua apprehenſione ex levibus conjecturis orta. Si primum, dicitur certa; ſi ſecundum, erronea; ſi tertium, probabilis; ſi quartum, dubia; ſi quintum, ſcrupuloſa.

Iudicium vltimum eſt propoſitio perfectè ſin-

Digitized by Google

gularis, quæ dicitur ab Ariſtotele domina actionis, quia voluntatem immediatè ad actionem movet. Dicitur ratio recta, ſi verum ſit judicium; ſi falſum, ratio prava.

II. Observat. Eatenus judicium vltimum verum eſt, quatenus conſcientiæ, prudentiæ, & ſynderesi congruit; conſcientia eatenus vera, & recta, quatenus prudentiæ, & ſynderesi conſentit; prudentia eatenus vera, & recta, quatenus ſynderesi conformis; ſynderesis denique eatenus vera, & recta, quatenus legi æternæ commenſuratur. Patet; quia vltimum iudiciũ pendet à conſcientia, conſcientia à prudentia, prudentia à ſynderesi, ſynderesis à ratione recta Dei: quæ eſt lex æterna.

III. Observat. Synderesis, prudentia, & conſcientia induunt rationem legis vniverſalis, & particularis pro diverſa habitudine, quam habent ad ſe invicem per regulam extremorum. Nam ſynderesis comparata cum lege æterna, habet rationem legis particularis, comparata cum prudentia, dicitur lex vniverſalis, & ita de cæteris, donec ad vltimum judicium perventum ſit, quod eſt ſingulariter ſingulare. His obſervatis, ſit

Vnica Assert. Proxima, & immediata morum regula, eſt recta ratio, quâ quid agendum, quidve non agendum ſit, proponitur. Ita D. Thomas 1.2. q.21. art. 1. *Debitus*, inquit, *ordo ad finem ſecundùm aliquam regulam menſuratur: quæ quidem regula in his, quæ ſecundùm naturam agunt, eſt ipſa virtus naturæ, quæ inclinat in talem finem. Quando ergo actus procedit à virtute naturali ſecundùm naturalem inclinationem in finem, tunc ſervatur rectitudo in actu, quia medium non exit ab extremis, ſcilicet actus ab ordine activi principii, ad*

finem. Quando autem à rectitudine tali actus aliquis recedit, tunc incidit ratio peccati. In his verò quæ aguntur per voluntatem, regula proxima eſt ratio humana, regula autem ſuprema eſt lex æterna. Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem ſecundùm ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus eſt rectus: quando autem ab hac rectitudine obliquatur tunc dicitur peccatum, &c. Id ipſum diſertè aſſirmat q. 19. art. 3. vbi ait objectum voluntatis ei proponi per rationem, quia bonum intellectum eſt objectum voluntatis proportionatum ei, vocátque hanc regulam homogeneam q. 71. art. 6.

Probatur ratione, 1. quia recta ratio habet omnes conditiones: eſt enim certa, & quamdiu actiones eidem commetimur, eas à ſuo principio, quaſi ab vno puncto ad vltimum vitæ humanæ finem ad alterum veluti punctum ita dirigit, vt in alios fines non deflectant. Contrà verò prava ratio hominem à fine ſuo abducit, vtpote òbliqua. 2. Nota. Eſt enim ab authore naturæ mentibus noſtris inſculpta, actus honeſtos præcipiens, malos prohibens, ex Pſalm. 4. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Vbi per vultum regius Pſaltes intelligit Verbum divinum, quod eſt lex æterna Patris, & ſpecies ejuſdẽ intelligibilis, quæ Deum hominibus manifeſtat. Per lumen vultus intelligit rationem humanam, quæ eſt imago quædam, & quaſi particula luminis increati, idémque præſtat per proportionem in mente hominis, quod Verbum in ſinu Patris, ideóque dicitur à Theologis participatio legis æternæ, & divinæ ſapientiæ radius 3. Homogenea, quia eſt ejuſdem ordinis cum actu humano.

Digitized by Google

2. Vel natura rationalis eſt regula proxima, & immediata, vel ratio recta. Non natura rationalis, quæ eſt regula radicalis, & remota, non formalis, & proxima; ergo ſupereſt vt recta ratio ſit proxima, & immediata regula, judex, & arbitra conformitatis, quam proinde natura rationalis in agendo ſequi teneatur.

Confirmatur à poſteriori. Sine ejuſmodi judicio nullus datur actus Moralis. Vnde ſi actus ex ſuo genere honeſtiſſimi abſque hoc judicio imperante elicerentur, non cenſerentur boni moraliter: quemadmodum ſi actus etiam intrinſecè mali ab homine producerentur abſque hoc judicio vetante, mali formaliter non haberentur. Denique cenſetur deliquiſſe quiſquis contra conſcientiam fecerit: innoxius verò habetur, qui ſecundùm conſcientiam quidpiam egerit: at conſcientia eſt judicium, & actualis quædam ſcientia faciendorum, & non faciendorum. Porrò circa conſcientiam duplicem regulam accipe.

I. Nullus actus poteſt eſſe bonus, aut malus, niſi conſcientia dictet illum eſſe bonum, aut malum. Ratio eſt quia nihil volitum quin præcognitum: ergo vt quis velit honeſtatem, debet ipſam cognoſcere; cognoſcit autem per conſcientiam.

II. Vt actus moraliter bonus ſit, opus eſt judicio practicè moraliter certo: vt ſit malus, ſufficit cognitio dubia, vel ſuſpicio. Probatur prima pars. Tenetur quilibet peccandi periculum fugere, quantum poteſt; at niſi practicè certus ſit ſe malè non operari, exponit ſe periculo malè operandi; ergo malè operatur. Porrò ille dicitur habere judicium practicè, & moraliter cer-

tum, qui eam adhibuit diligentiam, quam ſolet ſapiens quiſque in negotiis adhibere. Tunc enim conſcientia practicè vera eſt, adeóque tuta, licèt fortè ſpeculativè falſa ſit: ſecunda pars probatur, quia quiſquis cum dubio operatur, aut cum ſuſpicione malitiæ, exponit ſe periculo peccandi; hinc qui peccant ſine conſcientiæ remorſu, peccant quidem ſine remorſu, prout ſignificat triſtitiam voluntatis, non autem prout ſignificat cognitionem malitiæ, ſine qua nemo etiam excæcatus, aut induratus peccat.

§. 6. *Diluuntur objecta.*

ALIA pugnant regulam actuum humanorum vniverſalem non eſſe legem æternam: alia non rationem rectam humanam, ſed naturam rationalem proximam, & immediatam eſſe regulam videntur evincere. Singulis ſatisfacio.

Objicies 1. Regula actuum humanorum debet eſſe homogenea, deinde nota: lex æterna nec homogenea eſt actioni humanæ, nec nota: ergo nec illius regula.

Ad primum, diſt. majorem cum D. Thoma, regula proxima debet eſſe homogenea, concedo: remota, nego, &c. lex æterna eſt regula remota.

Ad ſecundum, diſt. minorem, lex æterna non eſt nobis nota, vt eſt in mente divina, concedo: vt nobis innoteſcit per legem naturalem, aut revelationem, quâ ſemel factâ obligat in actu ſecundo, cùm antea obligaret tantùm in actu primo. Nego. Nam vt ait Auguſtinus quæſt. 53. ex 83. *ex hac ineffabili atque ſublimi rerum ad-*

Digitized by Google

miniſtratione, quæ fit per divinam providentiam, tranſcripta eſt lex naturalis in animam rationalem. Cui concinit D. Thomas quæſt. 91. art. 2. dum legem naturalem vocat *participationem legis æternæ, & impreſſionem divini luminis.*

Objicies 1. Ante prohibitionem cognoſcit Deus quædam eſſe mala: ergo ſunt mala ante rationem divinam prohibentem.

Reſp. diſt. antecedens, Deus cognoſcit eſſe mala phyſicè, & incompletè, concedo: moraliter, & completè, nego. Tunc enim incipiunt eſſe mala completè, & moraliter, cùm accedit prohibitio, quia omne debitum eſt à lege.

Objicies 2. Etiamſi non eſſet lex æterna, voluntas, quæ verſaretur circa honeſtum, adhuc eſſet bona: ergo honeſtas non neceſſariò pendet à lege æterna.

Reſpondeo, Antecedens implicare contradictionem. Fac enim nullam eſſe legem æternam, nulla quoque erit lex naturalis: ergo nec vlla voluntas honeſta. Sicut ſi nulla eſſent exemplaria in mente divina, nulla haud dubiè creatura poſſet eſſe, quia licèt ex parte creaturæ nulla foret repugnantia ad exiſtentiam, tamen eſſet ex parte cauſæ efficientis. Vt obſervat Leſſius q. 19. de bonit. & malit. actus int. volunt. art. 4.

Objicies 3. Ideo multa vetantur, quia ſunt mala, & non viciſſim. Nam furtum v. g. & mendacium non ideo ſunt mala, quia ſunt lege æterna prohibita, ſed ideo ſunt prohibita, quia mala.

Reſp. diſtinguo, ideo multa vetantur, quia ſunt mala incompletè, concedo: completè, & moraliter, nego. Non enim apparent in ratione offenſæ, & prævaricationis, niſi lex accedat. *Vbi*

enim non eſt lex, nec prævaricatio. Et vt ait Auguſtinus lib. 2. de peccat. meritis, *neque peccatum erit, ſi quod erit, ſi non divinitus jubeatur, vt non ſit.*

Porrò hîc obſerva, licèt bonitas pendeat à lege æterna, vt influente, non ideo defectum ab eadem pendere debere, ſicut in rebus naturalibus perfectio quidem pendet à divinis exemplaribus, defectus autem à cauſis creatis, vel ex eo, quòd ſint ex nihilo. Vnde dictamen prudentiæ eſt quidem cauſa exemplaris reſpectu boni actus, non autem reſpectu mali, quia de eo tantùm pronuntiat non ita agendum eſſe, quod ad ideam non ſufficit, aliàs arca non affabrè facta eſſet ab arte: eſt tamen terminus etiam malitiæ, quia injicit obligationem, & cauſat proximè debitum Morale non agendi, ita vt vlteriores radices, nonniſi per iſtam ſe prodant, vimque obligandi exerant.

Objicies 4. ex Seneca, lex morum in homine eſt natura rationalis. *Quid,* inquit, *recta ratio exigit? Secundùm naturam ſuam vivere*: ergo natura rationalis eſt regula morum, non recta ratio.

Reſpondeo diſtinguo conſ. Natura rationalis eſt regula morum radicalis, & remota, concedo: proxima, formalis, & actu applicans, nego. At hîc quærimus regulam formalem proximam & actu applicantem, quæ eſt dictamen practicum in Deo, & in homine.

Tria ex dictis colligi poſſunt. Primum, Bonitas, & malitia duplex, formalis, & materialis. Bonitas formalis eſt conformitas actus humani cum regula cognita: malitia verò formalis dif-

Digitized by Google

formitas actus cum regula cognita. Bonitas materialis eſt conformitas cum regula non cognita: malitia materialis difformitas cum regula non cognita. Certè honeſtè dicitur agere ex Ariſtotele 2. Ethic. cap. 4. qui 1. ſciens, deinde eligens, 3. ſtabili, atque immutabili affectu præditus agit. Idcóque aſſerit eum, qui facit juſtum, non propter juſtitiæ honeſtatem, facere quidem juſtum, ſed non juſtè. Cur autem? niſi quia regulam non cognoſcit, nec ad eam actionem exigit, vnde juſtum agit materialiter tantùm, non formaliter.

Secundum. Bonitas Moralis alia ſimpliciter dicta, alia ſecundùm quid. Bonitas ſimpliciter dicta, eſt conformitas actionis cum ſua regula ſecundùm omnia principia, & circumſtantias, ex quibus ratio honeſtatis in actum derivari poteſt. Quare in actu requirit quamdam integritatem, & plenitudinem eorum omnium, quæ adeſſe debent. Nempe quod eſt in corpore humano pulchritudo, idipſum eſt in actione humana bonitas Moralis, inquit Scotus. Vt ergo pulchritudo, quamvis inſtar formæ ſimplicis cogitetur, tamen ex ſingularum partium inter ſe conſpirantium, quæ ornatum corpori, & gratiam conciliare aliquam poſſunt, concinnitate, elegantia, ac venuſtate mirabiliter effloreſcit: ita bonitas Moralis vſquequaque perfecta, vtpote decor quidam actionis, ex omnium principiorum, & circumſtantiarum, quæ dignitatem honeſtatis aliquam ipſi afferre poſſunt, conſpiratione, & conſenſu exiſtit. Bonitas ſecundùm quid eſt conformitas actus cum ſua regula ſecundùm aliquas duntaxat circumſtantias.

Tertium

Tertium. Bonitas formalis iterum duplex, alia naturalis, & humana: alia ſupernaturalis, & divina. Naturalis eſt conformitas cum recta ratione, quæ ad finem naturalem per media eidem conſentanea diſponit. Supernaturalis eſt conformitas actionis cum ratione divina, quæ ad finem ſupernaturalem per media eidem congrua perducit.

§. 7. *Proprietates, & effectus Moralitatis.*

I. ASSERTIO. ACTVS moralis, ſi ſpectetur per ordinem ad regulam, reddit hominem juſtum, & æquum, vel injuſtum, iniquum, & prævaricatorem. Probatur: Omnis actus moralis vel conformis eſt regulæ, vel difformis. Si conformis, reddit juſtum, & æquum; nam bonitas dicitur juſtitia, & æquitas. Iuſtitiæ autem eſt facere juſtum, & æquitatis æquum reddere. Si difformis, facit injuſtum, iniquum, & prævaricatorem; malitia quippe dicitur injuſtitia, iniquitas, & prævaricatio; porrò injuſtitia, vbi vbi ſit, facit injuſtum, iniquitas iniquum, prævaricatio prævaricatorem.

II. ASSERT. Actus moralis reſpectivè ad Deum, & quatenus eſt finis vltimus naturæ rationalis, & quatenus vniverſi gubernator, eſt principium meriti, ſi bonus ſit, & principium demeriti, ſi malus, ideóque hominem reddit dignum præmio, vel pœna. Ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 21. art. 4. Probatur vtraque pars. Nam qui bene agit, honorem Deo vt fini vltimo exhibet, & ad ipſum tendit per actum honeſtum: ergo par eſt Deum quoque ad ipſum, vt finem vl-

Digitized by Google

timum accedere: accedit autem per remunerationem, ſéque homini tradendo per ſui poſſeſſionem: ſin autem malè agit, Deo vt fini vltimo honorem debitum non ſervat, & ab eodem recedit per actus malos; ergo par eſt quoque Deum ab eodem recedere, vt eſt finis vltimus, nec ſe poſſidendum tradere ob ipſius demeritum.

Aliunde Deus vt gubernator communitatis vniverſi, debet curam illius habere: ergo & remunerari id, quod à communitate, ejúſque membris bene geſtum ſit; punire verò, quod malè factum: ergo omnis actus moralis eſt principium meriti, ſi bonus eſt, & demeriti, ſi malus; hinc Deus cuncta, quæ fiunt ab hominibus, in judicium adducturus eſt, vt rectè, vel malè facta præmiis, aut pœnis debitis afficiat.

Porrò meritum eſt dignitas ad præmium: dignitas ad præmium eſt aptitudo ad bonum rectè agenti conveniens, quo actus bonus compenſetur, demeritum dignitas ad pœnam; dignitas ad pœnam, aptitudo ad malum malè agenti debitum, quo actus malus compenſetur.

Nec refert, quòd Deo ſecundùm ſe ex actu bono, vel malo nihil accreſcat, vel depereat, iuxta illud Iobi 35. *Si peccaveris, quid ei nocebis? porrò ſi juſtè egeris, quid donabis ei?* Aut homo dicatur à Deo vt inſtrumentum moveri. Nam homo quantum in ſe eſt, vel exhibet honorem Deo, vel ſubtrahit, cùm ſervat, vel non ſervat ordinem, quem Deus inſtituit, & quamvis moveatur, vt inſtrumentum, ſe ipſum tamen movet vt liberum arbitrium, ideóque per ſuum actum meretur, vel demeretur ex D. Thoma, hinc illud Iſaiæ 3. *Dicite juſto, quoniam bene, quoniam*

Digitized by Google

fructum adinventionum ſuarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.

III. Assertio. Actus moralis reſpectivè ad naturas intelligentiæ participes, eſt laudabilis, ſi bonus ſit: vituperabilis autem, ſi malus. Ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 21. art. 2. Ratio eſt, quia opus bonum eſt aliqua excellentia dignum, vtpote congruens rectæ rationi: ſecùs verò opus malum: at laus eſt cognitio excellentis boni cum approbatione, & imputatione bene agenti: vituperium cognitio malitiæ moralis, cum ejuſdem improbatione, & imputatione malè agenti. Approbatio, & improbatio judicium mentis, quo judicatur res eſſe perfecta, vel imperfecta. Imputatio denique judicium, quòd fuerit in poteſtate agentis agere, vel non agere, ideóque ſupponit libertatem, & dominium actus in agente, fructus itaque boni operis laus eſt, mali verò vituperium. Vnde pronunciatum Philoſophi: *laudabilia virtutum opera, vituperabilia autem opera contraria.*

Porrò omnes illi effectus dicuntur Morales per denominationem extrinſecam, tum ab actibus liberis hominis merentis, & demerentis; tum ab extrinſeca libertate præmiantis, aut punientis, laudantis, aut vituperantis.

Hactenus de actu morali pro Ethicæ inſtituto ſatis; nam fuſiorem de eo diſputationem Theologia ſibi ſuo jure vindicat. Iam de cauſis bonitatis moralis agendum.

Digitized by Google

Articvlvs II.

De cauſis bonitatis & malitiæ formalis.

DIxi ſuperiori articulo bonitatem moralem eſſe quamdam integritatem, & plenitudinem eorum, quæ adeſſe debent; bonum enim ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu. Quæ autem debent adeſſe, ſunt principia, ex quibus bonitas actionis petitur, nempe objectum, circunſtantiæ, & finis extrinſecus, ex quibus ſimul ſumptis bonitas ſimpliciter dicta ducitur, ex aliquibus tantùm bonitas ſecundùm quid. Quare tria hîc quærenda ſunt. Primum, quomodo ab objecto bonitas, & malitia in actum refundatur. Secundum, quomodo à circunſtantiis. Tertium, quomodo à fine.

§. I. *An bonitas & malitia petantur ab objecto.*

I. Observat. NOmine objecti intelligitur aliquando res externa, ſic Deus eſt objectum actus fidei, aut charitatis: aliquando actus à voluntate imperatus. v. g. largitio eleemoſynæ, aut furtum, cùm volo egenti ſubvenire, aut furari, ſunt objectum volitionis meæ.

II. Observat. In objecto ſpectatur materia, & forma. Materia eſt actio quæ fit v. g. largitio eleemoſynæ, forma eſt motivum propter quod actio ipſa exercetur. Porrò objectum materiale non debet eſſe neceſſariò bonum ex

natura ſua, ſed ſufficit ſi non ſit malum, quia circa objectum de ſe indifferens, v. g. circa ambulationem actio moraliter honeſta exerceri poteſt.

I. Assert. Prima bonitas, & prima malitia actus humani petitur ab objecto, ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 2. Probatur ex analogia, quæ eſt inter res naturales, & morales, poſitis his tribus principiis.

Primum. Vt ſe habet bonitas aut malitia in rebus naturalibus: ita bonitas aut malitia in moralibus.

Secundum. Prima bonitas naturalis petitur à forma, quæ ipſi ſpeciem tribuit, eámque primò conſtituit, & ab aliis rebus diſtinguit, vtpote primum bonum, quod ab aliis præſupponitur, patet in homine, cujus bonitas prima naturalis petitur ab anima rationali corpori vnita; prima verò malitia ex defectu ejuſdem formæ, nempe ſi res genita formam ſpecificam non conſequitur, quam natura intendebat, ſed aliam planè diverſam, vt ſi pro homine generetur ſimia, aut aliud animal.

Tertium, quod eſt forma ſpecifica in quolibet compoſito naturali, idipſum eſt objectum in actione morali, ſervata proportione: licèt enim objectum ſit inſtar materiæ, non eſt materia ex qua, inquit D. Thomas ad 2. ſed materia circa quam; & habet quodammodo rationem formæ, in quantum dat ſpeciem, non quòd bonitas, & malitia per veram, & realem efficientiam ab objecto in actus humanos effluant; objectum enim vtpote extrinſecum non influit phyſicè in actus morales, ſed quod ab objecto quaſi à forma ex-

Digitized by Google

trinſeca actus ſpecificentur, ſicut motus à termino.

Ex his principiis ſic arguo. Bonitas, & malitia moralis ſe habet in ente morali, ſicut bonitas, & malitia naturalis in ente naturali ex primo principio: prima bonitas naturalis petitur à forma, quam res genita conſequitur, malitia autem ex ejuſdem defectu ex ſecundo: & aliunde objectum formæ ad inſtar obtinet ex tertio: ergo prima bonitas, & prima malitia moralis petitur ex objecto convenienti aut diſconvenienti rectæ rationi. Et verò eleemoſynam velle largiri bonum eſt, quia egenti ſuccurrere, quod eſt illius objectum, bonum, & rationi congruum eſt: econtrà velle mentiri malum, quia mentiri, quod eſt ipſius objectum, malum eſt, & rectæ rationi diſſentaneum.

Nititur hoc ratiocinium authoritate D. Thomæ loco citato. *Bonum*, inquit, *& malum actionis, ſicut & cæterarum rerum attenditur ex plenitudine eſſendi, vel defectu ipſius. Primum autem, quod ad plenitudinem eſſendi pertinere videtur, eſt id, quod dat ſpeciem. Sicut autem res naturalis habet ſpeciem ex ſua forma: ita actio habet ſpeciem ex objecto, ſicut, & motus ex termino; & ideo ſicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex ſua forma, quæ dat ſpeciem ei: ita, & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti. Et ſicut in rebus naturalibus primum malum eſt, ſi res generata non conſequitur formam ſpecificam, putà ſi non generetur homo. Sed aliquid loco hominis: ita primum malum in actionibus moralibus eſt, quod ex objecto*, nempe diſconvenienti, *ſicut accipere aliena*, &c. hinc

II. Assertio. Bonitas, aut malitia moralis, quæ ab objecto ducitur, ſpecifica eſt quoad gradum ſpeciei vltimum. Probatur, quia per objectum quaſi per formam actus in ſpecie completa conſtituitur, ideóque bonitas, aut malitia, quæ ex circumſtantiis in actum refunditur, complet tantùm accidentariò, vtpote forma accidentalis. Nec refert, quòd bonitas aut malitia dicatur ab objecto vt genere ſumi, nam ibi genus ſumitur pro ſpecie, *eo modo loquendi*, inquit D. Thomas, *quo dicimus humanum genus totam humanam ſpeciem.*

Objicies 1. Actus externi habent bonitatem, & malitiam ab internis: ergo interni non habent bonitatem, & malitiam ab externis, adeóque nec ab objectis, quæ ſunt actus externi. 2. cauſa non poteſt habere bonitatem à ſuo effectu, vtpote illo prior: actus internus eſt cauſa externi, nam largitio eleemoſynæ eſt effectus voluntatis interioris.

Ad primum diſt. ant. Actus externi habent bonitatem, & malitiam ab internis, quoad rationem liberi, concedo: quoad conformitatem vel difformitatem cum recta ratione, nego: ergo interni non habent bonitatem & malitiam ab externis, diſt conſ. quoad rationem liberi, concedo conſequentiam: quoad conformitatem, vel difformitatem cum recta ratione, nego conſequentiam. Duo quippe ad bonitatem aut malitiam moralem requiruntur; primò libertas, ſecundò conformitas cum recta ratione, vel difformitas, ſeu repugnantia cum eadem. Primum petitur ab actibus internis, ſecundum ab externis.

Ad ſecundum diſt. ant. Cauſa non poteſt ha-

Digitized by Google

bere bonitatem à ſuo effectu, quaſi bonitas effectus ſit bonitas cauſæ, concedo: non habet per ordinem, & reſpectum ad effectum tanquam ad terminum, vel tanquam ad objectum, nego. Certè largitio eleemoſynæ bona eſt, quia tendit ad bonum terminum, nempe ad levamen indigentiæ; & ideo velle dare eleemoſynam eſt quid bonum, quia ordinem habet ad ejuſmodi objectum, quod eſt largitio externa eleemoſynæ. Porrò bonitas, & malitia moralis eſt in objectis cauſaliter remotè; in actibus humanis cauſaliter proximè; in voluntate formaliter, ſicut ſanitas eſt in medicina vt in cauſa, in animali verò vt forma in ſubjecto. Quare actus externus eſt bonus bonitate objectiva, ſibi intrinſeca; bonitate autem formali tantùm extrinſecè à bonitate, quam actus imperans in voluntatem refundit.

§. 2. *Quomodo bonitas & malitia petatur à circunſtantiis.*

I. Observatio. Nomine circunſtantiarum intelligimus adjuncta quædam, ipſius actionis, quæ ſic appellantur, quòd extra rei eſſentiam ſint, eámque quaſi circunſtent, & ſubſtantiam actuum humanorum quaſi afficiant, ſicut in localibus id dicitur circunſtare, quod rei extrinſecùs accidit, eíque aliquatenus ſecundùm locum appropinquat. Illarum meminit Ariſtoteles lib. 3. Ethic. cap. 1. ἴσως οὖν οὐ χεῖρον διορίσαι αὐτὰ, τίνα καὶ πόσα ἐστὶ, τίς τε δὴ, καὶ τί, καὶ περὶ τί, ἢ ἐν τίνι πράττει, ἐνίοτε τε καὶ τίνι, οἷον ὀργάνῳ, καὶ ἕνεκα τίνος, οἷον σωτηρίας, καὶ πῶς, οἷον ἠρέμα, ἢ σφόδρα. Sed fortaſſe non erit malum diſtinguere ipſa, quæ

Digitized by Google

& quot ſint, quis agat, & quid, & circa quid, vel in quo; interdum verò quo quaſi inſtrumento, cujuſque rei gratiâ, vt ſalutis, & quo tandem modo, vt remiſsè, vel magnopere ac vehementer. Septem hîc circunſtantias enumerat Philoſophus, quarum alias vocat κυριωτάτας, primarias, cujuſmodi eſt res ipſa, quæ agitur, & finis, propter quam actio ſuſcipitur, alias verò minùs principales. Singulas hic verſus complectitur,

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis deſignat conditionem perſonæ, an plebeïus an nobilis vir ſit. *Quid* innuit quantitatem rei, ſeu parvum, & magnum in objecto. *Vbi* locum denotat, publicum, aut privatum, ſacrum, aut profanum. *Quibus auxiliis* inſtrumenta ſignificat, quibus res peragitur. *Cur* deſignat finem actionis, ſeu motivum agentis. *Quomodo* modum indicat, quo res peragitur, an conſultò, & meditatò, an ex aliqua cupiditate. *Quando* conditionem temporis arguit, an die, an nocte, an die feſto, aut profeſto.

II. Observat. Philoſophi eſt circunſtantias contemplari, quia illius eſt actus humanos examinare, quatenus hominem ad beatitudinem ordinant ac ducunt. Quidquid autem ad finem ordinatur, debet habere proportionem cum fine ſecundùm commenſurationem quamdam, quæ per debitas circunſtantias fit.

III. Observat. Circunſtantiæ accidunt actui humano non tantùm ſecundùm naturam, ſed etiam ſecundùm morem ſpectato; accidunt enim actui, quatenus eſt conformis, vel difformis

X v

rectæ rationi, adeóque prout eſt moralis & liber, quare ad bonitatem aut malitiam moralem non ſunt abſolutè neceſſariæ, quamdiu manent circunſtantiæ; nec induunt rationem objecti; actus ſi quidem ſufficientem bonitatem, & malitiam moralem ex objecto haurire poteſt, vt patet in actibus ex objecto bonis, vel malis, cujuſmodi eſt amor, aut odium Dei; tamen quia actibus humanis annexæ ſunt vt plurimùm ejuſmodi circunſtantiæ, augent vtique haud parùm, minuúntque bonitatem, vel malitiam. His obſervatis ſit

I. Assert. Bonitas, & malitia actus humani petitur etiam ex circunſtantiis, quæ actum moraliter afficiunt. Ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 3.

Probatur 1. ex Ariſtotele lib. 2. Ethic. cap. 6. Τὸ δ' ὅτε δεῖ, καὶ ἐφ' οἷς, καὶ πρὸς οὓς, καὶ ἕνεκα, καὶ ὡς δεῖ, μέσοντε καὶ ἄριστον, ὅπερ ἐπὶ τῆς ἀρετῆς. At verò quando oportet, & in quibus, & ad quos, & cujus cauſa, & vt oportet, & medium eſt, & optimum, quod in virtute conſiſtit. Vides hîc circunſtantias temporis, perſonæ, & finis ex mente Philoſophi ad actionis honeſtatem momenti haud parum afferre.

Probatur 2. ratione, quam D. Thomas ex analogia rerum naturalium petit. Perfectio rei naturalis non ab vna tantùm forma ſubſtantiali, ſed etiam à complexione formarum accidentalium, quæ eidem accidunt, trahitur. v. g. hominis perfectio non ex vna duntaxat anima rationali corpori vnita, ſed ex partium conformatione, colorum temperatione, & effloreſcente vndique membrorum concinnitate exiſtit, ex qui-

Digitized by Google

bus ſi deſit quidpiam ad decentem partium habitudinem, malum indidem conſequitur; ergo à pari tota perfectio moralis non ex vno tantùm objecto, ſed etiam ex debitarum circunſtantiarum complexione, exurgit, quarum ſi aliqua deſit, actio ſtatim deficit.

Hinc duplex in actu bonitas, primaria, & ſecundaria, ſeu ſpecifica, & accidentalis: illa petitur ex ordine ad objectum, hæc ex ordine ad circunſtantias; hinc ruit argumentum, quo circunſtantiæ dicuntur eſſe extra actum. Sunt enim extra actus ſubſtantiam, at non extra perfectionem accidentalem, ſicut accidentia phyſica ſunt extra eſſentiam phyſicam quidem, non tamen extra perfectionem accidentariam ejuſdem eſſentiæ, quam perficiunt.

Objicies 1. Circunſtantiæ bonitatem aut malitiam non communicant, niſi volitæ ſint, at vbi volitæ ſunt, deſinunt eſſe circunſtantiæ, induúntque naturam objecti, quod ipſis circunſtantiis præexiſtit: ergo, &c.

Reſp. diſtinguo majorem, niſi ſint volitæ primariò; nego: ſaltem ſecundariò, concedo. Objectum quippe primariò, & per ſe volumus, circunſtantias ſecundariò, & quaſi concomitanter, ſicut agens phyſicum primariò intendit formam ſubſtantialem vnire materiæ, ſecundariò formas accidentales, quæ ſunt formæ ſubſtantialis appendices.

Objicies 2. Continuatio, ſeu perſeverantia eſt circunſtantia actus moralis: continuatio non tribuit bonitatem aut malitiam actui, aliàs actus breuiſſimo tempore continuatus haberet bonitatem aut malitiam infinitam, quia in breviſſimo

tempore ſunt inſtantia infinita; & aliunde cuilibet inſtanti reſpondet ſua bonitas aut malitia: ergo, &c.

Reſpondeo, quamvis bonitas per ſe reſpondeat actui in primo inſtanti, non tamen reſpondere in inſtantibus continuativis partium temporis, quo actus durat, quia voluntas non vult continuare actum in illis inſtantibus niſi per accidens, & quatenus vult ipſum durare per partes temporis determinatas ejuſmodi inſtantibus copulatas, quare licèt illa inſtantia eſſent infinita, non ideo bonitas eſſet infinita.

Inſtabis: illa bonitas eſt infinita; quæ reſpondet partibus infinitis temporis: bonitas actus reſponderet partibus temporis infinitis: ergo eſſet infinita.

Reſpondeo diſtinguo majorem, bonitas, quæ reſpondet partibus infinitis, quatenus infinitæ ſunt, eſt infinita, concedo: quatenus finitæ ſunt, nego. At bonitas determinata actus reſpondet per ſe partibus temporis, quatenus finitæ ſunt, non quatenus infinitæ.

II. Assert. Inter circunſtantias, aliquæ bonitatem, aut malitiam novam non communicant actui à priori bonitate aut malitia ſpecie diſtinctam, ſed augent, vel minuunt bonitatem, aut malitiam intra eamdem ſpeciem.

Prob. v. g. diverſa quantitas pecuniæ furto ſublata furtum facit majus, ſi major; minus verò, & levius, ſi minor, ſemper intra eamdem ſpeciem furti, quod ſit peccatum mortale.

III. Assert. Circunſtantiæ aliquæ, addunt actui novam, & diſtinctam ſpecie bonitatem, vel malitiam, v. g. furtum rei ſacræ addit ra-

tionem ſacrilegii diverſam à malitia ſimplicis furti.

Advertendum tamen circunſtantias, quæ novam ſpeciem addunt, eſſe accidentia. Non enim dicuntur mutare ſpeciem eo ſenſu, quòd tollant priorem malitiam, aut bonitatem, & in aliam transferant, ſed quia priori ſpeciei eſſentiali addunt aliam. ſicut in Phyſicis forma accidentalis ſubſtantiæ addita novam addit ſpeciem entis, nec idcirco deſinit eſſe accidens, quia ejuſmodi forma poteſt adeſſe, aut abeſſe à ſuo ſubjecto ſine illius corruptione. Sic in moralibus, licèt circunſtantia novam ſpeciem moralem præexiſtenti ſpeciei ſuperaddat, accidit tamen actui jam conſtituto in prima ſua ſpecie, quia eſt præter rationem ejus, potéſtque adeſſe, aut abeſſe remanente eâdem ſpecie, tamen ſicut forma accidentalis, v. g. albedo, eſt de eſſentia albi, vt album eſt: ita circunſtantia ſpeciem immutans eſt de eſſentia ſpeciei additæ, ſeu totius complexi; hinc D. Thomas quæſt. 2. de malo árt. 6. in corpore, & ad ſecundum docet circunſtantias, quæ ſpeciem mutant, vel comparari poſſe formaliter cum ſpecie, quam addunt, & ſic ſpectatas non habere rationem principii accidentalis, ſed eſſentialis, ſeu objecti; vt cùm quis vult eleemoſynam largiri, vt pro peccatis ſatisfaciat, tunc eleemoſynæ largitio eſt inſtar objecti materialis, ſatisfactio verò inſtar objecti formalis. Et actus ille, qui eſt largitio eleemoſynæ, quà conſtituitur formaliter in ſpecie ſatisfactionis, reſpicit motivum pœnitentiæ, non vt circunſtantiam, ſed vt proprium objectum formale. At ſi fiat comparatio cum actu, cui ſpecificam illam bonitatem accidentalem moti-

vum pœnitentiæ communicat, certè finis pœnitentiæ ad actum miſericordiæ comparatus, & vt ſic ſpectatus tribuit illi ſpeciem accidentalem. Sicut in entibus naturalibus forma accidentalis ſpectata in ordine ad compoſitum, quod conſtituit, quatenùs tale eſt, dicitur principium ejus eſſentiale, non accidentale. Ita albedo, vt jam dixi, eſt de eſſentia albi, quatenùs album eſt, licèt ſubjecto, quod eſt album materialiter, ſimpliciter accidat.

Quæres 1. Quid requiratur, vt circunſtantiæ afficiant actum moraliter? R. Eam circunſtantiam afficere moraliter actum humanum, quæ comparata ad rectam rationem mutat habitudinem ad eamdem majori, vel minori difformitate. v. g. quòd homicidium in hac, vel illa domo fiat, non eſt circunſtantia reſpectu illius homicidii, quia nihil addit aut detrahit de illius difformitate in prudenti hominum exiſtimatione; ſecùs autem accidit, ſi fiat in templo. Ratio à priori eſt, quòd recta ratio ſit regula humanorum actuum, & illorum circunſtantiarum. Ergo ratio bonitatis, aut malitiæ, quæ eſt in circunſtantiis, explicari debet per ordinem ad dictamen rectæ rationis. At recta ratio præcipit reverentiam in templo, & prohibet irreverentiam. Hinc

Intelliges 1. cur conditiones actus, licèt morales ſint, non tamen propriè ſint circunſtantiæ, ſed eſſentiales tantùm conditiones, nempe quia juxta rectam rationem omninò, & ſimpliciter neceſſariæ ſunt illæ conditiones ad honeſtatem, aut turpitudinem, non tantùm ad maiorem, aut minorem bonitatem, ſeu malitiam.

Digitized by Google

Intelliges 2. Quando circunſtantiæ ſpeciem mutent, quando verò intra eamdem ſpeciem augeant bonitatem, vel malitiam; cùm enim ſpecies ſumatur per reſpectum ad rationem, ſive ad objectum, vt rectâ ratione regulatur, dum circunſtantia mutat omninò conformitatem, vel difformitatem cum ratione, mutat etiam ſpeciem; ſin verò intra eumdem ordinem auget, vel minuit conformitatem, aut difformitatem, auget etiam, aut minuit intra eamdem ſpeciem.

Intelliges 3. Ex circunſtantiis aliquas afficere ſemper moraliter actum, cujuſmodi ſunt quomodo, quid, ſeu quantitas materiæ, quia ejuſmodi circunſtantiæ aliquomodo materiam mutant, quatenùs in ea medium rationis conſtituitur, ſive quatenùs mutant habitudinem actus ad rectam rationem: aliæ verò circunſtantiæ putà, locus, tempus, perſona, non ſemper afficiunt actum moraliter, quia non ſemper mutant habitudinem ad ipſam rationem. Porrò vt circunſtantia afficiat actum, debet eſſe aliquomodo voluntaria, adeóque cognita ſaltem indirectè.

§. 3. *An bonitas, & malitia petantur ex fine.*

I. Observ. IN actu humano duplex finis, proximus, ſeu intrinſecus, qui eſt finis operis; remotus, ſeu extrinſecus, qui dicitur finis operantis.

II. Observat. Actus voluntatis poteſt verſari circa idem objectum duobus modis propter finem externum. Primò ita eligendo medium pro-

pter finem, vt tota ratio, & proximum motivum ejuſmodi actus ſit ipſe finis. Secundò ita vt finis ipſe actum ad ſe relatum terminet. v. g. cùm voluntas vult proximè objectum ob bonitatem illius intrinſecam, & prætereà illud ipſum refert in finem vlteriorem. In priori actu finis, licèt extrinſecus reſpectu materiæ, ſive medii electi, ſe tamen habet, vt objectum formale reſpectu voluntatis; in poſteriori verò actu finis externus non eſt objectum formale proximum, quia ſupponit aliud priùs ſe, nempe objectum, ſeu finem internum.

I. Assertio. Actus humanus ſpeciem ſumit à fine interno primò, & per ſe.

Probatur quia idem eſt finis internus, ac objectum ipſum formale, & proximum. Sed actus ſpeciem ſumit ab objecto primò, & per ſe. Vt probatum eſt prima aſſertione 1. §. Ergo & à fine interno.

II. Assert. Actus humanus bonitatem, vel malitiam petit etiam à fine externo.

Prob. Finis externus eſt præcipua inter circunſtantias; nam aliæ ſe habent per modum accidentis; finis verò eſt cauſa actus humani. At actus ſumit bonitatem, & malitiam ab aliis circunſtantiis. Ergo potiori jure à fine externo.

2. Ex D. Thoma. Sicut eſſe rei pendet ab agente, & forma, ſic bonitas illius pendet à fine. Ratio à priori eſt, quòd bonitas creata non ſit abſoluta, ſed relativa ad cauſas à quibus pendet; atqui rei bonitas pendet à fine, à qua complementum vt à cauſa accipit, ſicut eſſe rei pendet ab agente; hinc S. Doctor quadruplicem bonitatem in actu humano conſiderat. Prima eſt naturalis, & ge-

nerica, quæ convenit actioni, vt vitalis eſt, adeóque communis eſt actibus bonis, & malis, hanc vocat D. Thomas bonitatem ſecundum genus. Secundam habet ex objecto rationi conſentaneo. Tertia ducitur à circunſtantiis quaſi à quibuſdam accidentibus. Quarta à fine externo, vt à cauſa. Vnde D. Thomas finem ab aliis circuſtantiis diſtinxit, tum quia non tantùm eſt circunſtantia, ſed etiam cauſa, à qua bonitas, & malitia potiſſimùm pendet, tum quia licèt ſit circunſtantia actus exterioris, tranſit in objectum reſpectu actus interioris voluntatis, vt hîc obſervat Cajetanus.

Hinc rectæ intentionis neceſſitas magna in omnibus, quæ agimus, quippe quæ bonitatem ſuam in quamlibet electionem mediorum, quæ bonitatis capax ſit, effundere valeat. Quò ſpectat illud Chriſti effatum: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum luminoſum erit, &c.*

§. 4. *Quæ relatio actus in finem requiratur, ad bonitatem.*

ADVERTE. multiplicem relationem actus, ſeu intentionem diſtingui à Theologis. Prima eſt interpretativa ex habitu tantùm, id eſt quæ ex ſolo habitu procedit. Secunda, habitualis ex actu præcedenti ſolùm, quia præceſſit. Tertia, virtualis ex præcedenti actu media virtute relictâ, & influente. Quarta, actualis, quâ actu intenditur finis.

I. ASSERT. Interpretativa relatio actus in finem, tunc eſſe cenſetur, cùm homo ita affe-

ctus, ac diſpoſitus eſt, vt ſi hîc, & nunc de fine cogitaret, actum ſuum in eumdem referret; ſed hæc non ſufficit, quia actus ex vi illius diſpoſitionis operantis, nec habet intrinſecam bonitatem ex fine, in quem per ſe non tendit; nec extrinſecam, quia in eum non refertur ab aliquo principio extrinſeco: ergo nullam habet.

II. Assert. Habitualis, quæ cenſetur eſſe in operante per habitum virtutis, non ſufficit. 1. Quia habitus virtutis non confert bonitatem, niſi, vel cùm elicit, vel cùm imperat. At dum habitus in facultate otioſus reſidet, nec elicit, nec imperat actum: ergo non confert bonitatem. 2. Quia in homine juſto, multíſque inſtructo virtutibus, quilibet actus virtutis haberet bonitatem omnium virtutum, quæ in illo habitualiter perſeverarent, quod falſum.

III. Assert. Non ſufficit relatio habitualis relicta moraliter ex actu præterito, quæ poſteà in actum non influat, ſed moraliter tantùm denominet. Prob. vt bonum ſit opus, debet vi relationis in finem ipſe operans excitari, tamquam à cauſa movente & influente: atqui habitualis relatio ex actu relicta ſupponitur non influere in actum, quia actus, qui præceſſit, nec in alio actu, nec in memoria remanet: ergo nullomodo influit.

IV. Assert. Non requiritur actualis relatio, ſeu intentio expreſſa, & actualis in finem. Probatur. Quia ſufficit relatio virtualis ex vi intentionis virtute perſeverantis. Ita D. Thomas 3. contra gentes c.138. rat. 3. *Voluntas*, inquit, *precedens actum virtute manet in tota conſecutione actus, & ipſum laudabilem reddit, etiam cùm de propoſito voluntatis, propter quod actus incipit, in*

Digitized by Google

executione operis non cogitatur.

Prob. 2. In materia de Sacram. docent Theologi intentionem virtualem ſufficere ad conficiendum ſacramentum, nec formalem requiri. Item dum homo aliquid per alium agit, quod ipſi mandavit, vt rex per legatum, quamdiù non retractat mandatum, dicitur virtute operari quidquid legatus operatur. Deinde longè perfectiùs operatur, qui ex laudabili intentione ad opus ſe applicuit & in eo perſeverat; etſi actu explicito & expreſſo de fine nihil cogitet, quàm qui ſine vlla intentione ad opus ſe applicuit: primus enim cenſetur agere ſtudiosè, ſecundus verò otiosè. Denique qui operatur vi prioris intentionis, ſtatim, vt illam mutat, ab operando ceſſat. Ergo ſignum eſt illum operari ex prævio aliquo influxu voluntatis. At quis ille influxus, & quomodo fit?

Reſpondet Suares Granatenſis multis modis contingere. I. Si idem numero actus imperatus perſeveret poſt actum imperantem interiorem interruptum; vt ſi quis ſe ad orationem vocalem applicet, ex intentione implendi præcepti, & in ipſo orationis curſu ſubinde diſtrahatur, implet tamen præceptum, manétque virtus prioris intentionis in opere, & potentia exequente applicata, ſive illa applicatio poſita ſit in ſola actione exterioris potentiæ, ſive in aliquo vſu interioris voluntatis, ſed adeo ſimplici vt vix percipi poſſit. II. Cùm eſt aliqua in actionibus varietas, & connexio; ita tamen vt ab omnibus planè non ceſſes, ſed ab vna ad alteram tranſeas. Vt ſi quis ex intentione celebrandi ſacri domo exeat, ſacellum adeat, flectat genua; manet enim virtus

prioris intentionis, ſive electionis in proxima voluntate, & per illam imperat alteram.

At dum intentio formalis, omniſque actus ab illa fluens interrumpitur, vt in eo, qui voti implendi causâ multis diebus peregrinatur, nec quotieſcumque evigilat, voti ſui meminit, ejúſque intentionem non renovat, quomodo intentionis prioris virtus perſeverat? Reſpondet idem virtutem prioris intentionis per apprehenſionem, & judicium intellectus applicari, quatenùs homo, dum evigilat, ſtatim apprehendit, & judicat ſibi iter eſſe faciendum, non ratione bonitatis inquiſitâ, aut convenientiæ, ſed ex vi prioris deliberationis id ſibi agendum judicat, & ad electiones hîc, & nunc neceſſarias movetur, quo in caſu dicitur operari virtute prioris intentionis, quia tota efficacia inde oritur. Tunc enim intellectus virtute prioris intentionis movet efficaciter voluntatem ad exercitium. Porrò motio ejuſmodi tantò, erit melior quantò in objecto judicata fuerit aliqua ratio boni magis accedens ad bonitatem prioris intentionis.

Ego virtualem intentionem ſic interpretor, vt putem ſemper intervenire influxum aliquem realem voluntatis, ſeu actum, ſed ita tenuem, ſubtilémque, vt à nobis vix percipiatur

§. 5. *Quomodo ab objecto, fine, & circunſtantiis bonitas, & malitia petantur.*

I. Assert. Vt actus ab objecto, fine, & circunſtantiis bonitatem hauriat, debet elici ex motiuo bonitatis, ſeu

Digitized by Google

honeſtatis illius.

Probatur 1. ex Ariſtotele 2. Ethic. cap 4. τὰ δὲ κατ' ἀρετὰς γινόμενα, οὐχ ἐὰν αὐτά πως ἔχῃ, δικαίως ἢ σωφρόνως πράττεται, ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὁ πράττων πως ἔχων πράττῃ, πρῶτον μὲν ἐὰν εἰδώς, ἔπειτ' ἐὰν προαιρούμενος, καὶ προαιρούμενος δι' αὐτά. τὸ δὲ τρίτον καὶ ἐὰν βεβαίως, καὶ ἀμετακινήτως ἔχων πράττῃ. At verò quæ virtutibus geruntur, non ſi ea quodammodo ſe habeant, juſtè, aut temperanter aguntur, ſed ſi etiam is, qui facit, quodammodo affectus faciat. Primò quidem ſi ſciens eſt, deinde ſi eligens, & eligens propter ipſa; tertiò autem ſi firmè, conſtantérque faciat. Quatuor itaque ex Philoſopho ad actiones honeſtas requiruntur. Primum, ſcientia agentis; nam qui ex ignorantia, & imprudentia aliquid agit, quod eſt juſtum, is ex illa actione laudem non meretur. Secundum προαίρεσις hoc eſt certum propoſitum, aliter diceretur temerè agere. Tertium, finis, nempe vt ſolius virtutis, & honeſtatis amore agat. Quartum, conſtantia in agendo, hoc eſt eodem actionis tenore vtatur ſemper, nec ab opere facilè dimoveatur; hoc enim virtutis eſt proprium, vt conſtanter ſe habeat in rectè factis.

Vnde cùm hæc quatuor concurrunt, dicitur agens ex virtute, perfectè, & plenè laudabilis: ergo ex Philoſopho agens ex virtute, debet ex amore honeſtatis agere, quæ ex objecto, fine, & circunſtantiis petitur, ideóque obiectum, finis, & adjuncta debent eſſe volita.

Conſentit D. Thomas quæſt. 19. a. 7. ad 3. *Ad hoc*, inquit, *quòd ſit voluntas bona, requiritur, quòd ſit bona ſub ratione boni, id eſt, quòd*

Digitized by Google

velit bonum, & propter bonum ſeu quia bonum eſt.

Probatur ratione I. Conformitas actus, in qua ſita eſt ratio honeſtatis, non debet ſpectari ſolùm in ordine ad objectum materiale, ſed etiam ad formale: at non poteſt ſpectari in ordine ad objectum formale, niſi agens operetur ex amore illius: ergo, &c. Confirmatur. Velle ſublevare inopiam pauperis eo duntaxat animo, vt illum inducas ad obſequium tuum, non idem ac velle ei ſuccurrere, quia honeſtum eſt egenti ſubvenire. Quia primus actus fit ex amore proprio, ſecundus verò ex amore miſericordiæ. cur autem? niſi quia voluntas tendit in levamen pauperis per primum actum ex amore proprii commodi, per ſecundum verò, quia eſt opus miſericordiæ: ergo actus virtutis debet fieri ex amore ipſius honeſtatis.

II. Actio ſæpe verſatur circa objectum de ſe indifferens, vt ſub honeſta, vel turpi ratione amari poſſit, potéſtque fieri ex motivo diverſarum virtutum. Ergo vt fiat ex honeſta ratione potiùs quàm ex turpi, ex motivo vnius potiùs virtutis, quàm alterius, debet ſub honeſti ratione appeti, & ex amore vnius potiùs virtutis, quàm alterius exerceri.

Denique ſicut bonitas in genere eſt objectum formale volitionis in genere: ita bonitas honeſta eſt objectum volitionis honeſtæ: ergo vt volitio ſit moraliter bona, ferri debet in bonum honeſtum propter ipſum.

Porrò quod dixi de objecto, id ipſum valet in fine, & circunſtantiis, quæ non poſſunt ex prudenti æſtimatione, niſi objectivè ad bonitatem

Digitized by Google

actus conferre, adeóque cognoſci, appetíque debent; hinc oratio facta in loco ſacro nihil bonitatis formalis inde contrahit, niſi orans ab illa loci differentia moveatur.

II. Assert. Bonitas vt appetatur, debet ſaltem cognoſci in actu exercito. Probatur, quia nihil volitum, quin præcognitum. Dixi in actu exercito, quia non opus eſt, vt in actu reflexo cognoſcas, hoc eſt, vt ſcias, quemadmodum objectum ſit conforme legi divinæ, ſed ſatis eſt, ſi ſcias honeſtum eſſe, adeóque expetendum.

III. Assert. Vt actus internus ſit malus ex objecto, aut circunſtantiis, non opus eſt vt objectum ametur propter malitiam, ſive vt malitia ſit directè volita, ſed ſatis eſt vt cognoſcatur malitia objecto volito annexa, adeóque interpretativè volita ſit. Probatur. Malum, quà malum non poteſt appeti à voluntate, ſed ſatis eſt aliquod bonum appeti, quod conjunctum cum aliqua ratione mali ſcias, & conſequenter illicitum; quamvis enim voluntas poſſit velle vnum malum propter aliud, atque ita à malo ad malum moveri: neceſſarium tamen eſt, vt ſit vltimò aliqua ratio boni, ad quam hæc omnia referantur, & propter quam voluntas eadem velit, & proſequatur. v. g. licèt aliquis furari poſſit, vt gulæ indulgeat; ratio tamen volendi non eſt ipſa malitia objecti, ſed voluptas, quam inde ſe percepturum ſperat. In eo tamen peccat voluntas, quòd ratione voluptatis acceptet ea, quæ nonniſi indecenter delectationis causâ acceptari poſſunt. Immò vellet peccator omnem malitiam abeſſe. Quia tamen illud opus vult, cui hîc, & & nunc illam malitiam conjunctam novit, vult

Digitized by Google

illud totum vt eſt, & ita cenſetur interpretativè velle ipſam malitiam.

Ratio à priori eſt, quia bonitas actus conſiſtit in perfectione poſitiva, malitia autem in defectu: ergo ad bonitatem actus requiritur poſitiva inclinatio, & perfecta tendentia ad bonum, & obſequium poſitivum erga ſupremum legiſlatorem, denique ordinatio in finem: ad malitiam autem ſufficit quælibet tendentia imperfecta, & defectus ab ejuſmodi obſequio, & ordinatione. *Bonum quippe ex integra cauſa, malum autem ex quolibet defectu*, quia bonum perfectum, malum verò imperfectum, ad quod proinde ſufficit vel vnus defectus. Porrò ille defectus habetur dum legiſlatori, & vltimo fini aliquid contrarium præfertur, nec opus eſt amare directè contemptum legiſlatoris, & negationem vltimi finis; hinc pauciora ad malitiam requiruntur, quàm ad bonitatem, fítque aliquando per accidens, vt ipſa malitia objecti, nequidem in ſe cognoſcatur, vt iis accidit, qui peccant ex ignorantia vincibili, malúmque ipſum in ſua tantùm cauſa volunt.

IV. Assert. Vt actus internus ſit bonus, nihil debet habere malitiæ admixtum, tum ex parte obiecti, tum ex parte circunſtantiarum. Probatur: Bonum idem eſt ac perfectum: perfectum, cui nihil deeſt eorum, quæ adeſſe debent: deeſſet autem, ſi quid vitioſitatis ex objecto aut circunſtantia traheret. Certè bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu, vt jam monui. 2. omnis actus bonus eſt prudens ex Philoſopho: nullus actus prudens poteſt eſſe malus, vtpote rectæ rationi conformis, quæ malum omne prohibet. Denique cur Chriſtus eleemoſy-

nam

nam ex intentione vanæ gloriæ factam nulla patris mercede dignam pronuntiat Matth. 6. niſi quia ex circunſtantia finis vitiatur?

CONSECTARIA EX DICTIS.

I. Non plus eſt bonitatis formalis in actu ratione objecti, aut finis, quàm ſit cognitionis, & affectus liberi in agente. Patet ex I. aſſertione, quia actus debet fieri ex amore bonitatis objecti, & circunſtantiarum, adeóque ex ejuſdem cognitione; hinc licèt objectum, aut circunſtantia ipſi annexa, infinita ſit, non ideo infinita bonitas indidem in actum refunditur, quia nec cognitio, nec affectus agentis creati objecto infinito adæquari poſſunt: Nam cognitio attingit tantùm confusè, & imperfectè rationem infiniti, ideóque voluntas tendit tantùm inefficaciter in ipſum.

II. Actus ex naturæ inſtinctu, aut temperamento elicitus, cujuſmodi eſt manſuetudo naturalis, non eſt bonus bonitate morali. Ratio eſt, quia fit ab homine vt agit ex natura, non vt homo ex amore honeſtatis. Deinde ejuſmodi virtutum ſimulacra in brutis reperire eſt.

III. Cùm vnus actus virtutis præcisè propter alterum eligitur, nullâ habitâ ratione ſuæ bonitatis, ſed alterius duntaxat actus, propter quem expetitur, non eſt bonus niſi bonitate ejus, propter quem expetitur. v. g. ſi quis temperantiam non propter honeſtatem illius propriam, ſed propter vnam caſtitatem colat, tunc illius actus gaudet vnâ bonitate formali caſtitatis, quia fertur in actum illius actus præcisè, quatenus in eo honeſtas caſtitatis relucet.

IV. Idem actus voluntatis poteſt habere mul-

tiplicem bonitatem, vel malitiam formalem interdum ſpecie, interdum ſolo numero differentem, quia voluntas poteſt vno, eodémque actu bonitatem ex objecto, fine, & circunſtantiis trahere, ſicut idem intellectus poteſt eodem actu ferri in multas veritates. Sic poteſt quis eodem actu amare juſtum, & quia juſtum, & quia Deo gratum, & quia ſibi vtile: item conſentire in actum malum, quòd injuſtum ſimul ſit, & caritati repugnans, & ſibi exitioſum. Vnde reus erit multiplicis malitiæ. Quò ſpectat illud D. Auguſtini lib. contra mendacium cap. 8. *Pejor eſt, qui concupiſcendo, quàm qui miſerando furatur*; hinc 1. cùm quis vult dare eleemoſynam pauperi ex amore Dei, quia objectum eſt bonum, & finis extrinſecus operantis bonus, actus illius eſt in duplici bonitatis ſpecie nempe in ſpecie miſericordiæ erga pauperem, & charitatis in Deum. 2. cùm objectum eſt malum, & finis operantis malus. Tunc actus duplicem habet malitiam. v. g. dum quiſpiam furatur vt adulterium patret, reus eſt tum furti, tum adulterii; ita tamen vt magis adulter ſit, quàm fur ex Ariſtotele 5. Ethic. cap. 2. refert enim furtum ad adulterium.

v. Cùm objectum ex ſe bonum eſt, & finis operantis malus, actus malus eſt ſimpliciter malitiâ petitâ ex fine, nihílque bonitatis habet. Vt ſi eleemoſynam fœminæ egenti largiaris, quò ipſam faciliùs in peccatum inducas. Ratio eſt quia licèt largitio eleemoſynæ in ſe bona ſit, tamen adhibetur ab operante quà vtilis ad finem malum, ideóque ex circunſtantia finis vitiatur.

vi. Cùm objectum eſt ſecundùm ſe malum,

& finis operantis bonus, actus ſimpliciter malus eſt malitiâ objecti. Vt ſi quis furetur ad ſublevandam pauperis egeſtatem. Ratio eſt, quia licèt bonum ſit ſecundùm ſe dare eleemoſynam, tamen dare ex alieno, eſt malum ſimpliciter; at ex Apoſtolo ad Rom. 3. non ſunt facienda mala, vt veniant bona; hinc *mentiri ſemper eſt malum* ex Auguſtino, *etiamſi fiat ob finem bonum.* Quare non excuſandi à culpa Patres veteris teſtamenti. Si quando res ſuas mendacio texerint, niſi fortè putarint ex errore invincibili mendacium in tam gravi cauſa fuiſſe licitum.

VII. Bona intentio ex mala electione vitiatur, ita vt ipſa intentio, alioqui per ſe bona, ex electione mala vitioſa ſit. Ratio eſt, quia non modò malum eſt medium malum eligere, ſed etiam intendere bonum, quod malo medio aſſequi velis.

§. 6. *Canones ad diſcernendum peccatum mortale.*

PRIMVS. Ad peccatum mortale opus eſt vt malitia objecti expreſsè cognoſcatur, aut ſaltem de ea dubitetur. Ratio eſt, quia nullum eſt peccatum, niſi voluntarium, & liberum, nullum liberum ſine prævia deliberatione: nulla prævia deliberatio ſine cognitione perfecta, aut dubitatione de malitia objecti. Vt patet ex paragrapho ſuperiori.

Secundus. Duplex deliberatio, ſeu advertentia rationis, prima imperfecta, & ſemiplena: ſecunda perfecta, & plena.

Tertius. Ex Sanche lib. 1. cap. 1. in præcepta

numquam committitur peccatum mortale ex imperfecta tantùm advertentia, & deliberatione. Ratio eſt, quia dedecet divinam bonitatem hominem in æternum damnare ob peccatum ex advertentia imperfecta, deinde quod non eſt ex perfecta advertentia, non eſt perfectè liberum.

Quartus. Peccatum ex natura ſua mortale, veniale tantùm fit per advertentiam imperfectam.

Quintus. Voluntas, vt plenè conſentiat, duo requirit. 1. Advertentiam intellectus perfectam, & plenam. 2. Motum voluntatis liberum, hoc eſt conſenſum, hæc enim duo vbi concurrunt, voluntas peccat, licèt conſenſus duret tantùm per inſtans. Hinc meritò Sapiens: *Et in puncto temporis ad inferna deſcendunt.*

Sextus. Tunc poteſt dici imperfecta advertentia, vel cùm homo non habet locum perfectè deliberandi; vel licèt poſſit plenè advertere, id tamen non facit cum dominio ſui actus ob ſenſus aliquomodo ligatos, aut animum alteri rei vehementiùs affixum, vt iis contingit, qui ex media parte vigiles ſunt, aut ſpeculationi maximè incumbunt.

Septimus. Peccatum his gradibus conſummatur. 1. Objectum illicitum in ſenſus externos incurrit. 2. Imaginationi objicitur, quæ per idolum à ſe fabricatum appetitum ſenſitivum excitat, & quadam voluptate demulcet, impreſſo motu corpori. 3. Tranſmittitur in intellectum ſequeſtra ſpecie ſpiritali, quam procudit intellectus agens, patientique imprimit, à quo ſpecies expreſſa formatur, quæ voluntati objecti illecebrâ propoſitâ, ejus deſiderium prolicit, &

quaſi invitat. 4. Hinc oritur quædam delectatio in voluntate, quæ dicitur motus primò primus, qui nondum peccatum eſt. 5. Vt hæc delectatio ſit ad peccatum ſufficiens, intellectus debet advertere ad objecti illiciti bonitatem titillantem, quatenùs legi divinæ repugnat. 6. Poſita hac rationis advertentia, & plena deliberatione, ſi voluntas adhæret objecto, & conſentit, peccat mortaliter in materia gravi, quia præceſſit plena advertentia; in levi autem, tantùm venialiter; aut in gravi etiam venialiter, ſi imperfecta tantùm deliberatio præextiterit.

Octavus. Etiam dubium de malitia actus objecto adjuncta ſufficit ad peccatum. Ratio eſt, quòd quicumque operatur dubitans, peccatum ſit, nec ne, prudenter non agit, ſéque peccandi periculo exponit. At qui ſe exponit periculo peccandi, ſi proximum ſit, hoc ipſo peccat. *Qui enim amat periculum, peribit in ipſo.*

Nonus. Qui ſine cauſa juſta non curat delectationem in voluntate ex objecto ortam illicito, cenſetur indirectè conſentire, quia tunc contemptus ille, & negligentia voluntati, non neceſſitati tribuitur.

Decimus. Ratio porrò, & cauſa juſta non depellendæ delectationis, eſt duplex. 1. Dum quis timet, ne eò magis concupiſcentiæ motus augeatur, quò conatur magis reſiſtere, quia tunc reſiſtere eſſet quodammodo cooperari. Hinc monent PP. ſpirituales, cùm ſuboritur turpis cogitatio, non ſemper illi reſiſtendum directè, quia motus excitat ſæpe in parte inferiori; ſed indirectè, aliò nempe mentem avocando. 2. Cùm ad depellendam illam concupiſcentiam neceſſa-

rium eſt omittere actionem honeſtam, ad quam hîc, & nunc tenearis. Ratio eſt, quòd oblato periculo conſenſûs affirmativum præceptum non obligat cum tanto diſcrimine, præſertim cùm motus ille naturalis per ſe malus non ſit moraliter, niſi accedat conſenſus.

Colliges 1. Quamvis motus vehementiſſimus excitetur in parte inferiori, niſi accedat conſenſus, non committi peccatum. 2. Motus, qui inter dormiendum oriuntur, aut etiam dum media ex parte vigilamus, quamdiù perſeverant, non eſſe peccata formaliter, ſed tantùm materialiter; ſin autem ſit advertentia imperfecta eſſe tantùm venialia.

Quæres, an qui dubitat vtrùm peccatum, quod commiſſurus eſt, veniale ſit, & mortale, & ſub dubio committit, peccet mortaliter? Reſpondent multi peccare mortaliter, ſi res ſit reipſa gravis; venialiter autem ſi ſit tantùm levis. Alii putant peccari tantùm mortaliter in re gravi, cùm vel cognoſcitur gravitas, vel de ea dubitatur. Sin autem gravis per ſe apprehenditur, vt levis, peccari tantùm venialiter. Ratio eſt, quia tunc tantùm peccatur mortaliter, cùm præceſſit deliberatio perfecta. At non habetur principium ad deliberationem perfectam ſufficiens, niſi cognoſcas gravitatem malitiæ in actu committendo, aut de ea dubites. Hinc qui paucos aſſes furatur pauperi, illius egeſtatis ignarus, peccat tantùm venialiter. Quare, vt periculum peccandi graviter ſufficiat ad mortale peccatum, debet ſaltem apprehendi in eo circumſtantia multùm aggravans.

Dices. Inde ſequitur, qui peccant ex conſue-

Digitized by Google

tudine inveterata, excuſari à peccatis graviſſimis. Reſp. nego. Tum quia ignorantiam habent tantùm vincibilem de gravitate malitiæ; tùm quia multæ illis occurrunt occaſiones gravitatis ipſorum peccatorum examinandæ, ob miſerabilem ſtatum, in quo jacent.

ARTICVLVS III.

An dentur actus indifferentes.

CVM omnis actus humanus ſpectari poſſit, vel ex parte objecti, & circumſtantiarum, à quibus ſpeciem ſumit; vel ex parte ſubjecti agentis, à quo producitur, poteſt ſpectari vel ſecundum ſpeciem, vel ſecundum individuum. Tunc conſideratur ſecundùm ſpeciem, cùm ſumitur per ordinem ad objectum, à quo ſpecificatur. Quare actus indifferens in ſpecie dicitur, qui eſt indifferens ſecundum objectum materiale, ex quo actus ſpeciem ſumit. Tunc verò ex parte ſubjecti, cùm attenditur operans propter finem. Hinc actus indifferens in individuo eſt, quia indifferens eſt ſecundùm circunſtantias finis, quem ſibi operans proponit.

Hinc duplex quæſtio. 1. An dentur actus indifferentes in ſpecie: Id eſt, an dentur actus, qui ſint circa objectum, quod nec imperatum, nec prohibitum ſit lege, adeóque nec bonum, nec malum objectivè. 2. an dentur indifferentes in individuo, id eſt, an actus, qui ſunt indifferentes in ſpecie, quia verſantur circa objectum nec bonum, nec malum, hîc, & nunc cùm exercentur ab homine ex perfecta rationis adverten-

Digitized by Google

tia, ſint indifferentes in individuo, id eſt, nec boni, nec mali, prout à Petro, & Paulo exercentur.

§. 1. *An dentur actus indifferentes in ſpecie.*

I. Assertio. Dantvr actus humani indifferentes in ſpecie, id eſt, qui ex parte objecti nec ſunt boni, nec mali. Ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 18.

Prob. 1. ex Auguſtino ep. 99. vbi ait non eſſe bonum, aut malum non ambulare, & lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 21. in quo ait eſſe quædam facta media, quæ poſſunt benè vel malè fieri.

2. Ratione à priori. Vt actus ſit bonus ex objecto, debet in illud tendere propter honeſtatem objecti. Sed poteſt eſſe actus voluntatis, qui non tendat in objectum propter honeſtatem ipſius objecti, ſed propter aliam inferiorem rationem boni, cui nulla malitia neceſſariò adjuncta ſit: Ergo actus ille erit indifferens ex ſua ſpecie, ſive ex objecto.

3. Ille actus eſt indifferens ex ſpecie, qui ex objecto nec turpitudinem habet, nec honeſtatem: dantur plures actus v. g. velle loqui, deambulare, qui ſint ejuſmodi: Ergo, &c. hinc D. Thomas ait ire in campum, fricare barbam nihil includere pertinens ad ordinem rationis per modum convenientis, aut diſconvenientis: Ergo ſunt actus in ſpecie indifferentes.

Objicies 1. Omne objectum eſt conveniens, aut diſconveniens: Ergo omnis actus ex objecto

eſt bonus, vel malus. Reſp. nego antec. Sicut enim poteſt dari objectum, quod nec prohibeatur, nec præcipiatur, ſed ſit quaſi medium inter vtrumque, vel potiùs ab vtroque abſtrahat. Sic poteſt dari objectum, quod nec conveniens ſit, nec diſconveniens.

Inſt. 1. Inter privativè oppoſita non datur medium: at bonum, & malum opponuntur privativè reſpectu objecti. Ergo objectum eſt bonum, vel malum. Reſp. diſt. maj. Inter privativè oppoſita reſpectu ſubjecti proprii non datur medium, concedo: reſpectu ſubjecti non proprii, nego. At objectum ex ſe, & ſecundùm ſpeciem ſumptum non eſt ſubjectum bonitatis, aut malitiæ, ſed abſtrahit, ſicut catulus ex Ariſt. ante nonum diem nec cæcus eſt, nec videns, quia nondum eſt aptus ad videndum, ſed abſtrahit ab vtroque.

§. 2. *An dentur actus indifferentes in individuo.*

I. Observat. Qvaestio hîc eſt de actibus moraliter, & phyſicè indifferentibus, non theologicè, dantur enim actus, qui licèt ſint boni moraliter, vtpote qui ex bono fine naturali fiant, non ſunt tamen boni aut mali theologicè, quia non fiunt ex motivo ſupernaturali, nec proſunt ad vitam æternam, ſaltem immediatè.

II. Observat. Per actum humanum, eum intelligo, qui à nobis ſcienter, & ex plena rationis advertentia fit. v. g. cùm prudens, voléníque deambulas. Nam ſi dum homo agit, non advertit ad finem honeſtum, nec de obliga-

tione referendi actum in finem cogitat, facilè excuſatur à malitia, teſte Caietano, nec illius actus propriè humanus dicendus eſt, ſed hominis, vtpote ex quadam imaginatione factus, vt ſi quis muſcam, à qua læditur, abigat, non advertendo.

I. Assert. Nullus datur actus indifferens in individuo, dum ſit ex ratione perfecta, ſed omnis eſt bonus, vel malus moraliter.

Prob. 1. ratione. Actus in ſpecie indifferens, ſi ita ſit in individuo, vt nullam habeat bonitatem adjunctam, hoc ipſo otioſus eſt: at omnis actus otioſus eſt malus: ergo omnis actus ſecundùm ſpeciem indifferens, ſi fiat in individuo, vel bonus eſt, vel malus. Hæc ratio vt intelligatur, ſit

I. Observatio. Verbum otioſum definitur à D. Baſilio in Regulis brevioribus quæſt. 23. *quod non conducit ad propoſitam in Domino vtilitatem.* à D. Gregorio hom. 6. in Evang. *quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis caret.* à D. Hieronymo, *quod nequaquam ædificat audientes, & ſine vtilitate audientis, aut dicentis profertur.* Itaque ejus malitia in eo poſita eſt, quòd in eo nullus ſit finis homine dignus, qui in omnibus rectam rationem ſequi debet. Porrò verbum, ſeu locutio eſt ordinata à naturâ vel ad communicationem ſcientiæ, vel ad ſublevandam indigentiam, vel ad gubernationem ſubditorum, &c. ideóque quiſquis ſine vno ex illis finibus loquitur, otioſè vtiquè loquitur, quia abutitur voce; abuti enim eſt non referre rem ad finem, ad quem ordinata eſt.

II. Observ. Inutilia opera, cujuſmodi

ſunt inutilis vſus temporis, aut quilibet modus operandi homine vtente ratione indignus, perinde prava ſunt ac verba otioſa. Prob. ex D. Hieronymo in Pſ. 1. *Si de verbis otioſis redditur ratio, quantò magis de operibus.* 2. Ratione. Quia verbum otioſum ideo malum eſt, quòd actio humana, vt humana, requirat finem honeſtum: atqui cogitatio v. g. & opus externum ex ratione factum humana ſunt: ergo cogitatio otioſa, & opus otioſum perinde mala ſunt ac ipſa locutio. His poſitis,

Prob. major ſuperioris ſyllogiſmi. Actus ille otioſus eſt ex prima obſervatione, qui rationabilem cauſam non habet, nec juſtam neceſſitatem. Atqui actus in ſpecie indifferentes, ſi in individuo fiunt, nullâ bonitate adjunctâ, rationabilem cauſam non habent, nec juſtam neceſſitatem: ergo ſunt otioſi. Prob. minor. Ille actus, qui fit ab homine cum advertentia rationis, nec fit ab homine, vt homo eſt, id eſt vt dictat recta ratio, non habet rationabilem cauſam, nec juſtam neceſſitatem; immo deficit à recta ratione: at actus in ſpecie indifferens, ſi in individuo fit, nulla bonitate adjunctâ, non fit ab homine vt homo eſt, id eſt, vt dictat recta ratio, quia recta ratio dictat vt tendat ad Deum per actus liberos, ſi non immediatè, ſaltem mediatè: ſi non explicitè, ſaltem implicitè. Ratio eſt, quòd teneatur actiones in bonum finem referre, ad quem creatus eſt. Et verò ſi culpam incurrit, qui pecunias inutiliter conſumit, quomodo cavebit peccatum, qui opera ſua quolibet auro pretioſiora in bonum finem non dirigit?

Prob. minor. ejuſd. ſuperioris ſyllogiſmi,

nempe actum otioſum eſſe malum. Id, de quo homines reddent rationem in die judicii, eſt malum: atqui de verbo, aut opere otioſo reddent rationem homines in die judicii ex Matth. 12. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.*

Reſpondent, licèt homines redditurì ſint rationem de verbo otioſo, non idcircò malum cenſeri debere, quia rationem reddemus de ſingulis operibus bonis, vt præmientur; de malis, vt puniantur; de indifferentibus, vt nec præmio, nec pœnâ afficiantur.

Contra 1. Chriſtus hæc verba protulit ad incutiendum timorem, & ſeveritatem judicii exaggerandam: ergo ſenſus eſt, ita rationem homines redditurоs de verbo otioſo, vt ſi nullam rationabilem cauſam habeant, plectantur; aliter verbis illis nullum pondus ineſſet. 2. Eccleſia cenſet verbum otioſum eſſe materiam ſufficientem confeſſionis: ergo verbum otioſum malum eſt: ergo, & actus otioſus eſt quoque malus ex ſecunda obſervatione.

Probatur 3. Omne agens debet operari juxta finem naturæ debitum: finis naturæ rationali debitus eſt honeſtas: ergo natura rationalis, quoties agit, tenetur agere propter finem honeſtum. Major patet inductione omnium agentium naturalium, quorum conatus omnes ſunt in finem. Confirmatur 1. ex conceptu viatoris. Nam viator, vt viator ſemper debet progredi, & licèt poſſit aliquando quieſcere, vt homo quieſcit, dum ſomno indulget aut mentem à cogitationibus ſeriis avocat, tamen quietem debet ordinare ad reparandas vires; exigit quip-

Digitized by Google

pe ſtatus viatoris vt nihil deliberatè faciat ſine ordine ad progreſſum. 2. finis vltimus meretur vt omnia ad ipſum ordinentur: ergo deliberatè agere, nec opus in ipſum referre, eſt aliquis contemptus ipſius, adeóque peccatum.

Probatur 4. ex Ariſt. Actus ille bonus eſt, qui fit ſicut oportet, & quemadmodum fieret à ſapiente. Vnde ſic arguo. Omnis actus humanus vel fit ſicut oportet, & bonus eſt, vel non ſicut oportet, & eſt malus. Ergo nullus actus eſt indifferens. Rurſus. Omnis actus, vel fit vt à ſapiente fieret, vel vt non fieret; ſi primum, bonus eſt, quia conformis rectæ rationi, quam ſequitur ſapiens: ſi ſecundum eſt malus, quia eſt difformis rectæ rationi.

Probatur 5. Quidquid deliberatè appetit voluntas, vel appetit vt finem, vel vt medium. Si vt finem, vel vt finem honeſtum; & ita actio eſt bona: vel vt delectabilem, & ſic eſt mala. Si vt medium, vel medium per ſe eſt malum, adeóque ejus electio mala eſt, vel medium eſt indifferens, & tunc bonitatem, aut malitiam ſumit ex fine: ergo electio medii ſemper eſt bona, vel mala pro natura finis: ergo omnis actio humana deliberatè procedens ex voluntate eſt bona, vel mala.

Duo ſunt in hoc diſcurſu, quæ probatione indigent. Primum, quòd nullum ſit objectum indifferens reſpectu voluntatis hîc, & nunc agentis. Secundum, Quidquid voluntas appetit propter delectationem, id eſſe malum.

Primum probatur. Quidquid appetit voluntas, appetit vt bonum: ergo vel vt vtile, vel vt delectabile, vel vt honeſtum. At nullum ex iſtis

Digitized by Google

bonis eſt indifferens reſpectu voluntatis agentis moraliter. Non vtile, quia appetitur, vel vt conducens ad finem tantùm delectabilem, & ſic eſt malum, vel ad honeſtum, & ſic eſt bonum. Non delectabile, quia ſi in eo ſiſtitur, peccatur; delectabile enim eſt propter operationem, non autem honeſtum.

Secundum probatur. Quiſquis agit propter ſolam delectationem, vt finem vltimum, agit contra finem, & inſtitutum naturæ, natura enim non intendit operationem propter delectationem, ſed delectationem refert ad operationem. Voluptatem quippe aſpergit operationibus noſtris tamquam condimentum, & incitamentum ad agendum; vnde Ariſt. 1. Eth. docet voluptatem ſe habere ad operationem, ſicut ſe habet decor ad juventutem. Ratio à priori eſt, quòd natura id tantùm intendat, vt finem, quod valet primò, & per ſe ad ejus conſervationem vel in ſpecie, vel in individuo: at delectatio non per ſe valet ad conſervationem naturæ in ſpecie, aut in indiuiduo; tolle enim delectationem à comeſtione cibi, valebit tamen adhuc ipſa comeſtio ad conſervationem individui. Quare delectatio olei ad inſtar eſt, quo athleta perunctus, delibutúſque, faciliùs multò, perfectiúſque virtutis curriculum conficit, vnde delectatio dicitur opus perficere.

Confirm. aſſertio, quia homo tenetur ſemper ſervare mediocritatem propter honeſtatem, eadem prorſus lege, quâ tenetur ſervare mediocritatem. Lex enim, quæ vetat inordinatè agere quoad objectum materiale, vetat quoque quoad objectum formale: atqui homo tunc agit inor-

Digitized by Google

dinatè, cùm mediocritatem ſervat propter delectationem, non propter honeſtatem, quia ſic refert mediocritatem, quæ eſt bonum honeſtum ad voluptatem, quæ eſt ordinis inferioris. Quid eſt autem inordinatè agere, niſi bonum honeſtum deturbare, & quaſi deprimere infra ſuum ordinem? Porrò id agit quiſquis bono ſenſibili & jucundo honeſtum poſtponit, & ita pervertit ordinem naturæ, quæ non hominem ad voluptates, ſed ad finem altiorem evexit, nempe honeſtatem; Hinc dixit Ariſt. voluptates quærendas homini, vt medicamenta doloris, aut certè tamquam aliquod bonum, quo aliquo velut inſtrumento ratio ipſa bonum honeſtum tanquam finem ſuum aſſequi poſſit.

Dices non amari tunc creaturam propter ſe, tamquam finem vltimum. Nam licèt non ametur propter alterum actu, & formaliter, amatur tamen potentiâ, & materialiter, quatenus ſic amatur, vt nihil ſit in ipſius amore, quod impediat, quominus in finem bonum referri poſſit. Secùs evenit in peccato, quod vtpote actus inordinatus, non poteſt referri in Deum, quia inordinatum ordinari non poteſt.

Contrà amare aliquid amore non proportionato, eſt amare perversè: at qui ſic aliquid amat, quod non eſt ſummum bonum, & in ipſo quieſcit, non amat amore proportionato: ergo amat perversè.

Confirm. ex Auguſtino, qui vt probet omne delectabile eſſe propter honeſtum, hanc regulam tradit lib. 4. contra Iulianum cap. 14. Vt nihil fiat propter concupiſcentiam. *Movetur*, inquit, *certè animus ad pietatis affectum divino cantico*

audito: tamen etiam illic ſi ſonum, non ſenſum libido audiendi deſideret, improbatur; quantò magis ſi cantiunculis inanibus, vel turpibus delectatur?

Denique ſicut omnis cognitio eſt conformis objecto, vel difformis; ita amor: ergo ſicut omnis cognitio eſt vera, vel falſa in individuo: Ita omnis amor in individuo eſt bonus, vel malus.

§. 3. *Diluuntur objecta.*

OBIICIES 1. Durum eſt omnes actus, qui in finem honeſtum non referuntur, eſſe peccata. Nam quot peccata quotidie patrabuntur? Deinde quàm auſterus ille dominus, qui ſervum ſemper teneat inter pœnam, & mercedem?

Reſp. 1. An durum eſt hominem agere, vt homo eſt? id eſt rectam rationem ſequi in agendo? v.g. an durum eſt, cùm creatus ſis propter Deum, ad eum quidquid agas, dirigere ſaltem mediatè? Nonne id ipſum D. Paulus innuit? *Sive bibitis*, inquit, *ſive editis in Dei gloriam facite.* Denique nonne de verbis otioſis ratio reddenda in judicio?

Inſt. 1. Ridiculum eſt, quòd peccet quiſpiam, barbam fricando, expuendo in terram, muſcam ſibi importunam abigendo, niſi referat in finem honeſtum, atque adeo de iiſdem confiteri poſſit, & debeat.

Reſp. Ejuſmodi minutas actiones vel poſſe fieri humano modo, vel animali. Si modo animali, vt ſæpe fiunt, id eſt, ſine advertentia perfecta rationis, tunc nihil habent boni, aut mali, quia fiunt ſine ſufficienti deliberatione. Sin autem fiant humano modo, tunc certè fiunt ob fi-

nem bonum vel malum, & ita ſunt peccata, ſi fiant ob malum finem, & materia confeſſionis, non quæ ſubjici clavibus neceſſariò debeat, ſed quæ poſſit.

Inſt. 2. Nemo poteſt infinitatem illorum actuum inter confitendum recenſere.

Reſp. Sufficere, ſi pœnitens generatim dicat ſe varios actus patraſſe otioſos, ſicut ſolet dicere plura ſe verba otioſa protuliſſe.

Objicies 2. Homo poteſt ambulare, vt ſublevet naturam defeſſam. Iam quæro, vel actus ille erit bonus, vel malus vel indifferens; non bonus, nec malus: ergo indifferens.

Reſp. Deambulationem illam ſpectari poſſe, vel vt eſt à natura animali, vel vt à rationali. Tunc eſt à natura rationali, vt animalis eſt, cùm vnam delectationem animalis ſpectat deambulans: tunc eſt à natura rationali, vt rationalis eſt, cùm judicat homo illam deambulationem eſſe ſibi agenti ex ratione congruam. Si primo modo agit, non ſufficit vtique ad honeſtatem actionis, nec hominem à negligentia excuſat, quia homo ſemper tenetur agere vt homo: ſi ſecundo, ſatis eſt ad honeſtatem moralem, ſi hîc, & nunc judicet conſentaneum eſſe rationi ſervire naturæ neceſſitatibus, & commodis, & qui ex illo dictamine operatur, operatur honeſtè, quia operatur ex honeſto ſui ipſius amore.

Hinc D. Th. 1. 2. quæſt. 109. art. 2. appellat bona naturæ per virtutem naturæ facta. Et in 2. diſt. 40. comedere, & bibere ſervato modo temperantiæ, item & ludere ſervato modo eutrapeliæ, vocat opera virtutis. Denique illud bonum aliis licitè procurare poſſumus: ergo, &

nobis. Quare eſt materia virtutis, non tamen voti aut iuramenti, quia votum eſt de meliori bono.

Inſt. 1. Si actus ille, quo volo deambulare, quia commodum eſt naturæ rationali, eſt bonus moraliter, eſt quoque meritorius vitæ æternæ.

Reſp. nego: plura enim requiruntur ad meritum vitæ æternæ, nempe vt ſit ex gratia. Dici tamen poteſt referri implicitè in Deum, licèt non referatur explicitè; mediatè, non immediatè.

Objicies 3. Si tenemur honeſtè ſemper agere, tenemur ex aliquo præcepto ſeu lege: atqui nulla lex eſt obligans, vt perpetuò tendamus ad Deum. Vel enim eſſet lex naturalis, vel poſitiva ſcripta: ſi naturalis, vel affirmativa, vel negativa.

Reſp. Teneri nos lege naturali tum affirmativa, tum negativa. Quare qui non referunt actum in individuo ad finem honeſtum, peccant duplici peccato: omiſſionis, quia violant illud naturale præceptum, quo tenemur quamdiù agimus vt homines, omnia ad Deum referre vel explicitè, vel implicitè; commiſſionis, quia cùm illæ actiones à nobis fiant ob aliquam delectationem, in qua hæret voluntas, eam ad honeſtum finem non referendo, peccant contra iſtud præceptum, (*non concupiſces*) quo prohibemur, ne delectationis causâ aliquid faciamus. Quod ſæpe D. Auguſtinus inculcat, præſertim lib. de ſpir. & litt. cap. 4. *Eſt*, inquit, *vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait, non concupiſces: neque enim peccatum, niſi concupiſcendo committitur.*

Digitized by Google

Inſt. 1. Præceptum affirmativum non ſemper obligat: at præceptum de referendo actiones in Deum eſt affirmativum: ergo non ſemper obligat.

Reſp. diſt. mai. Non ſemper obligat abſolutè concedo: ex hypotheſi, nego. Sic præceptum de colendis parentibus non ſemper obligat abſolutè, ſed tantùm ex hypotheſi, quòd cum parentibus agamus. Deinde ſaltem ſemper obligat præceptum negativum, non concupiſces.

Inſt. 2. Lex naturalis omnibus innoteſcit: at non innoteſcit omnibus teneri nos referre actiones in Deum.

Reſp. diſt. mai. Lex naturalis primaria, concedo: ſecundaria, nego. Lex naturalis primaria eſt, quæ habet rationem principii: ſecundaria, quæ habet rationem concluſionis. Prima omnibus nota eſt, non ſecunda. Sicut in ſpeculativis dantur veritates vniverſaliſſimæ, quæ per ſe omnibus patent ex ſola penetratione terminorum, vt totum eſt majus ſua parte: aliæ minùs vniverſales, quæ ſunt concluſiones primorum principiorum, & quoſdam latent, vt iſta concluſio; ergo feneſtra eſt major domo. Ita in lege naturali.

Objicies 4. SS. PP. admiſerunt actus indifferentes. Nam D. Hieronymus epiſt. ad Auguſtinum de ceſſatione legalium quæ eſt 11. inter Epiſtolas, ſic ait. *Neque enim indifferentia ſunt* (ſcilicet legalia obſervata) *inter bonum, & malum, ſicuti Philoſophi diſputant, bonum eſt continentia, malum luxuria, inter vtrumque indifferens ambulare, & hoc nec bonum, nec malum eſt: ſive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam.*

Reſp. Ibi loqui de actibus indifferentibus in ſpecie & ex parte objecti non in individuo. Alii volunt ibi D. Hieronymum non ex ſua ſed ex Philoſophorum mente locutum, qui dicebant aliqua opera eſſe indifferentia. Et verò hîc probat obſervantias legales non eſſe ponendas inter res indifferentes, ſicut Philoſophi ponunt ambulationem inter indifferentia. Deinde Ioannes Major reſpondet hunc locum intelligendum de actibus, qui naturaliter fiunt.

Inſt. Voces iſtæ, *ſive feceris, ſive non feceris*, exprimunt exercitium actus: ergo D. Hieronymus, admittit actus indifferentes, etiam in individuo.

Reſp. diſt. conſeq. In individuo materialiter, id eſt, ex parte objecti, eſto: in individuo formaliter, id eſt quatenus ſunt à tali individuo, nego.

Inſt. 2. D. Gregorius Homil. 27. in Evangelia, Gregorius Nazianzenus Orat. 3. contra Iulianum admittunt medium ſtatum indifferentiæ, in quo qui agit, nec ſupplicio dignus eſt, nec laudem meretur. Denique Ariſtoteles cap. de oppoſitis docet dari medium inter bonum honeſtum, & malum. Non enim, inquit, neceſſe eſt vt alterutrum, id eſt, bonum, vel malum ſit in iis, de quibus dicitur, οὐ γὰρ πάντα ἤτοι φαῦλα, ἢ σπουδαῖά ἐστι, καὶ ἔστι γέ τι τούτων ἀνὰ μέσον. non enim omnia improba, aut proba ſunt, & eſt aliquid in horum medio.

Reſp. Intelligendos eſſe de actibus ſecundùm ſpeciem indifferentibus, & ex objecto, in quo à nobis non diſſentiunt.

Inſt. 3. SS. PP. etiam damnant opera illa leviora.

Digitized by Google

Reſp. Damnari tantùm ab illis, vel quia fiunt propter delectationem tamquam finem, & ſic mala ſunt; vel quia retrahunt à nobiliorum virtutum, nempe ſupernaturalium exercitio.

Objicies 5. Bonum naturæ accommodatum non conſtituitur per conformitatem ad rectam rationem, quia ordinatur tantùm ad conſervationem naturæ ſenſitivæ.

Reſp. diſt. Iſtud, *quia*, ordinatur immediatè ad conſervationem naturæ ſenſitivæ, eſto: mediatè, nego. Nam ſaltem mediatè ad conſervationem naturæ rationalis refertur, quia conſervatio naturæ ſenſitivæ eſt conformis rectæ rationi.

Objicies 6. Plures Theologi docent dari actus indifferentes: ergo ſi quis operetur ex eorum ſententia probabili, ponit actum indifferentem in individuo.

Reſp. diſt. conſeq. Ponit actum per ſe indifferentem, nego: per accidens concedo. Actus quippe illi ſunt ſemper in ſe mali, ſed non imputantur ad culpam aut pœnam iis, à quibus producuntur, quia licitum eſt ſequi in agendo ſententiam probabilem. Aget itaque, quiſquis ſic aget, ex opinione illa probabili, ex conſcientia practicè quidem tuta, ſed tamen erronea.

Objicies 7. Non poteſt dici, quæ malitia reperiatur in actione moderata circa ludum, licèt non fiat ex honeſto motivo.

Reſp. Reperiri malitiam otioſitatis, quia actio non refertur in finem debitum. Id enim omne otioſum eſt, quod caret fine rationabili. Porrò otioſitas eſt vitium oppoſitum virtuti, quâ inclinamur ad referendum in honeſtum finem opera noſtra, quæ ex parte objecti materialis indiffe-

rentia ſunt, éſtque diligentia aliqua.

Inſt. 1. Ergo qui peccat furando, duplici malitia ſe polluit, furti nempe, & otioſitatis, quia non refert actionem furti in finem honeſtum.

Reſp. Nego ſubſumptum, quia actus ex objecto mali non ſunt ſecundùm rationem rectam ordinabiles ad finem honeſtum. Quare obligatio referendi actum in finem honeſtum cadit tantùm ſuper actus ex objecto indifferentes, qui eſſent moraliter otioſi, ſi tali ordinatione privarentur. Deinde licèt furando quis faciat contra obedientiam Deo debitam, non ideo tamen dicitur committere ſpeciale peccatum inobedientiæ, quia obligatio Deo obediendi, & referendi actiones in finem honeſtum, eſt tantùm generalis. Quare tunc ſpecialis incurritur inobedientia, cùm aliquis peccat ex contemptu divini imperii, ſicut tunc tantùm incurritur malitia otioſitatis, cùm opera per ſe indifferentia ex parte materiæ non exercentur ob finem honeſtum.

Objicies 8. Aliter ambulatio eſt indifferens, quàm homicidium. Ergo ambulatio eſt indifferens in individuo.

Reſp. nego conſeq. Homicidium enim eſt malum per ſe, & ratione objecti materialis, idéóque non poteſt reddi honeſtum ex ſolo fine honeſto propoſito, niſi accedat gravis circunſtantia. At ambulatio eſt per ſe indifferens ratione objecti materialis, potéſtque facilè honeſtari ex propoſito ſolo fine honeſto, qui intra modum ſit.

Objicies 9. Nolitiones operum bonorum, quæ non imperantur ſunt indifferentes. v. g. non velle orare horâ tertiâ non imperatâ, eſt aliquid indifferens, quia ad id non tenemur: ergo datur

aliquis actus indifferens in individuo.

Reſp. nego antec. Ratio eſt ex Philo. vlt. Polit. cap. 3. quòd natura non tantùm poſtulet vt rectè agamus, ſed etiam vt honeſtè quieſcamus. Atque adeò vt nolitiones actionum bonarum ad bonum finem referamus.

Objicies 10. Species rerum ſunt immutabiles: ergo ſi aliquis actus quoad ſpeciem eſt indifferens, debet quoque eſſe indifferens in individuo. Prob. conſeq. Species non eſt ſine individuis, & quidquid convenit ſpeciei, convenit & individuis ſub ea contentis: ſed indifferentia moralis convenit ſpeciei; ergo & individuis.

Reſp. 1. diſt. mai. Quidquid convenit ſpeciei, convenit individuis, ſecundùm id quod accipiunt ab objecto ſpectatis, ſeu ſpecificè ſumptis, concedo majorem: ſpectatis ſecundùm rationem individuantem, nego maj. & conceſſa minore diſt. conſeq. ergo indifferentia convenit individuo ſecundùm id quod accipit ab objecto, & ſumitur ſpecificè, concedo: convenit individuo ſecundùm rationem individuantem ſpectato, ſeu individualiter ſumpto, nego conſeq. Nempe actus, qui fit, ſpectari poteſt ſub duplici virtualitate, vel per ordinem ad objectum ſpecificum, & ita ſecundùm ſpeciem nec bonus, nec malus eſt: vel per ordinem ad circunſtantias tales, & talem finem, propter quem fit, & ita ſumitur in individuo formaliter, eſtque bonus, vel malus. Ita Petrus ſpectari poteſt vel vt homo, vel vt hic homo; ſecundùm quod homo eſt, eſt animal rationale, ſed non eſt hic homo, ſed quatenus Petrus eſt, eſt hic homo. Idem dicito de actu humano, qui comparatus cum objecto eſt indif-

ferens; vt autem reſtringitur ad circunſtantias, talémque finem, eſt bonus, vel malus in individuo.

2. Diſt. Quod convenit ſpeciei poſitivæ, convenit individuo, concedo: ſpeciei negativæ, nego. At actus dicitur indifferens ſecundùm ſpeciem negativam, quatenus ab objecto nec bonitatem, nec malitiam accipit, licèt à circunſtantiis & à fine, à quibus individuatur, accipere poſſit, & debeat. Itaque duplex ſpecies. Poſitiva, quæ rationem poſitivam habet. v. g. actus temperantiæ eſt bonus ſecundùm ſpeciem poſitivam: negativa ſic dicta, quòd ab objecto nec bonitatem, nec malitiam accipiat. Quod convenit ſpeciei poſitivæ, convenit individuo; quod autem negativæ, non convenit. Rem illuſtrat D. Thomas exemplo hominis albi, aut nigri, ſicut enim, inquit, homo non habet ex ſua ſpecie quòd ſit albus, aut niger, nec tamen habet ex ſua ſpecie, quòd non ſit albus, aut niger, poteſt enim albedo aut nigredo aliunde homini accidere, quàm à principiis ſpeciei. Ita actus non habet ex ſpecie ſua, quòd ſit bonus, aut malus, quamvis in individuo poſſit eſſe bonus, vel malus. Itaque actus indifferens ſecundùm ſpeciem dicitur eodem ſenſu, quo quis diceret hominem ſecundùm ſuam ſpeciem eſſe indifferentem, vt ſit albus, aut non albus. Nam his verbis ille non judicaret eſſe aliquam ſpeciem hominum, qui reipſa, & à parte rei neque ſint albi, neque non albi, ſed tantùm hominem ex ratione ſua ſpecifica non habere, vt ſit reipſa albus aut non albus, licèt alterutrum aliunde habeat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

image
not
available